


1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE



THEATRUM
POLITICUM
SIVE
TRAGOEDIÆ
AD
COMMENDATIONEM VIRTUTIS
ET
VITIORUM DETESTATIONEM
OLIM
LUDIS AUTUMNALIBUS
NUNC TYPO DATÆ
A
P. FRANCISCO NEUMAYR SOC. JESU
p. t.
Auguſt. Eccleſiæ Cathedralis Oratore Ordinario.



CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.



AUGUSTÆ VIND. & INGOLSTADII
Sumptibus Franciſci Xaverii Crãz & Thomæ Summer. 1760.

textu Muſico, & decorationibus theatri non eſt, quod dicam. Quilibet Lectorum in ſuo ſenſu abundat: abundet! Mihi ſufficit, ex his foliis patere ad ſolem, Artem dramaticam etiam in materia profana poſſe bono publico & privato delectando prodeſſe. *Accedunt pro Appendice Dramatia minoris operæ Ludis ſaturnalibus data, & tempori adaptata. Fave Lector, & leviores nævos forte in rhytmis occurrentes per ſententiæ energiam excuſa, ſi bonus es: nam ſi malus es, non recuſo damnari.*



SERIES TRAGOEDIARUM.

1. TITUS Imperator, Deliciæ humani generis.
2. EUTROPIUS infelix Politicus.
3. PAPINIANUS Juris - Consultus.
4. ANASTASIUS DICORUS.
5. JEROBOAM.
6. CONSTANTIUS CHLORUS.

APPENDIX.

Sepulchrum Concupiscentiæ.
Servus duorum Dominorum.
Fures Temporis.

Drama Musicum

Honoribus Ser.[mæ] Domus Boicæ
cum Saxonica feliciter junctæ
pro nuptiali applausu exhibitum.

TITUS
IMPERATOR
AMOR
AC
DELICIÆ
GENERIS HUMANI
TRAGOEDIA
DATA
LUDIS AUTUMNALIBUS
ANNO MDCCXXXI

ARGU-


ARGUMENTUM.

Titus Vespasiani filius Princeps vere amabilis fuit, quia omnium amans. Diem perdidisse se credidit, qua nemini benefecisset: nec unquam passus est aliquem a se tristem discedere, solis Quadruplatoribus infensus, & illis, qui per vim, aut fraudes subditos afflixissent. Hos ille sæpe flagris publice cœdi, aut pro mancipiis venundari jussit. Nunquam tamen clarius Patris affectus eluxit, quam cum malis publicis populi urgerentur. Nihil tum Princeps ærario suo, nihil fisco parcebat: quin ipsa prætoriorum suorum ornamenta aliquando sub hasta vendidit, ut haberet, unde civibus triduano incendio ad extremam inopiam redactis posset succurrere. Beneficentiæ clementiam addidit vere heroicam, & adeo abhorrentem a sanguine, ut hanc unam ob causam Pontifex maximus esse voluerit, ne cogeretur cujusquam morti subscribere. Insidiis cum a Fratre, & duobus Patritiis peteretur, & detecta fuisset conjuratio: nihil aliud Patritios, quam ut desisterent, monuit, & imperium Fato dari cogitarent: Domitianum vero præterea collegam Imperii, & hæredem dixit, secreto tantum rogatum, ut mutuo erga se animo esse vellet, dignissimus adeo, qui gloriosissimo inter omnes Imperatores elogio posteris innotesceret, & *Amor, ac Deliciæ Generis humani* appellaretur. *Suetonius.*

PERSONÆ.

Titus Imperator.
Domitianus Frater.
Fabius } *Patritii conjurati.*
Æmilius }
Gracchus tribunus - plebis.
Paulinus Militiæ Præfectus.
Legati Campaniæ.
Servus Fabii.
Ephebi ex Patritiis recens adsciti.

PRO-



PROLOGUS.

Honores divinos a Rhodiis obtinet Phœbus per beneficentiam, quos per terrorem potentiæ Boreas nullo successu affectat.

Personæ. Phœbus. Boreas. Nymphæ Rhodiæ.

*Nympha 1ma. SOrores lectissimæ,
Quam bene nobis est undique!
Abundant omnia:
Vota ipsa cœlum superat
Profusum in Insulæ commoda.
Nympha 2da. Nempe nihil eorum deest rebus,
Quibus Deus est Phœbus,
Deus optimus, beneficentissimus:
3tia. Deus, qui diem perdidisse se crederet,
Serena nisi facie Rhodum aspiceret.
4ta. Beati non esse non possunt subditi,
Si Principem habeant, qui metuit metui,
Et unice cupit diligi.
1ma. Amantem amemus,
Et quotidianos favores
Quotidianis laudibus celebremus. **
Votiva Carmina
Accipite Montes, & Nemora.

* Theatrum exhibet Insulam, circum quam Nymphæ navigant lætæ. In medio videtur Colossus Rhodius. ** In littus exscendunt.

Nympha 2*da.* Repetite!
3*tia.* Multiplicate!
4*ta.* Propagate!

CHORUS.

1*ma.* Ubertas hæc agrorum,
2*da.* Hæc gaudia hortorum,
3*tia.* Hæ vineæ, hæc prædia,
4*ta.* Tranquilla ſemper maria,
Omnes. Hoc robur corporum,
Hic vigor mentium
Sunt tua, Pœbe, munera,
Sunt tua gratia.

2.

Amamur, & amamus:
Amorem conſecramus
O Phœbe, tuo Numini
Tam bono, tam amabili!
Tu ſacrificium
Noſtrorum cordium
Benigni vultus aureo
Dignare radio.

Nympha 3*tia.* At heu! Sorores! quid video?
Quam tetra repente
Noſtro vertici nubes impendet!
Heu quid mutatio tam ſubita mali portendet?
Nympha 2*da.* Nil metue: quam agri ſitiunt,
Quam ſegetes cupiunt,
Effundet hæc nubes optabilem pluviam,

3*tia.*

Nympha 3tia. Falleris: nam video procellis
Et grandine gravidam.
5ta. Et proh Superi! jam incipit mare tumescere!
6ta. Quin & terram sentio (& quid hoc erit?)
Sub pedibus tremere. *
Omnes. Heu! Boreas! Boreas! fugimus!
1. 2. 3tia. Juvate! mergimur! perivimus!
Omnes. Phœbe Deorum optime,
Nunc tua dona protege. **

Boreas. Jacet, quem invocas, turba imbellis!
Jacet, quem invocas:
Potentior est Boreas.
Discant mortales hoc Numen vereri,
Et sciant me parem cum Phœbo honorem mereri.
Fugerunt: satis est: timemur!
Et quem metuunt (plaude Borea)
Flectent (velint, nolint) flectent illi genua.

ARIA.

Per dona amores venari,
Per dona honores mercari,
Imbellium
Est mentium:
Heroes stratorum
In strue murorum
Ad sydera efferunt se.
Amorem nil juvat mereri:
Sed esse, qui possis timeri,
Eximia
Est gloria,

* Prodit Boreas cum comitatu. ** Fugiunt in naves. Colossus concidit: grando omnia populatur.

Quæ plures Deorum
In culmen honorum
Evexit, & evehet me. *
Et en ! redeunt. An ut aras exstruant ?
Et victimas offerant ?
Nympha 1ma. Heu ! rerum facies misera !
2da. O maledicte Borea ! **
Boreas. Vah! obstinatæ! nondum intelligitis fatuæ,
Quantæ sint vires Boreæ ?
Juro, extrema patiemini,
Nisi adhuc hodie stet ara meo Numini.

ARIOSE.

Boreas. Occidam pecora ! *Nymphæ* occide pecora !
Evertam nemora ! everte nemora !
Submergam totam Insulam ! submerge Insulã !
Non colitis ?
Non flectitis ?
Honori meo debitam
Non victimam mactatis ?
Nymphæ. Si rumperis,
Nil efficis :
Non lubet dare victimam
Insanis postulatis.

A R I A.

Nympha 1ma. Est vanus,
Qui coli se cogit Tyrannus.
Rex bonus contemnit *honorem*,
Cui

* Nymphæ in navibus redeunt : subducit se Boreas.
** Boreas revertitur.

Cui junctum non videt *amorem*:
Quæ *Corde* caret hostia,
Non placat Numina.

Latrones,
Et Afros colamus Leones,
Si aras, & thura meretur,
Qui propter furorem timetur:
Subesse præstat tigridi,
Quam sævo Numini.

Boreas. Fatigata est mea patientia.
Ergo rursum congregamini nubila!
Evertimini maria! *
Periistis,
Nisi vobis alius hoc momento est animus.

Chorus Nympharum.

Phœbum nos colimus!
Boream spernimus!
Phœbe nos adjuva!
Phœbe te vindica!

Phœbus. Adest Phœbus post nubila. **
Quis hic est furor, Borea?
Ut ego! - - - -
Sed præstat afflictas solari!
Tu sine mora Insulam desere:
In Scythas, & Sauromatas furorem exere.
Chorus. Deum miserum!
Nympha 1ma. At ibi saltem habebit honorem altarium?

* Recrudescit tempestas. ** In curru solari vectus.

Phœbus. „ Habebis, si naturam exuas,
Si cesses esse Boreas.
Boreas. Rumpor! *
Chorus. Rumpere!
Hoc decet fato
Furiosum Numen occumbere.

Nympha 1ma. Sed jam huc, Phœbe, oculos conjice!
En tua Statua!
2da. En mea Lilia!
1ma. Et segetes! *3tia.* Et Vineæ!
5ta. Et Merces, & Divitiæ!
6ta. Vix enatavimus in nuda tabula.

Phœbus. Miseratio mea tangit viscera.
Tergite lachrymas: restituam omnia **
En meliores pluviæ!
Ite! guttas aureas excipite!

Chorus. O Numen amabile!
Phœbus. Ite! colligite!
Hæc mea est Politica:
Hæc una regenti regula:
Cura, ut ameris! Et amaberis,
Si amaveris.

ARIA.

REx bonus Regi syderum
Sit Phæbo similis:
Sit amor, sit delicium
Humani generis.

Rex

* Furens abit. ** Fit pluvia aurea.

Rex potens est, ut *possit*,
Rex bonus sit, ut *velit*
Juvare plurimos:
Qui hanc observat Legem,
Felicem dico Regem,
Felices subditos.



TITUS IMPERATOR.

ACTUS I.

SCENA PRIMA.*

Personæ. Titus. Domitianus. Gracchus Tribunus-plebis. Brutus, Rutilius, Camillus, Lentulus Filioli Patritiorum. Duo Campaniæ Legati. Supplices cives incendio afflicti.

Gracchus. MIserere Cæsar! *Omnes.* Miserere! *Titus.* Tristis aspectus, frater! Proceres! - - horridum spectaculum! *Domitianus.* Sic placuit Diis furere. Ferendum. *Omnes.* Miserere Cæsar! *Titus.* Misereor, cives mei! oculi vulnerantur, & animus: moventur viscera! Pater sum. Ah! cur Deus non sum, qui juvat verbo! *Domitianus.* Sic est. Cœlum, Jupiter, Dii fatigandi clamoribus! juvent, qui damnum fecerunt, & levare momento possunt. *Titus.* Atqui frater, Jovis personam Titus in terris habet. Meum est juvare. *Civis 1.mus* Perii totus, nisi me, Cæsar, juvas. *Civis 2.dus* Omnes meæ opes in cineres subsiderunt. *Civis 3.tius* Vix seminudus evasi furentem flammam. *Civis 4.tus* Una me hora ex opulento ege-

* Bustum urbis adhuc fumantis prospicitur.

egenum fecit. *Civis 5.tus* Mihi Calamitas non opes modo, sed etiam charissimum filium abstulit, sub domus ruina sepultum. *Omnes.* Miserere Cæsar! *Gracchus.* Huc admovete genua. *Camillus.* * Hanc etiam miseram turbam, Auguste, respice. *Titus.* Quam vos miseriam gemitis? *Rutilius.* Nobilium parentum filii sumus, quos luctus prohibet prodire in publicum. *Brutus.* Ad incitas per atrox incendium redacti Patres jam non habent, unde nos alant honeste. *Omnes.* Miserere Cæsar! *Titus.* Surgite! ego alam. Vultis paternam domum mutare cum aula? *Lentulus.* Volo, si velit Parens. *Titus.* Ite, & veniam poscite. *Domitianus.* Inutili turba implebis Palatium? *Titus.* Frater, quibus ego non indigeo, ipsi indigent me. *Parvuli omnes.* Vive Auguste! aurea vive sæcula! *Legatus 1.mus* Infelices etiam Campanos dignare, Cæsar, clemente intuitu! *Titus.* Ah! scio, amici, scio, furens Vesuvius miseram Campaniam fecit. *Legatus 2.dus* Sic est, Auguste! late agros exussit igneus torrens: squallent vastati agricolarum labores: tota regio sub effusis cineribus moeret. *Legatus 1.mus* Neque solus in nos Vesuvius sœviit. Cum tetra incendia ejectaret mons, simul concussa terrifico tremore tellus, turres, palatia, oppida, civitates prostravit. Jacent sub acervis congestorum lapidum totæ familiæ cum omnibus fortunis tumulatæ. Quanquam, quid multa verba facimus? Auguste! si quæ narravimus, usurpares oculis, lachrymas non teneres. *Titus.* Etiam audita movent. Pater non est, quem nullæ afficiunt liberorum ærumnæ, nisi quas videt. Solabor, ut possum. Consultandum de modo. Post paulum redite ad me. Vos, cives, hoc scitote: quidquid incendio periit, periit mihi. Faxo, ut sentiam damnum solus. *Cives!* Jo! vive Auguste! aurea vivè sæcula! *Titus.* Gracche, quid ad afflictorum solatium fieri jusserim, ex Paulino intelliges. Exequere cito. *Gracchus.* Ad nutum. **

SCE-

* Porriguntur libelli supplices varii. ** Clauditur prospectus basti.

SCENA SECUNDA
In aula.

Personæ. Titus. Domitianus.

Titus. TU frater, quibus oculis has miserias vides? quibus auribus querelas audis, & gemitus? nam quid sibi iterum hoc triste silentium velit? rursum te affligit hæc cura, quam pro afflictis gero? ecquando mollescet rigidum pectus, & patientibus compati discet? eccur tibi mea beneficentia displicet? Ego, frater, sic existimo, oportere, ut talis sit erga subditos Imperator, qualem optaret esse Imperatorem sibi, si esset subditus. *Domitianus.* Ego tamen modum in largiendo facerem, si essem Titus. Concham me esse crederem, non canalem. Canalis, quam accipit aquam, effundit continuo. Itaque nunquam impletur ipse, sæpe siccatur etiam. Concha tenet: nec, nisi quæ superfluunt, guttas arentibus herbis tribuit, semper abundans. *Titus.* Verum, cum herbis non sufficiunt guttæ, nonne Conchas totas effundit prudens olitor? Incendium cogita: nulli puteo parcitur. Quidquid uspiam aquarum est, confertur in bonum commune. Huic est natus Princeps, non sibi, indignus suo nomine, si nescit, Regem propter subditos esse, non subditos propter Regem. *Domitianus.* Bene hoc quidem, si voluntati adsit facultas par. Atqui exhauries ærarium per tantam beneficentiam. Non ita decet. Pecunia belli nervus, pacis nutrix, custos est Majestatis. Contemnunt populi Principem pauperem. *Titus.* Pauper non est, qui divitibus imperat, & amantibus sui. Opes meæ tutius depositæ sunt in cistis subditorum, quam in ærario, quod raro exhaurit Liberalitas Principum, sæpius expilant vitia. Si diligor, non modo bona populi mea sunt, sed etiam sanguis & vita. At nihil me juvat aurea Neronis domus, si exosus sum

meis, & veluti pestis, aut bellum inter publica mala numeror. Parcamus, frater, superfluis sumptibus, & pompæ inani: ita habebimus, unde semper possimus egenis succurrere. Quid me ostentatio majestatis afficiat? non ædificata amphitheatra, non edita spectacula, non peregrinæ belluæ emissæ in circum posteris commendabunt: Amor populorum, amor me faciet immortalem. Optimus sit, oportet, qui cupit esse maximus. *Domitianus.* Enimvero res grandis, amari a vili plebecula! res digna, quam tanto pretio, & regiis thesauris emas! cessa tonare Jupiter, sepone fulmina! amore regendi sumus! *Titus.* Sic est, Frater, amore nos regit Jupiter: neque est timendus, nisi rebellibus. Quanquam & contumacibus quam diu parcit, ut beneficentiæ clementiam jungat? Crede mihi, per hanc geminam laudem facimus nos similes Diis. Nihil habet Principis fortuna melius, quam ut possit, nihil natura, quam ut velit, benefacere plurimis. Sanguine pascuntur, ac crescunt leones, & ursi. Itaque fugiuntur, & odio sunt. Dignitas regia hoc solum amabile habet, quod possit amabilem facere. Neminem oportet a Principe tristem discedere. Juvandus est, quisquis rogat, ut sentiat, se Patrem rogasse. Hanc mentem si aliquando indueres, frater, non adeo tibi ultra Titus videretur indignus Imperio. (*Abit.*)

SCENA TERTIA.

Personæ. Domitianus. Fabius unus ex conjuratis.

Domitianus. IMpera Frater! ecce! *Non adeo tibi ultra Titus videretur indignus Imperio!* nempe delatus sum.* Quid agimus, Fabi? ego mihi fratri de scelere suspectus videor. Notas mali ominis in vultu legi: & vox asperior solito, plus

* Exit Fabius.

plus significat, quam verba sonant. Quis prodidit nostra Consilia? *Fabius.* Si proditi sumus, Princeps, ignosce, a te ipso sumus. Nam quid dissimulem in tanto periculo? Nimium naturæ obsequeris. Ambitio in oculis emicat, furor incendit vultum, ira linguam incitat: quid de proditore interrogas? *Domitianus.* Nempe ex assentatoribus me esse cupis? *Fabius.* Haud sane! sed si laudare non placet facta fratris, saltem non vituperasses. Dissimulatio ars est aularum inter innocentissimas una. *Domitianus.* In ministris toleranda forte, sed non in fratre, qui amat fratrem. *Fabius.* Hei! laudate amorem Dii, quo frater fratri imperium invidet. *Domitianus.* Prope jam pœnituit, Fabi; nam inanis, puto, conatus erit. Fac enim, per fratris Cadaver in solium scandam, num Roma patiens feret? *Fabius.* Nimirum tu Romam times? quippe qui nescias, multa patere scelera, quorum auctores latent? Sero pœnitet, postquam cœpisti suspectus esse. Non sistit auriga currum, quem semel in præceps dedit. Quod agimus, agamus cito! * Quid in Hispania cogitas agere, quod potest agi Romæ? *Domitianus.* Matura ad facinus consilia habes? *Fabius.* Si tu maturum animum. Erigere in magnas spes: hodie peragetur Tragœdia. *Domitianus.* Quæ cædis occasio? quis modus? *Fabius.* Tutius hæc in cubili doceam. *Domitianus.* Ingredimur. *Fabius,* Prosequar statim, si prius liceat tria verba Æmilio loqui. *Domitianus.* Quid illi tecum? *Fabius.* Explorare juvat, quid hodie, aut ubi acturus sit Augustus. *Domitianus.* Sic age. Ego odi hominem omnium arcanorum fratris præ fratre conscium, quia magis popularem. Huic & pluribus aliis hodie necesse erit mutare vultum, & reverentius inclinare se mihi. *Fabius.* Certe hodie; nam nisi celeriter obstruimus fontem tantæ profusionis, hæres eris exhausti Imperii. *Domitianus.* Intellexi. Age graviter.

C 2 SCENA

* In Hispania volebat Domitianus Titum bello persequi.

SCENA QUARTA.

Personæ. Fabius. Æmilius alter ex conjuratis.

Fabius. AGam in meum commodum, & tuam perniciem. * Te volebam Æmili: nunquid ab Cæsare venis? *Æmilius.* Ab Cæsare. *Fabius.* Quid acturus est hodie? *Æmilius.* Princeps est Fabi, dignus annalibus. Ah! quo rapimur, amice! Vivat per nos, Princeps, quem immortalem optat Romanum imperium. *Fabius.* Vah! quæ vox me attonat? *Æmilius.* Quam excutit horror animi stupentis audaciam suam, & propinqui sceleris cruentam faciem. *Fabius.* Quid loqueris, miser? Repente adeo evanuit splendor Imperii? *Æmilius.* Perstringunt oculos radii diadematis: per tela & enses cuilibet rapiam, sed non Tito. *Fabius.* Nam quid adeo mentem mutavit? *Æmilius.* Titi bonitas: ipse nosti. Sed quanta nunc splendet! Publica mala, quæ affligunt provincias, velut propria sentit. Nunc accingit se sacrificio, quod Jovi hodie in Capitolio faciet, ut deprecetur, testatus sæpius, se quoque victimam esse velle, si ita Diis placeret. *Fabius.* Magna anima! sed quos selegit pompæ comites? nam solenni utique supplicatione procedet? *Æmilius.* Minime. Ludos nunc populo dabit: deinde in forum adducet, ubi ornamenta prætoriorum omnia jubebit sub hasta vendi. Jamque onerantur muli picturis, vasis, tapetibus, & quæ sunt alia majestatis parerga. *Fabius.* Ecce! huc adigit hominem plebeja ambitio! *Æmilius.* Interim solus ascendet in templum, solos habiturus comites ephebos nunc recens adlectos, quos me jussit accersere, causatus, innocentium calamitate proposita facillime Deos moveri. *Fabius.* Prudenter, & ex obligatione Pontificis maximi, cujus munus suscepit. Et nulli erunt Flamines ministri rituum? *Æmilius.* Erunt pauci,

* Exit Æmilius.

pauci, quos jam jussit moneri. *Fabius.* Bene omnia. Jam tu hoc scito: hodie peribit Titus: hoc fixum. Et donec perierit, tu nusquam abibis ab isto latere. Hem! quò est ventum? Paulo ante amicum, jam cogor proditorem timere! *Æmilius.* Ridiculum! tune dubitasse me, serio credas? sic Æmilium nosti? errare desine. Te exploravi. Me quod attinet, quid faciam? trepidare Cæsar incipit, & suspicari malum. Non latebimus diu. Sic in laqueos pedem indui: nec extricabor, nisi incidam. Haud licet jam ire retro. Quod nuper suasit spes, nunc urget desperatio: perii, nisi pereat Titus. Jacta est alea. Tuus sum. *Fabius.* Vive fortis! sic dignus es, cui tandem revelem arcanum, celatum hactenus. *Æmilius.* Age! *Fabius.* Sub Domitiano latebimus. *Æmilius.* Accessit partibus? *Fabius.* Totus. *Æmilius.* Dudum visus est sitire fraternum sanguinem. *Fabius.* Dabo hodie pocillatores. *Æmilius.* Quo nostro fructu? *Fabius.* Maximo. *Æmilius.* Nullo. Nam ipse rapiet coronam sibi. *Fabius.* Imo cum fratre cadet. *Æmilius.* Hoc opus, hic labor novus. *Fabius.* Vix aliquis. Nempe Titum amat populus, amat exercitus. Utrique patratam cædem nos nuntiabimus auctores pariter & duces vindictæ contra scelestum fratrem. Crede mihi: ruet in arma populus, peribunt sicarii, perimetur Domitianus, nos patres patriæ, nos Cæsares, nos Dii erimus. *Æmilius.* Eja! elegans nodus fabulæ, quem nemo solvat, nisi adductus per machinam Deus. Amo te Fabi! en dextram! *Fabius.* Age personam strenue. Cum catastrophe bene cesserit, clamabimus: plaudite! & duorum capitum impendio omnium capita inclinabimus nobis. Sed Gracchum video.

SCENA QUINTA.

Personæ eædem, & Gracchus cum tubicine.

Gracchus. Hic tuba insonet. *Æmilius.* Nempe ad ludos convocas populum, Gracche? *Gracchus.* Certe ad ludos, quibus lætiores vix viderit Roma. Tu * jam urbem reliquam recrea. Orbilius Causidicus, & Lælius judex agent, flagris cædendi palam, & vœnum exponendi in medio foro. Qui triginta sestertios dabit, habebit utrumque servum. *Fabius.* De quo crimine damnantur rei? *Gracchus.* Orbilius viduæ pauperis causam malis artibus oppressit. Lælius rustico fecit injuriam: convictus uterque de vi & dolo has pœnas dabit, cum plausu populi, qui Augusto justo & pio meritas laudes dicet. *Fabius.* Gravis pœna pro culpa levi. *Gracchus.* Scilicet se lædi credit Cæsar, cum membrum corporis læditur, cujus ipse est caput. Itaque fratrem etiam pro reis precatum accedentem, ne admisit quidem. *Æmilius.* Domitiano ajs, negavit alloquium? *Gracchus.* Ajo. Ille furit, & questibus aulam implet. *Fabius.* Pro more, & indole. *Gracchus.* Pro! quam nactus est dissimilem fratri! *Æmilius.* Avertant superi, ut non lugeat id Roma brevi! *Gracchus.* Precamur Cælites, ut vivat, & regnet Titus superstes diu. *Fabius.* Optandum. Sed timeo Domitiani ingenium ferox. *Æmilius.* Forte atrociora jam suscepisset pridem consilia, nisi nostram timeret fidem. *Gracchus.* Sic vos Roma amet. Pergite vigilare saluti communis Patris. *Æmilius.* Nihil omittemus: & si gravius quid suspicabimur, tuam, Gracche, & populi appellabimus fidem. *Gracchus.* Etiamsi petatis sanguinem, fundemus totum. *Æmilius.* Nunc age ludos tuos. *Fabius.* Sed Orbilium & Lælium, nolim, ut alteri, quam mihi vendas. Emptos Domitiano donabo, ut sit

* Ad tubicinem.

sit pacatior. Gratis habeat sibi, quos precibus petiit. *Gracchus*. Consilium bonum. *Fabius*. Et in prætoriis quid agitur? jam nuda sunt? *Gracchus*. Penitus. Hoc ipsum etiam præco nuntiat. Mox exponentur pretiosæ merces in campo Martio. Beneficium est omnibus futuris sæculis admirandum. Sed eundum. *Æmilius*. Perge.

SCENA SEXTA.

Personæ. Æmilius, Fabius conjurati.

Fabius. AD votum omnia. Populus in foro erit, Titus in Capitolio, ille absorptus lætitia, hic intentus religioni, cum paucis, & inermibus, prope solus. Cudamus, dum calet ferrum, & furit Domitianus. Ego illi Orbilium, & Lælium dabo. Recens dolor, vindictæ rabies, spes libertatis in omne facinus viros trahent. Tu, Æmili, cum audita cædes fuerit, procurre ad populum, ego ad milites ibo: in aula Domitianus, in templo Sicarii cadant. Sic fiet, ut extra periculum, imo & quæstionem simus. *Æmilius*. Prudenter exacta sunt omnia. Ephebos advoco. *Fabius*. Ego, quæ sit facies rerum, Domitianum admoneo.

SCENA SEPTIMA.

Personæ eædem, & servus Fabii.

Servus Fabii.* DOmine, missus ex aula famulus ad ædes venit. Vocaris ad Cæsarem. *Fabius*. Ad Cæsarem ego? quid est negotii? *Servus*. Incertum. *Fabius*. Bene est. Tu vero in forum perge, & eme servos, qui vænum prostant.

Ser-

* Exit Servus.

Servus. Domum ducam? *Fabius.* Domum. Æmili, vere hoc dictum est: posuit hæc Deus simul, peccatum, & timorem. Tremisco totus. *Æmilius.* Fingenda securitas vultu, cum pectus palpitat. *Fabius.* Sic nos periment lenta consilia. Nam cur nunc citor? *Æmilius.* Metuo. Sed parendum. Tene constantiam modo, & cave, ne pallor oris, aut linguæ tremor conscientiam prodat. *Fabius.* Necessitas hanc legem scribit difficilem recens reo. *Æmilius.* Facilem metus faciet majoris mali. Impera tibi. *Fabius.* Conabor. Tu vigila, amice, mihi, & tibi, & si quid pejus mihi contigisse audieris, destinata cum Domitiano exequere cito. *Æmilius.* Cum Domitiano nempe, qui mihi confidit nihil, odit etiam? *Fabius.* Commune periculum amicum faciet. Credet se tibi, si tu te ipsi. *Æmilius.* Confundor totus. Perge modo: suggeret consilium tempus. Mihi ante omnia adducendi sunt nobiles pueri. *Fabius.* Inferi! victima vobis Titus cadet, si nunc evado.

SALTUS.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

Personæ. *Paulinus Militiæ Præfectus. Gracchus. Cives. Sicarii. Servus Fabii. Agasones. Legati Campaniæ.*

**Servus.* DEcem, quindecim, viginti, viginti quinque, triginta. *Gracchus.* Tui sunt. Abduce illos. Vos discite per experientiam, quam misericordia digni sint miseri. *Civis 1.mus* Nos plaudimus pio, & justo Cæsari! *Omnes.* Pio ac justo bene sit! vivat! perennet! *Paulinus.* Merito acclamatis.

In-

* Loci mutatio pro novo actu non est nova. Ex aula prospectus est forum, in quod muli aulæ ornamenta vendenda deportant.

Ingrediuntur etiam onusti jam ornamentis prætoriis muli Cæsarei. In campum Martium pergite: ibi fiet venditio. Sic vos amat Cæsar. *Civis 2.dus* Amor & delicium nostrum Cæsar vivat! *Omnes.* Vivat! *Paulinus.* Quin ecce adsunt. * *Omnes.* Amor & delicium nostrum Cæsar vivat! *Legatus 1.mus* Quæ jubila audio inter tantas calamitates? *Paulinus.* Tota calamitas Cæsarem premit. En ! ipse egere mavult, quam egenis imperare. *Legatus 2.dus* O Verum Patriæ Patrem! *Legatus 1.mus* Bonitas excedit modum. *Paulinus.* Nam quis unquam talia aut legit, aut audivit de Principe? *Gracchus.* Felix posteritas, cui tantum exemplum Reges pariet heroicæ charitatis æmulos. *Legatus. 1.mus* Estne, amice, inter Deos aliquis Tito par? *Paulinus.* O quanto jucundius splendent sic nuda prætoria, quam nitebant ornata! Sic spoliata palatia, supra omnia mundi miracula clarescent orbi. Sed mihi curandum in foro est. *Gracchus.* Mihi vero Princeps adeundus, & referendum de venditis reis. *Legatus 2.dus* Quin tu nostram quoque præsentiam nuntias: nam adesse jussit. *Gracchus.* Nuntiabo. **

SCENA SECUNDA.

Personæ. Domitianus. Duo Legati Campaniæ.

Legatus 1.mus QUantum est, amice, cœli beneficium Princeps bonus! Soli optime comparavero, cujus aspectus omnium oculos, & animos recreat, solis bubonibus gravis. *Legatus 2.dus* Et contra quam crudeliter puniunt regna Dii, cui Regem imponunt malum! Cometa est, cujus vel intuitus terret, horridarum calamitatum præsagus. *** *Domitianus.* Etiam vos adhuc video hic moras trahere? exactores molesti! Quo usque ferali ululatu fatigabitis Cæsarem? *Legatus 1.mus*

* Prodeunt Muli. Abeunt Cives. ** Clauditur. *** Exit Domitianus.

Bonitas, Princeps, audaces facit. *Domitianus.* Quin aperte dicis, impudentes. Omnes aurifodinæ vix sufficerent tot mendicabulis. Miror, viros nobiles causæ tam plebejæ patronos agere. Sinite conflictari Campanum vulgus cum miseriis suis: non habebimus subditos modestiores, nisi cum miseri sunt. *Legatus* 2.dus Nimis durum est, Princeps, pati, & habere neminem, qui compati velit. Durus Princeps duros subditos facit, & in omne facinus obstinatos. *Legatus* 1.mus Humanum in homines imperium sit. Belluæ fiunt, si sentiunt, se tractari pro belluis. *Domitianus.* Hæc scilicet jactatis ad ingenium Titi. Cum imperabit Domitianus, mutabitis frontem & linguam adulatores Protei. *Legatus* 2.dus Nos vero optamus, Princeps, ut, cum fratri successeris, putemus non successisse, sed esse. *Domitianus.* Vota inania! cum imperabo, nihil ero sollicitus, quid vos optetis. *Legatus* 2.dus Pauci igitur erunt, qui optent, ut imperes. *Domitianus.* Si timeant, satis est. Sed quid expectatis denique? pauperem se Cæsar sua in pauperes beneficentia fecit, & nondum est quies? *Legatus* 1.mus Multa possunt Principes, etiam cum videntur nihil posse. Neque quod datur subditis, perit, sed spargitur in sementem. *Domitianus.* Imo sæpius luxuriat in herbas noxias. Quid multa, viri! Ego profusam fratris in promiscuum vulgus beneficentiam probare non possum: & erat vestrum, consiliis & opera prodigalitatem inhibere, non incitare. Foveri nobiles, probo. Serviunt splendori aulæ, & Cæsaris Majestati. At cives & rustici jumenta sunt, quibus præter paleas, & stabulum, & verbera, debetur nihil. *Legatus* 2.dus Ah! Princeps! non ita velles agi tecum, si unus de civibus, aut ruricolis esses. *Legatus* 1.mus Videris sane, nondum expertus esse, quam suave sit amari a subditis, etiam ex plebe. Res dulcissima, esse homini Deum, & omnes in se cordis affectus rapere. Hoc tributum jucundum est, & cogitur per violentiam, quam nemo odit. Vel Dii majus aliud exi-

exigere nequeunt, aut optare etiam, quam amorem, tanto beatiores, quanto amantur a pluribus. *Domitianus.* Ecce, hoc est, quod dixi. Hæc sunt vestra axiomata, quibus vos ad ingenium fratris componitis, ut placeatis; sed veniet dies, cum mutabitis mentem.

SCENA TERTIA.

Personæ priores, cum Tito, Gracchho, ac Fabio.

* *Titus.* IN tempore te offers, frater! Memini, te paulo ante deprecatorem pro Lælio & Orbilio accessisse ad me. Non audivi tunc preces. Sensisti acerbe, adverti satis; sed quid agerem? satisfaciendum postulatis justitiæ fuit, quam amo pro fratre. Sic me Principem voluerunt Dii, ut benefacerem populis, non ut male. Puniendi erant ergo, qui potestate vicaria abusi sunt ad injuriam miserorum. Nunc, postquam clementiæ potest esse locus, vide, quantum fraternis precibus dem, liberos esse volo. Provinciam, quam mavis, nomina, frater, in qua ignoti, & sine infamia idoneo fungantur officio. Pretium Gracchus reddidit; tu homines huc siste, Fabi, ut sciant, cui se debeant. Deinceps te accinge imperato itineri. *Fabius.* Adoro nutum. *Titus.* Sic age, ut te populus amet: Placebis augusto, si populo. Quem enim odit populus, ab illo vix credo curari bonum publicum, sed suum, quod mercatorum est, non Principum aulæ. *Fabius.* Intelligo. *Domitianus.* Ego tibi gratias debeo, Auguste frater! Fateor, huc me ferebam querendi causa propter negatum alloquium: sed offusam amaritiem absterfit non expectata humanitas. Accepto donum. *Titus.* Opto, frater, ut preces similes sæpius iteres. Animi sunt miseros miserantis. Vobiscum, amici, cras iter in cam-

* Prodit Titus.

paniam suscipiet Fabius, exploraturus, quantam cladem incensus Vesuvius fecerit. Opes eorum, qui sine hærede perierunt, non fisco adjudicabitis, sed dividetis inter eos, quos calamitas fecit egentiores. Deinde jussus est, pro æstimatione miseriæ oppida, & urbes afflictas ab omni exactione, & tributo liberas pronuntiare. Spero, non nullum solatium ex hac ordinatione afflictis fore. *Legatus 1.mus* Spe omni majus. Beneficium, Cæsar, facis, æternis laudibus dignum. *Legatus 2.dus* Et quod, si per te licet, ad futura sæcula in ære, aut marmore sub tua effigie perennabit. *Titus.* Hoc nolo, & serio prohibeo. Nam quem tu Titum existimas? Gloriæ famulari me putas, an Reipublicæ? vivant alii in ære, & saxo: ego cupio in animis vivere. Tanti me ipsum non habeo, ut imaginem mei velim subditorum pecuniis emere. *Gracchus.* Sic omnem grati animi affectum prohibes? *Titus.* Si beneficiis vos meis gaudere video, gratos agnosco satis.

SCENA QUARTA.

Personæ eædem, & Æmilius. Camillus. Rutilius. Brutus. Lentulus Ephebi a Tito recens adlecti.

* *Æmilius.* ADduco, Auguste, quos petebas, pro sacrificio ministros. *Camillus.* Prompti, etiam victimæ, si jubes, erimus. *Rutilius.* Pro Diis & pro populo gloriosum est mori. *Brutus.* Vitam pro bono publico accepimus: pro bono publico oportet reddere. *Lentulus.* Oportet: nisi turpiter degeneres a majoribus simus. *Titus.* Macte animis, generosa pubes! Crescite in magnas spes! Magnanimi sensus, quos hausistis a parentibus, nutrientur in aula mea, si cum hac mutare potestis paternam domum, & patres sinant. *Camillus.* Prope omnem

* Æmilius prodit cum Ephebis.

nem calamitatis memoriam abstersit parentibus tantæ gratiæ nuntium. *Rutilius.* Quid posset optatius nobis contingere, quam si pro Patre liceat vereri Cæsarem? *Brutus.* Utinam nos simus filii digni te! *Lentulus.* Saltem conabimur, Cæsar, ut tui te beneficii nunquam pœniteat. *Titus.* Placet hic vester animus. Parens ero. Faciamus a Jove principium. Nam hoc scitote: prima mihi cura Religio est erga Superos: altera, charitas erga subditos. Exemplum dabo. Capite ab Æmilio sacrificii instrumenta, & vestes. * Vos ** reditum maturate ad vestros, ne diutius absque solatio sint. *Legatus 1.mus & 2.dus* Feremus amplissimum. Servent te Dii, Cæsar, incolumem diu! *Titus.* Accepto votum, si acceptum est Diis, & utile populis: si aliter cœlo visum, commendo vos fratri. Valete. *** *Domitianus.* Ego te frater immortalem opto. *Titus.* Imo facies, si imiteris. *Æmilius.* Implevimus jussa Cæsar. *Titus.* Quod igitur felix, faustumque sit, & ad communem charissimi mei populi felicitatem, uti opto, eveniat, Cæsarem exuo, Pontificem induo. **** *Gracchus.* Faxit Cœlum, ut hæc purpura nunquam ornet humeros minus religiosos. *Titus.* Admoniti sunt Flamines? *Æmilius.* Jam adduxerunt victimam, & lustrationibus vacant. *Domitianus.* Licetne comitem ire? *Titus.* Frater, scis morem meum. Libentius lito solus. Adeste dilectissimi! vestra innocentia, & devotio plus, confido, quam omnes victimæ, placebunt Jovi. *Camillus. Rutilius. Brutus. Lentulus.* Optamus, Cæsar! * *Domitianus.* Vos, cum servos emptos adduxerit Fabius, intrare ad me jubete. *Gracchus.* Ut jubes, Princeps. * *Abit Domitianus.*

* Accipiunt thuribulum &c. ** Ad Legatos Campaniæ. *** Abeunt Legati. **** Paludamentum ponit, & gladium & cidarim, traditque Gracchø. * Abeunt.

SCENA QUINTA.

Personæ. Æmilius. Gracchus.

Gracchus. QUotidie suavioribus gaudiis exultat animus Titum cogitans, quotidie se majorem. Heri audivimus eum, cum sub vesperum recordaretur, se nulli per diem beneficum fuisse, cum nobili gemitu exclamantem: Amici, diem perdidimus! hodie quantis benefactis negligentiam expiat? *Æmilius.* Certe ingentibus. *Gracchus.* Tantæ virtutis amabilitas etiam ipsum Domitianum affecisse videtur: ita placidus adstitit, sine motu, sine rugis, ut prope injuriam fecisse te credam, cum suspectum de ambitu habuisti. *Æmilius.* Adhuc habeo. Noli decipi: sæpe malacia propinquæ tempestatis est nuntia. Crede mihi: Domitianus non amat Titum, & (utinam fallar) concepit monstrum ambitio, atque jam parturit. Si expectamus partum, væ Romæ! væ Imperio! *Gracchus.* Potes, Æmili, concipere tam atrocem metum? *Æmilius.* Notum mihi superbum & ferox ingenium. Amavit Titum, dum vixit parens, dum fuere æquales. Majorem, semper suspexit cum suspirio. *Gracchus.* Hoc quidem credo. Sed & id scio, jactasse sæpe querulas voces, quibus amorem carpebat, quo subditos amplectitur Titus. Servire illum, dicebat, non imperare. Quanquam vere, quid est imperium, nisi servitus? Neque enim fieri potest, ut bene imperet singulis, qui non servit universis. *Æmilius.* Ita. Et secus qui fecerit, tyrannus erit, non Dominus. *Gracchus.* Cæterum præter innoxios gemitus, & verba pereuntia crudelius aliquid machinari Domitianum, difficulter adducor, ut credam. Frater est. *Æmilius.* Frater est! Qui ergo Romulus & Remus, qui novissime Nero & Brittanicus fuerunt? Libido dominandi quam parum respiciat cognatum sanguinem, omnes historiæ, omnes fabulæ docent. Hæ virum

Rei-

Reipublicæ ſtudioſum anxium jubent eſſe, & vigilem. *Gracchus.* Agnoſco. Sed quid ſuades? *Æmilius.* Mihi etiam Fabii cum Domitiano amicitia timenda videtur. Ingenium eſt homini ſimiliter ferox, & durum pro plebe: quid ſi ſimilia conſilia forent? *Gracchus.* Video non eſſe timores vanos. Amet te Cœlum, Æmili, qui adeo ſollicite pro noſtro delicio angeris. *Æmilius.* Sine, ut hic ſolitarius expectem hominem. Explorandus eſt cum aſtutia. *Gracchus.* Age, quod agis, ſtrenue. Si quid opus erit mea opera, fac, monear in tempore. *

SCENA SEXTA.

Perſonæ. Æmilius. Fabius.

Æmilius. ITa faciam. Gaude Æmili, jam via ad ſolium ſtrata eſt! ringentibus Æmulis, imperabis. Faventem Gracchum habes, & cum Graccho populum. ** Tandem te video! & ubi Lælius, Orbilius? *Fabius.* Nempe inſtrui debebant ad deſtinatum facinus. Opus tempore fuit. *Æmilius.* Ut animati ſunt? *Fabius.* Quam optime. Pudor & dolor prope in rabiem egit. Securi ſumus. Nulla de nobis Tito ſuſpicio eſt. In Campaniam me ire cum Legatis juſſit, ut conſoler afflictos. Adeo innocens videor. *Æmilius.* Ecce! quando ibis? *Fabius.* Nunquam, ſi hodie Titus perit. Præterea juſſit me libertatem nuntiare divenditis: adeo confidit. *Æmilius.* Et tamen furunt? *Fabius.* Scilicet ſilui de beneficio: ſupplicii injuriam exaggeravi. Ruunt in exitium Cæſaris. *Æmilius.* Etiam in Domitiani & ſuum. Nam ego interim Gracchi animum ſuſpicionibus implevi atrocibus. Ut primus ſe fundet de cæde rumor, citabit in arma populum. *Fabius.* Belle omnia. Ego nunc Domitiano referam, quid fiat. Deinde ad Paulinum & milites ibo. *Æmilius.* Ego vero in excubiis ero. Plaude anime! coronam teneo.

CHO-

* Abit Gracchus. ** Exit Fabius.



CHORUS I.

Apollo propter occisos Cyclopes læsi Jovis se reum videns spontaneo se exilio multat. *

Personæ. Apollo, Diana. Vulcanus. Cyclopes. Fauni. Venatores.

Diana ad Apollinem Fratrem. Ecce!
Jam fervent studia venatorum tuis honoribus.
Apollo. Bene est. Hæc placet, soror, statio.
Diana. Ego interiora nemoris mihi eligo.
Apollo. Io Pœan! Optatæ in tela occurrent belluæ.
Diana ad Cyclop. Cessate malleis: nam feras avertitis.
Auditis cornua?
Otiosi potius spectate hilaria Dianæ studia.
Brontes Cyclops. Tuum est imperare, Dea suavissima.
Sterops. Quin & pro malleis, socii! nos quoque sumimus venabula?
Pyracmon. Sumamus! Juvat respirare,
Et venantûm gaudia post labores gustare.
Brontes. ** Heu socii! interii!
Pyracmon. Prô Superi!
Sterops. Hiat pectus immani vulnere!
Pyracmon. Morientem vindicate furiæ! en iterum! ***
Sterops. Heu frater! percussus sum! morior!
Pyracmon. Juve Mulciber! Eja! quisquis es hostis, progredere!

Apollo.

* Theatrum exhibet sylvam cum monte Ætna & officina Cyclopum.
** Ab Apolline latente sagitta percussus. *** Cominus hasta transfigit eum Apollo.

Apollo. Sceleste! Morere *
Pyracmon. Heu me Apollo! Apollo!
Apollo. Io! felix venatio!... jam sorori me associo.
Pyracmon. Maledicte Apollo!
*Vulcanus.*** Incudes cur silent hodie!
Vah! dirum sepectaculum!
Confixi telis famuli in suo natant sanguine!
Quis tantum patravit nefas? edicite.
Pyracmon. Heu! Apollo! Apollo!
Vulcanus. Apollo? Intelligo. Jam tu tranquille morere!
Propitium precor Plutonem in orci limine.
Ego vero vos, & læsum in vobis Jovem vindicabo:
Deos omnes in protervìæ ultionem armabo.

ARIA.

NOs Jovem amamus:
Pro Jove pugnamus!
Offende Jovem: omnia
Offendis Numina.
Per Jovis Majestatem
Tuemur potestatem:
Et quidquid habemus,
Tonanti debemus:
Si non regnaret Jupiter,
Quis esset Mulciber?
Eja! Faune! Faune! & quidquid Sylvestrium
Hîc adest Numinum,
*** Ad arma! ad arma!
Faunus. Quis furor incendit Vulcanum?

* Abit. ** Prodit. *** Prodeunt Fauni fustibus armati.

Quis vindicem armavit manum?

Vulcanus. Videtis meorum ſtragem ſervorum.
Offenſus eſt Jupiter, Apollo reus: vindicemus!

Faunus. Quod juſtum eſt, exigis. Jovem amamus!

Chorus Faunorũ. Offenſum Jovem vindicamus!

Faunus. Tu modum edoce.

Vulcanus. Advertite!
Nullus dubito, quin adhuc latro vagetur in nemore.
Vos ergo hæc cadavera tumulate,
Et cum lamentabili leſſo inferias date.
Excitus tumultu Apollo procedet: capite!
Tonanti ſiſtite!

Faunus. Ex tripode.

Vulcanus. Ego præeo, & omnem rei ſeriem Jovem edoceo.

Faunus. Intelleximus. Ubi autem ſepeliemus cadavera?

Vulcanus. Specus, quæ fuit vivis officina laborum,
Sit ſepulchrum defunctorum. *

Faunus. Ergo ſtrenue voces & manus jungite.
Ego leſſum intono.

Chorus Faunorum.

LESSUS.

1.

Heu! Eheu!
Dii Superi! Dii Medii! Dii inferi
Lugete!
Divinis digni lacrymis
Sunt fabri flammæ Vindicis,
Qua templa tuemur,
Et thura meremur:
Lugete!

* Abit.

2. Heu

2.

Heu! Eheu!
Sic denique, sic Siculæ silebitis
Incudes?
Et tuum, Phœbe, facinus
Sit tutum a fulminibus?
A pœna immune?
Sic Jovi impune
Illudes?

3.

Heu! Eheu!
Sta, quisquis sis, qui præteris, sta! mortuis
Precare,
Ut sint Tonanti stygio
Priore ab officio,
Et pergant Plutones
Adversum latrones
Armare.

Apollo ex nemore prodiens cum Diana.

Heus vos! quid tantis tumultibus Ætnam concutitis?
Faunus. Socii! celeriter reum cingite! ad Jovem trahite!
Diana. Stupidi! Non nostis Apollinem.
Chorus Faun. Novimus Cyclopum latronem: ad Jovem! ad Jovem!
Apollo. Vim patior! Socii, stringite venabula!
Diana. Vos tela expedite!
Apollo. Cessate, aut perite!

Chorus Faunorum.

Jovem nos amamus:
Jovem vindicamus!

Chorus Venatorum.

Cessate! aut peribitis:
Nec Jovem vindicabitis.

Faunus. Cedamus! Ipse occisos Cyclopes sciet ulcisci Jupiter.
Jam prodidit te Mulciber. *

Apollo. Heu soror! quid audio!
Jovi reus sum de latrocinio: quo fugio?

Diana. Siccine? Fratrem latronem habeo Ministrorum Justitiæ? ...
Ah! Frater! Quæ te agitarunt intemperiæ?

Apollo. Furens dolor de perempto a Jove Æsculapio
Suasit facinus, quod jam horreo.

Diana. Infelix venatio! sic frater ausit sororem decipere,
Et tanti sceleris participem facere?
Si temeritas Æsculapii meruit fulminari,
Quo supplicio impietas Apollinis debebit mactari?
Miser! an poteras ignorare,
Quid sit contra Jovem ter optimum, ter maximum rebellare?

A R I A.

Est bellum funestissimum,
Infaustum semper prælium,
Quod consule furore,
Aut scelere suasore
Contra Regem
Contra sanctam Cœli Legem
A subditis habetur.

Con-

* Abeunt Fauni. * Fauni dimittunt Apollinem a venatoribus territi.

Conjura cum gigantibus:
Impone montes montibus:
Struxisti Mausolæum
Pro Irrisore Deûm:
Quod in Cœlum
Sceleratum mittes telum,
In fulmen convertetur.

Apollo. Ergo, quid suades soror?
Diana. Nempe quid superest, nisi ut Numinis optimi maximi
Te tradas arbitrio.
Placabitur
Apollo. Durus est sermo, quem audio.

ARIOSE.

Apollo.
Difficilis est gratia,
Quam cogis exorare:
Quid? ego supplicare?
Apollo sum:
Jovi genu flectere,
Et: ignosce! dicere
Superba est petitio:
Intolerabilis:
Apollo sum:
Ego supplicare?

Diana.
Sed facilis est venia
Si potes supplicare.
Quid? tu deliberare?
Rebellis es!
Jovi genu flectere,
Et: ignosce! dicere
Æquissima conditio:
Inevitabilis:
Rebellis es.
Tu deliberare?

Malim trisulca a flama perire:
Cœlo extorris Plutoni servire:
Quam pati, ut Ego
Dicar Jovi supplice
Accidisse poplite.

Peri insane, si juvat perire:
Servi Plutoni, si lubet servare:
Et ego te nego
Esse fratrem Cynthiæ:
Sint sorores Furiæ. *

* Abit.

Apollo. Abiit. Quid jam consilii mihimet suggero? .....
Quid? si Apollinem alienis vestibus tegerem,
Et breve exilium mihimet indicerem? . . . .
Bonum est consilium.
Sæpe in rebus desperatis tempus tulit auxilium.
Mutantur tempora: & tempora mutata
Non raro mutant fata.

ARIA.


Cum Cœlum nigrescit,
Et mare tumescit:
Prudentis est velle latere,
Et navem in portu tenere,
Dum cœli mutandi,
Et maris pacandi
Est melior spes.

2.

Qui patiens moræ,
Et memor est horæ,
Qua hyemem ver subsequetur:
Is rosas de spinis meretur:
Afflictas cunctando
Et bene sperando
Restituam res.



ACTUS



ACTUS III.

SCENA PRIMA.

Personæ. Æmilius. Gracchus. *

Gracchus. SIc, ais; periit amor, & delicium nostrum? *Æmilius.* Sic, ajo, nam ita flens, & ejulans Rutilius mihi. *Gracchus.* Peremptus nefario scelere Titus jacet? *Æmilius.* Acerbus dolor medullas vorat. Jacet! *Gracchus.* Ferrum Sicarius adegit in viscera? miseram Romam! & o nimium exosam Superis! nam quantæ nos calamitates obruunt simul! Campaniam terræ motus, & ignes ejectans vastavit Vesuvius: Neapolim pestis populatur: Roma adhuc ab incendio fumat, & tot cladibus additur funesta cædes ejus, qui solus poterat afflictos solari! Miseram Romam! Sed quis Sicarius? *Æmilius.* Gracche, hæc nunc est quæstio intempestiva. Auctorem cædis facile divinabis: nunc id agendum, ut non sit idem successor, & sceleris præmium coronam ferat. *Gracchus.* Lubet votum repetere, quod Roma olim Augusto fecit: utinam Princeps tantus aut nunquam natus, aut nunquam fuisset mortuus! *Æmilius.* Et utinam ei succederet saltem, qui imitari vellet. Me quidem, Gracche, ita affecerunt divinæ virtutis exempla, ut sæpe oraverim Deos, ne post Titum, alteri cuidam, quam mihi, paterentur committi imperium. Sed nolim, amice, ut te offendat hæc libera Confessio, quam non ambitio, sed amor populorum expressit. Servire cupio, cum ambio regnare. *Gracchus.* Gentem Æmiliam novi. Superest læta tuorum Majorum memoria, eosque gaudemus revixisse in te. *Æmilius.* Nihil ego ista decora memoro. Sunt majora in aliis. Sed quo animo, Gracche, quo animo alii erga

Rem-

* Aperitur Aula.

Rempublicam, erga populum ſint, neſcio: optimo eſſe me, hoc ſcio. *Gracchus.* Neque hoc neſcit populus, Æmili. Quin ego nihil dubito, quin plerique te ſucceſſorem Titi tacitis votis ſint optaturi. *Æmilius.* Fac igitur, ut petant etiam unanimi voce. *Gracchus.* Nempe niſi eſſet Domitianus timendus. Fraterno jure coronam rapiet ſibi. *Æmilius.* Domitianus? ſcilicet Titi frater! latronem voca, & parricidam. Nam dubitas adhuc nempe, ab ipſo armatum Sicarium? aut adeone timidi vos, ut ſcelus adoretis pro Cæſare? *Gracchus.* Si reus eſt Domitianus, nihil ambige, periit. Tu Cæſar eris. *Æmilius.* Non ambio, ſi melior occurrat modus, quo conſulas bono publico. Tribunusplebis es: ſcis, quid jubeat officii ratio. *Gracchus.* Fideliter exequar. Ad Paulinum abeo, ut teneat intentos milites in omnem caſum, ne quid turbetur in hoc tumultu, aut ne improvide Domitiano ſe adjungat exercitus. * *Æmilius.* Sapienter. Faxo, ut brevi pateſcat veritas. **

SCENA SECUNDA.

Perſonæ. Domitianus. Æmilius.

Domitianus. Nunc tandem, Æmili, antiqua ceſſabunt odia: veneraberis Domitianum, amicus eris. Cecidit infelix frater: ſic viſum Superis, corona debetur fratri. Servum te appellare poſſem, amicum malo. Age, primo obſequio merere animum novi Cæſaris: huc militem voca, qui mea mandata audiat. *Æmilius.* Princeps, ſervus eſſe non poſſum, cum nullus eſt Dominus. Feſtina lente. Cum delatum ad te imperium fuerit, proni adorabimus nutum. Nunc liberi ſumus: eligemus dominum, qui placuerit. *Domitianus.* Inferi! de eligendo Cæſare agetur, cum demortui vivit frater? *Æmilius.*

Age-

* Abit Gracchus. ** Prodit Domitianus.

Agetur, cum frater displicet. *Domitianus.* Vah! quis ego sum? quid ergo displicet? *Æmilius.* Princeps, diu jam Roma sub pessimis Imperatoribus gemuit: nunc vix respirare sub Tito cœpit. Afflixit nos primum post Augustum Tiberii scelerata astutia, deinde stultitia Caligulæ, & ignavia Claudii everterunt Majestatem Romanam: mox Neronis crudelitas inundavit: deinceps Galba, Otto, Vitellius infamarunt augustam dignitatem: postremo Vespasiani patris tui avaritia exhausit provincias. Hæc tot mala dispersa in aliis, timemus a te omnia. Frons, oculi, vultus, mores tui has minas faciunt: hoc displicet. Deinde illud maxime omnium, quod Titus, qui placuit omnibus, soli fratri displicuerit. *Domitianus.* Audax! impudens! hæc in faciem mihi? *Æmilius.* Ut sentias nempe, te non timeri, & nunc quidem de corona desperes, donec minus superbus, magis comis, & haud paulo clementior factus, placere incipias. Eo usque, frustra aut a Senatu, aut a populo, aut ab exercitu suffragium speras. *Domitianus.* Hæc audio patiens? *Æmilius.* Quin & plura, opinor ex Fabio audies. *

SCENA TERTIA.

Personæ priores, & Fabius. Succedit Paulinus.

Domitianus. PArum abest, Fabi, quin hunc maledicum canem inferias fratri mittam. *Fabius.* Omitte iras, Princeps, quidquid sis passus. Amicum potius consilium audies, si sapis. Fugam suadeo, & tutas latebras. *Domitianus.* Quid? fugam? perfide! *Fabius.* Nisi ultima pati velis. Populus Titi cæde efferus tumultuari incipit: te credit auctorem: miscetur forum: proscinditur probris Domitiani nomen: cruenta fiunt consilia: in mora periculum. *Domitianus.* Quis hunc furorem

* Prodit Fabius.

incendit? *Fabius*. Non est nunc tempus judicii, sed fugæ, Princeps. Si evaseris triste malum, vide, cui te ipsum debeas. Consulo saluti tuæ. *Æmilius*. Male consulitur saluti parricidæ. Hora favet, amice! * pereat latro! *Fabius*. Pereat! *Domitianus*. Vah! ego petor? proditores! rebelles! *Fabius*. Occide! macta! perde! *Domitianus*. Succurre miles! famuli! *Æmilius*. Ad stygem monstrum! peri. ** *Paulinus*. Quis tumultus? *Fabius*. Vindictam Titus exigit. *Æmilius*. Et meretur. *Domitianus*. Juvate! *Paulinus*. Sistite! insontem premitis. Titus vivit! *Domitianus*. Vivit? *Æmilius*. *Fabius*. Titus? *Paulinus*. Vivit, inquam. *Æmilius*. *Fabius*. *** O nova importuna!

SCENA QUARTA.

Personæ. Domitianus. Paulinus.

Paulinus. NAm cur fugitis modo? *Domitianus*. Sine. Hem! sic prodor! tetrum facinus impingunt mihi, ut tegant se. Sentio: affectant imperium. Reos de vi & ambitu agam. Sed ain' vere, vivit frater? *Paulinus*. Vivit Princeps, jamque propinquat aulæ a sacris redux. Populus a Fabio paulo ante concitatus, mœrore, & ira furens in te surgebat: nunc lætitia repente obruti, duce Graccho, obviam se effuderunt redivivo. Fletus in plausum, ira in gratulationes est versa. *Domitianus*. Fabius concitavit? *Paulinus*. Te nempe dicebat auctorem Cædis. *Domitianus*. Vah! perduelles! est, quod dixi. Pauline, tibi vitam debeo, fac, ut etiam famam debeam. Perge, & populum, quid videris, doce. *Paulinus*. Confide Princeps! vindicem innocentiæ habebis fratrem, qui & famæ jacturam majori gloria compensabit. ****

* Gladios intentant. ** Paulinus exit. *** Seorsim. Deinde abeunt. **** Abit.

SCENA

SCENA QUINTA.

Personæ. Domitianus solus.

TItus vivit? o nuntium funestum mihi! Infelix ambitio, quo me adigis? quo vultu aspiciam fratrem, tanti sceleris reus? Utinam quæ Orestem agitarunt furiæ, me quoque raperent extra hanc solis lucem a fratris aspectu procul! & quis excussit sicariis feralem sicam? Vecordes semiviri! sic popæ & pueri terruerunt? Quanquam quid incuso homines? scilicet Diis invisi sumus. Vos prehensam manibus coronam rapitis infensa Numina! & quid cessatis? fulmen mittite, quod vitam etiam, & animam rapiat. Nam in quæ ludibria servor? scilicet aut supplicantis habitu mæstus, gemens, & indecoris perfusus lacrymis, veniam criminis orabo Titum: aut manu lictoris cæsus, populive sævientis manibus discerptus, pœnas crudeles dabo: aut misera fuga subductus neci, extorris, inops, ignotus barbaras plagas incolam. Quid eligis anime?.. Atrox arbitrium!.. Verum cur me ipsum damno, quem nondum fata damnarunt? imo absolvere Paulinus mei periculi testis potest. Ut fugerem, Fabius voluit: nempe ut fuga convinceret reum. Redeat in auctores malum: fugerunt; convicti sunt satis. Evado.

SCENA SEXTA.

Personæ. Titus. Domitianus. Rutilius. Brutus.
* *Camillus. Lentulus.*

Domitianus. TAlis occurris, frater! Heu! quantillum abfuit, ut apud inferos cœnaremus uterque hodie!
Titus. Laudes Diis, qui me servarunt! Ipsos testes habeo; non memini, commisisse me unquam facinus pœnitendum! & tamen insi-

* Titus exit.

insidias patior! in qua barbarie vivo? *Rutilius.* Ulciscere, Cæsar, crimen nefandum! *Brutus.* Pereant, qui perire te cupiunt! *Camillus.* Horresco adhuc os illud efferi hominis, qui ausus est in te irruere! *Lentulus.* Detestor sicam, quam in te strinxit! *Titus.* Quiescite! Orbilius quidem, frater, fuga elapsus, se mihi eripuit: Lælius vero a sacrorum Ministris occupatus, & sacro cultro confossus meritas pœnas dedit. *Domitianus.* Vah! quid audio? quos tu mihi donasti, Orbilius & Lælius in te ruerunt? Conveniunt omnia, Auguste frater! Fabius immisit, Æmilio conscio, vel auctore. *Titus.* Euge! quos nominas viros? *Domitianus.* Quibus pejores nullum sæculum tulit. Vix rumor de tua cæde invaluit, cum ambo strictis gladiis impetum in me fecerunt. Perieram, nisi pugnantibus intervenisset Paulinus, & tuæ vitæ non expectato nuntio perterritos latrones egisset in fugam. *Titus.* Sic viperas in sinu alui! *Domitianus.* Nondum narravi omnia. Per horum scurrarum flagitium nullo jam loco consistere tutus possum. In me calumniis concitata Roma surrexit, parricida audio, & ad necem deposcor. Deos vindices, te judicem volo, Tite! si quis est tibi fraterni sanguinis & nominis cultus, si quis amor justitiæ, si qua cura tranquillitatis, collige iras frater, & omnem, quæ cogitari possunt, pœnarum procellam in fugitivos effunde. Nihil jam clementiæ, nihil misericordiæ concedendum: justitia imperet. *Titus.* Audio, frater! & quoniam ipse læsum te quereris, age, retrahi ex fuga reos cura: trahantur in quæstionem: satisfiat justitiæ.

SCENA SEPTIMA.

Personæ eædem cum Paulino & Gracchos. *

Paulinus. Gracchus. O vive Cæsar! quem salvum mœrentibus Dii reddunt! *Gracchus.* Expectat impatiens popu-

* Exit Paulinus & Gracchus.

populus, avidus redivivum videre. Distributus in ordines suos, excipiet te inter lætas acclamationes, & tripudia. Recrea tuos celeriter beato aspectu. *Paulinus.* Miles interea utriusque parricidæ domum obsedit, & portas urbis custodit vigil, ne elabantur. *Titus.* Utinam elabantur! Non sitio humanum sanguinem. Quia tamen non me tantum, sed etiam te læserunt, frater, haberi judicium volo. Rem, Pauline, cum fratre perage. Ego charissimum mihi populum salutatum eo. *Domitianus.* Utinam elabantur! audîsti, Pauline, vocem absonam? & quid dubito? si vivi sistuntur Tito, elabentur utique. Tribus lacrymis scelestorum emollitus frater, veniam, vitam, libertatem, omnia restituet. Inultus ero. *Paulinus.* Non id populus, Princeps, non miles feret. Nolens volens cogetur Cæsar damnare reos. *Domitianus.* Non sum securus. Tu, si qua tibi Domitiani veneratio est, ubicunque deprehenderis, macta, & per mille vulnera expelle animas tanti convictas sacrilegii. *Paulinus.* Mandatum sanctum est. Sed facinus Cæsari qui excusabo? *Domitianus.* Excusabit, qui jussit. Cæsaris frater sum. Sed quid jam populus de me? *Paulinus.* Excussi suspicionem conceptam temere, & veros proditores nominavi palam. Innocens es. Solus Æmilius & Fabius petuntur ad rogum. *Domitianus.* Adeo me tibi totum debeo. Adjice duplici beneficio tertium, & ut celeriter ac certo impii intereant, perfice: omne punctum tulisti. Vindictæ rabies justissima pectus exedit. Morior, si reis parcitur. *Paulinus.* Obedio, Princeps. In eodem peribunt angulo, in quo latent. * *Domitianus.* Sic age, & ego mihi consulo. Purgavi me, si tantum egero, ut loqui nemo possit, qui posset accusare.

* Abit.



SALTUS.

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

Personæ. Fabius. Servus Fabii. *

Servus Fabii. Certe vix per medios milites elapsus, facultatem nactus sum te perquirendi, quod jusserat hera, ut monerem, quo cautius tibi consuleres. Diripitur domus, plorat Familia, desperat Domina: multum erit, nisi etiam filium in mancipatum abripiant. Tu, nisi qua effugias indagantium furorem, actum est. Nam ne captivus quidem duceris ad Cæsarem: in ipso loco, ubi deprehensus fueris, moriendum erit. Sic audivi Paulinum præcipientem militibus. Iisdem periculis involutum Æmilium audio. *Fabius.* Nunc te probas fidelem servum. Sed num videor tibi sub isto habitu latere satis? *Servus.* Satis. Nisi me compellasses prætereuntem, etiam hos oculos fefellisses. *Fabius:* Recte. Perge jam domum, & te similibus indue. Homines curiosos facile decipies officioso mendacio: dic, ex Hispania te venisse cum hero tuo negotii quidpiam acturo cum Cæsare. Fraudem religioso silentio preme omnibus, præterquam uxori. Deinde diligenter explora per circulos, quid agatur de me, & fac, ut me lateat nihil. Cætera ego curabo. Nunc ad Cæsarem eo. Confide, tempestas transibit cito, & feres dignum operæ pretium. *Servus.* Intellexi. Dii faveant nostris consiliis. *Fabius.* Audacem fortuna juvat! at en!

* Prodit Fabius in vestitu Hispano, cum servo, & sub crepusculum, dubia luce.

SCE-

SCÆNA SECUNDA.

***Personæ.* Fabius. Æmilius. Legati Campaniæ.**

Legatus 1.mus * Irritas preces facis. Amamus Cæsarem, & timemus. *Fabius.* Nisi fallor, ex aulæ Ministris estis, Domini! Quis mihi facultatem faciat alloquendi Cæsarem? ex Hispania rem grandem fero, quam interest Principis scire quantocyus. *Legatus 2.dus* Age, quo in pretio apud Hispanos est Cæsar? *Fabius.* In amoribus summis. Prope Titum Augusto præferimus. Non ita, ut video, a Romanis amatur. Sunt inter vos, qui per literas ad defectionem sollicitarunt exercitum, quos ego accusatum sum missus. Teneo interceptas literas. Tres subscripserunt, ex quibus duo, Fabius & Æmilius, homines patritii generis jam notæ malitiæ sunt, utpote quos vix urbem ingressus video ubique ad necem inquiri. Tertium nemini nisi Cæsari nominabo. *Legatus 1.mus* Quid palles Æmili. *Legatus 2.dus* Ergo in Hispaniam usque porrigitis odia tam amabilis Principis? *Fabius.* Hic Æmilius? & non rapitis hominem ad tribunal? *Legatus 1.mus* Ipsi peregrini sumus. *Legatus 2.dus* Ausus est scelestus rogare etiam, ut in nostra familia latentem nobiscum duceremus in Campaniam, ut commerita supplicia posset evadere. *Legatus 1.mus* Quid stupes miser? *Fabius.* Mutum horror novi sceleris fecit. *Æmilius.* Vel ringente Roma evadam supplicium, quod merui. Bonum habemus Cæsarem! *Fabius.* Quo ruit furiosus? *Legatus 1.mus* Mentiar, nisi ipse se Principi sistat. Tanta est confidentia. *Legatus 2.dus* Age! aulam ingredimur. Ecce Cæsar prodit.

* Ad Æmilium supplicem.

SCE-

SCENA TERTIA.

** Personæ eædem, & Titus.*

Æmilius. CÆsar! habes fatentem reum. Plura dolor, & pudor vetant. *Titus.* Æmili, qua fiducia te sistis mihi? *Æmilius.* Asylum quæro. Et quod inveniam tutius, quam Cæsaris tam boni Regiam, ac sinum paternum. Si bene te novi, Auguste, non sum deceptus; dabis veniam Æmilio, quanquam mille mortes promerito. Ita tua magnanimitas jubet. *Titus.* Si bonus, si Pater sum, cur me odisti? *Æmilius.* Abfuit hoc semper, Cæsar, ut te oderim: nam quis posset? Splendor coronæ excæcavit infelicem, ut præceps in scelus ruerem. *Titus.* O te inanem! tantine sit Imperatorem esse, ut etiam per scelus appetendum, videri queat? Coronæ fato dantur: felix est, qui sua sorte contentus vivit. Comœdiæ vitam nostram comparavit Augustus: agat personam quisque, quam imposuit Choragus Deus. Quid me hic splendor, hæc pompa juvat? cum obducto sipario finietur comœdia, & vita simul, non illum laudabunt Dii, qui Principem personam egit, sed qui principalius suam. Itaque sæpe rusticus placebit præ Rege. Hæc tu nunc saltem reputa tecum. Me miseret tuæ cæcitatis. Dum delibero, quid sit agendum, latere potes: asylum habes. *Æmilius.* Hæc deliberatio conclusio est. Salvus sum! Auguste vive! *Legatus 1.mus* O mitem Dominum! at forsan Cæsar, si hunc audieris, non ultra deliberabis, quid agas. *Legatus 2.dus* Nondum enim novisti omnia. *Fabius.* Vive Cæsar! Facinus detego execrandum, si loqui sine arbitris licet.

* Aperitur aula. Prodit hinc Titus, inde Æmilius.

SCE-

SCENA QUARTA.

Personæ eædem, cum Domitiano, Paulino, & Graccho.

Domitianus. AUguste frater! Æmilius in Regiam fugisse est visus: permitte, ut extrahatur ad cædem. *Titus.* Frater, asylum dedi. *Domitianus.* Superi! asylum! nam quo usque te bonitas aget? Sed frustra es. Miles & civis cinxit Palatium, & cum tumultu reum exposcit ad pœnam. Nisi concedas sponte, vi rapietur. *Titus.* Vim Imperatori subditi facient? *Domitianus.* Cogit amor. *Paulinus.* Nihil moderate agit vulgus, Auguste, sive cum odit, sive cum amat: ignosce. *Gracchus.* Quid, quod Fabius etiam dicatur in palatio latere. Nam quo alias effugisset? *Titus.* Modestum amorem volo. Si amant, obediant. Pauline, Gracche, vestrum est continere insanos impetus. Ite.** *Domitianus.* Si tuam non vindicas injuriam, saltem fratrem ulcíscere. Et ego offensus sum: justitiam expeto. *Titus.* Reum permittere furori plebis, hic non est juris ordo. Ite. Vobis, amici, quoniam alienavit se Fabius, de altero providebo, qui comitetur in Patriam. *Legatus 1.mus* Utinam Princeps, satis provisum sit tibi. *Titus.* Diis curæ sum: nihil timete. *Legatus 2.dus* Ita optamus. *Titus.* Jam tu loquere. *Fabius.* Sine arbitrio liceat! *Titus.* Loquere, nam & hic Titus est. *Fabius.* Quoniam jubes.

SCENA QUINTA.

Personæ. Titus. Domitianus. Fabius. Paulinus.

Fabius. LEgere has litteras lubeat. *Titus.* Ad Crassum Hispani exercitus ducem sunt datæ. Frater, video tuam ma-

* Exit Domitianus. ** Abeunt Paulinus, & Gracchus.

num. *Domitianus*. Unde hæ tibi? *Titus*. Quid lego? Frater me fugere cogitat? *Domitianus*. Hoc de me? *Titus*. Sollicitare exercitum ad defectionem? *Domitianus*. Vah! *Titus*. Affectare imperium? sic diligor! *Domitianus*. Rumpor! sine frater, ut hunc tabellarium una cum infami epistolio discerpam. *Titus*. Siste impetum. Non sic defenditur innocentia. *Fabius*. Ego te, Princeps, non accuso: litteras vides: has exhibere, fidelis subditi fuit. Tuum est, probare falsas. *Domitianus*. Hæc credis de fratre frater? *Titus*. Certe non sunt aliena ab indole. Ah! utinam, quo ego in te, eodem erga me animo esses! *Fabius*. Plura dico. Cum sensit exercitum corrumpi non posse tuus hic frater, Auguste, conduxit sicarios, a quibus paulo ante prope peremptus fueras. Hæc causa est, quod Fabium & Æmilium sceleris conscios & complices tam avide persequatur, & cupiat non auditos damnari. Adducantur homines, dispeream, nisi convincam. *Domitianus*. Heu! quo me abscondam? *Paulinus*. Auguste, retractus ex fuga Orbilius huc rapitur. *Fabius*. Novus testis! Cæsar! audiatur. *Domitianus*. * Perii! *Titus*. In custodiam detur. Et quiescit populus? *Paulinus*. Confusa fiunt murmura. Expectat a te atrocem in reos sententiam. *Titus*. Cum caussam cognovero penitus, prodibo in Concionem.

SCENA SEXTA.

Personæ. Fabius. Titus.

Fabius. ECce subduxit se frater? Auguste. Reum fatetur. *Titus*. Dudum suspectus fuit. Sed quam tibi gratiam debeo, amice, pro hac fide? *Fabius*. Nullam, Cæsar. Si quid tamen meruisse videor, unum te supplex oro. *Titus*. Ora. *Fabius*. Qui cum Domitiano conjuravit, amicus est meus, quem amo

* Subducit se.

amo tenerrime. Ille latet timore supplicii, quod se meritum agnoscit, exanimis. Me coëgit accedere, & omnem facinoris seriem narrare tibi, spe fretus, fore, ut hac libera confessione placatus flectaris ad veniam. Ignosce Cæsar, & indulge Clementiam homini in sæcula prædicandam. *Titus*. Vivat in tuam gratiam. Ignosco: adduce ad me. *Fabius*. Mactas me gaudio. En adest ipse. Quanquam o pudor! *Titus*. Quid me suspensum tenes? *Fabius*. Ego, ego sum Fabius: pro me rogavi. *Titus*. Illudor! *Fabius*. Da veniam, Auguste! dira necessitas hanc fraudem excusat satis. *Titus*. Quid igitur de Hispania garrivisti? quid hæ litteræ volunt? *Fabius*. Nihil mentitus sum. Domitiani hæc epistola est, quam hodie primum exaravit ad Crassum: diem inspice. Volebat me cras proficisci in Hispaniam, & impium negotium agere. Condixi infelix. Sed tu, cum jussisses me cras in Campaniam ire, dissipatum consilium erat, & timor, ne forte proderemur, coegit maturare conceptum facinus. Orbilius, & Lælius visi sunt idonei, & tuam religionem, Cæsar (vah! impietatem!) opportunam sceleri occasionem putavimus. *Titus*. Quid igitur Æmilius fecit? *Fabius*. Nempe ut cædis invidiam in Domitianum amolirer, hominem tacite in partes traxi, allectum imperii inter nos dividundi spe. Itaque nuntio tuæ cædis allato, ambo invasimus fratrem, rati, haud aliter facilius mereri nos posse suffragia populi, quam per celerem tuæ injuriæ ultionem. En crimen! en causa! Cognito scelere scilicet coactus sum a populi furiis me hoc thorace defendere, & confugere ad te. In potestate sum. *Titus*. Grande crimen. Sed fidem dedi: salvus es. Unum doce: plebs creditne fratrem vestri criminis esse participem? *Fabius*. Non puto: scilicet cum videt illum tanto ardore nos persequi, & urgere supplicium, alienissimum a nobis credit, & acclamat tanti criminis vindici. *Titus*. Bene habet. Tu igitur silentium tene.

Hac lege veniam dono, ut caveas sedulo, ne quidquam de fratris crimine emanet in vulgus. Periisti, si secus fiat. Idem Æmilium, & Orbilium mone. *Fabius.* Muti erimus. O Principem dignum sæculis!

SCENA SEPTIMA.

Personæ. Fabius. Servus Fabii.

**Servus Fabii.* FElix sum, quod te inveniam, Here. Hanc vestem abijce, nisi perire velis. Nunc primum progressus ad populum Domitianus ferociter contra Hispanum hominem declamavit: amicum esse latronum, & dignum mille necibus. Furunt cives: si oculo te viderint, actum est. *Fabius.* Non videbunt. His ego vestibus salutem debui hactenus: nunc cum nocere incipiunt, abijciantur. Tu alias affer. *Servus.* Ego priusquam indui, damnavi. *Fabius.* Domi quid agitur? *Servus.* Ingens trepidatio est. *Fabius.* Solare. Ad concionem prodibit Cæsar, & placabit populum. Salvi sumus. Perge celeriter. Ego ad Æmilium eo.



* Abit Titus. * Clauditur. * Servus prodit.

CHO-



CHORUS II.

Apollo inter Pastores Regis Admeti exul, & miser repente inter Deos iterum recipitur una cum filio Æsculapio. *

Personæ. Diana. Apollo. Vulcanus. Æsculapius. Admetus. Musæ. Fauni. Pastores. Venatores.

Admetus. PAstores agite! struenda sunt altaria,
Paranda sacrificia.
Novus fines Deus ingreditur.
Tota obviam Thessalia effunditur.
Exultant Pindi culmina
Amissum Musæ cessant flere Apollinem,
Et læta parant carmina.

Apollo sub veste pastoris latens. Quis novus Deus, Domine?
Admetus. Incertum. Festinate, & quod jussi, facite **
Pastores. Festinamus, immolamus pecora pinguissima. ***
Apollo. Ite! sequar postea.
Nempe hoc adhuc deerat meæ miseriæ,
Ut Jupiter divinos honores auferret Apollini,
Et assereret novo Numini.
Sed patere, Apollo, patere:
Omnia meruit furor impius, furor sacrilegus.

* Theatrum exhibet pascua Admeti. ** Abit. *** Abeunt.

ARIA.

Parcendum eſt ſuſpiriis,
Indignæ ſunt querelæ:
Si quod mereris, pateris,
Oportet pati velle.
Pœna perpetrati
Fructus eſt peccati:
Si fructus fugitur,
Cur arbor ſeritur?

2.

Si antequam peccaveras,
Futura perpendiſſes:
Has nunquam in miſerias
Infelix incidiſſes.
Quæ facta ſunt, optare,
Ut non ſint, eſt cantare
Inanem nœniam,
Et triſte utinam?

Apollo. Sed hem! Quem video? *
Vulcanus. Sic eſt, Faune, ut aſſero.
Optimum Jovem miſeruit Apollinis.
Jam anno integro de Cœlo exulis.
Faunus. Et dat veniam criminis?
Vulcanus. Dat inſuper gratiam priſtinæ dignitatis ac muneris.
Præterea occiſum filium ad vitam revocavit.
Faunus. Æſculapium?
Vulcanus. Eumque, ne iterum mori poſſet, divinitate donavit.
Faunus. O vere Deus optimus!

Sed

* Occulte auſcultat.

Sed nos quo vultu Apollo respiciet facinoris Proditores,
Miseriarum, quas tulit, auctores?

Vulcanus. Merito stetimus contra Apollinem.
Si sapit, imitabitur Jovem,
Et ad veniam exhibebit se facilem:
Imo pro summo Numine
Pugnantium strenue
Virtutem probabit,
Laudabit.

ARIA.

Sylvestres tantum belluæ
Ignaræ sunt discernere,
Quid sit justitia?
Quid sit injuria?
Hinc, quisquis lædit, irruunt,
Invadunt, sternunt, proterunt.

2.

Sed in Herois anima
Virtutis vis est alia:
Et vel in hostibus
Non caret laudibus.
Non damnat justa prælia,
Mens bono sensu prædita.

Vulcanus. Securi igitur procedimus obviam,
Et pompam ornamus. *

Faunus. I præ! ego socios convoco,
Et sequor illico. **

Apollo

* Abit. ** Abit.

Apollo ex latebris prodiens. Velut de gravi somno evigilo.
Mihi & filio paratur triumphus?
Mihi plaudit Thessalia, & Musæ parant carmina?
Ignoranti latenti? Nam quis me potuit prodere?
Optare libet: non licet credere. *
Hem! pompa magnifica.

Musa 1.ma Nempe, mi pastorcule, sacra magno Numini, nostro Apollini.

Apollo. Exuli?

Musa 2.da Reduci.

Apollo. Fallimini. His auribus paulo ante audivi lamenta miseri.

Musa 3.tia Ergo, sorores, decepit nos mendax Mercurius?

Apollo. Siccine Mercurius hoc tulit nuntium?
Et creditis? sic nostis Cyllenium?
Nempe nullas unquam fabulas Musis vendidit?

ARIA.

Musa 1.ma

VAh! cui licet credere,
Si Dii mentiuntur?
Qui me non vult juvare,
Is parcat insultare,
Et ludere me!
Per falsa cur miseriæ
Promissa nutriuntur?
Sic Tantalus vexatur
A pomis, quin alatur:
Mactatur a spe.

Diana cum sociis. ** Ecce! quam bello fratrem Musæ recreabitis spectaculo!

Musa

* Exhibetur Parnassus magnifice ornatus. ** Prodit.

Musa 1.ma Siccine? Dianam etiam turpi Mercurius decepit mendacio?
Diana. Revocatum Apollinem dixit ab exilio: An non est ita?
Musa 2.da Aliud hic nobis narravit Opilio.
Diana. Quem ego te video? aut frater es, Aut de fratre, ubi lateat, rescies.
Apollo. Soror es.
Diana. Quid audio? talem te video?
Venatores. Hic Apollo est?
Musæ. Hic Deus Musarum?
Omnes. O casum dignum torrente lacrymarum!

*Admetus cum suis pastoribus.** Confidite! Peccantibus per errorem est facilis spes veniæ. Hic est Apollo: procidite! imolate!

Chorus Pastorum.

Dive! facilis Pastores
Deprecantes respice.

Admetus. Nostros sine ut errores
Deleant hæ victimæ.
Per has peto, per has oro,
Dive, dona veniam.
Omnes. Supplicanti parce choro,
Dive, dona veniam.
Apollo. Admete! quo ageris Numine?
Admetus. Simulare desine. Tuus te mihi prodidit filius, Quem in triumpho adducet Vulcanus

* Prodit, & supplicat.

Recens inter Deos assumptum, & exultantem,
Audis pompam appropinquantem? *

Diana. Vive Frater! vivat Æsculapius!
Apollo. Vivat Jupiter Deus Optimus, Maximus!
Musa 1.ma Eja non est mentitus Mercurius: plaudimus.

CHORUS.

Mutata est scena:
Sors ridet amœna:
Amat nos Jupiter:
Phœbus dupliciter
Hodie ortus videtur:
Felix calamitas,
Suma quam faustitas
Nube depulsa sequetur.

Admetus. Jam sine, Numen maximum,
Ut fiat sacrificium.
Mactate pecora!
Apollo. Cessate! innocens non placet victima.
Ex Deo factus sum Pastor:
Ex Pastore fio Deus Pastorum,
Quem vos placabitis non cæde agnorum
Sed luporum.
Vulcanus. Apollo salve, & in pristinam
Vulcanum cum Fauno recipe amicitiam.
Faunus. Uti pro Jove contra te stetimus,
Ita Jovem rursus tibi amicum gaudemus.

Apollo.

* Pompa Æsculapii in dracone sedentis.

Apollo. Præterita meminisse desinite:
Et facinus patratum dolori, non furori tribuite.
Sed intrat Filius! Apollini
Plaudite Superi!
Diana. Et Æsculapio gratulamini!
Æsculapius. Salve Pater! salve Amita!
Admittite manus oscula!

CHORUS.

Vivite deliciæ
Humani generis!
Vivite amabilis
Numina ut Nominis!
Sic suavis indolis.
Per vos nos *juvat* Jupiter:
Per vos est *Jupiter.*

2.
Juvans Pater appelletur,
Nam meretur:
Morbi carnis ut curentur,
Reddit Æsculapium:
Morbi mentis ut fugentur,
Revocavit Cynthium.

Diana. Justa sunt jubila.
O Nepos! quam dulcis mihi est tua,
Et talis præsentia!
Æsculapius. Quidquid sum, fulmini debeo.
Nisi sic occidissem,
Nunquam sic revixissem.

Apollo. Ergo qui fulmen tam optabile cuderunt,
Occidi Cyclopes non meruerunt.
Age fili, & lætitiam cumula:
Mortuos excita,
Quod jam licet sine invidia.

Vulcanus. Non id probaret Jupiter,
Quem hoc ipsum rogavi.
Renuit: & posthac se famulos *subditis invisos*
Retenturum negavit, ut nemo habeat,
Unde Jovem sævitiæ arguat.
Deinceps erit quilibet suæ sibi fortunæ faber.
Si cudit fulmina, in suum caput cudit.
Ipse sibi, non Jovi imputet, si decidunt,
Et fabrum perimunt.

Apollo. O Deum amantem! o amabilem! Amemus! Laudemus!

CHORUS.

I.

Magni dulcissimam
Jovis clementiam
Musæ cantate!
Sylvæ laudate!
Per invios calles
Per montes, per valles
Ubique audiantur,
Ubique repetantur
Tonantis decora!

2. Mu-

2.

Musæ. Ut Phœbus inter sydera,
Sic inter Jovis decora
Eminet Clementia.

Venatores. Ut cedrus inter Nemora
Sic Jovis inter decora
Eminet Clementia.

Pastores. Quod dulcis lactis copia,
Quod ovibus sunt pascua:

Fauni. Quod gratæ umbræ montium,
Quod suave murmur fontium:

Utrique. Hoc Jovis est Clementia!

Omnes.

Ubique audiantur,
Ubique repetantur
Tonantis decora.
In Optimo & Maximo
Laus optima, laus maxima
Est de Clementia.



ACTUS V.

SCENA PRIMA.

Personæ. Domitianus. Paulinus.

Domitianus. Illum Hispanum, ais, fuisse Fabium? *Paulinus.* fuit. Jamque donatus venia rursus Romanum induit, & liber vagatur in Regia. Quid si veterem calumniam in te regessisset, & suis mendaciis uti prius populo, ita nunc fratri fecisset invisum: & hanc proditionis mercedem recepisset a credulo Cæsare? *Domitianus.* Ah! quid dubitare me jubes? palam est. Præsenti, audienti, non timuit contumeliam facere. Neque licuit respondere. Quanquam nec potuissem etiam, cum stupefaceret linguam metus, ne forte irato excideret verbum, quo reverentiam læderem, quam debeo fratri. Discessi silens commorsis labiis. *Paulinus.* Male tibi, Princeps, consuluisti tam reverente silentio. Forte pro confessione habetur. De defensione, & vindicta nunc cogita: pereant hostes tui & Cæsaris. Populum faventem habes, conciliatum ardore animi, quo urges proditorum supplicium. Ne cessa. Si tu tibi consistis, non cedet populus: coget Titum severum esse. *Domitianus.* Perge, & currentibus calcar adde. Sed

SCE-

SCENA SECUNDA.*

Personæ. Domitianus solus.

UTinam, O Pauline, fecisset calumniam Fabius! nihil trepidaret innocens animus. At nunc, cum verum dixit, qua evado? Crudelis Fabi, in quas me angustias conjecisti! Pereat hora, qua tibi colloqui cœpi! Sed quid irascor aliis? Ego sum reus. Ego stulto deceptus ambitu appetivi ruinam. Ego autem? tu rea es Roma: tua me species rapuit! Vos Dii rei, qui adeo extulistis Imperii Romani Majestatem, ut si unquam, certe pro hac vindicanda, violari posse justitia videatur. O deplorandam sortem mortalium, toties improvide agentium pœnitenda! Quodsi prudentis est, nunquam agere, cujus pœnitere te possit, Superi! quam paucos prudentes numerat orbis terrarum! Certe in horum numero nullus est ambitiosus: nunquam enim ambitio est sine pœnitentia. Quamquam quid philosophari nunc prodest? serum est ista cogitare. Aut exspecto scilicet, donec publico condemnatus judicio execrabilis Romæ fiam? formidabilis malo. Fiat, quod cecinit bubo; ibo in Hispaniam, & revertar cum exercitu. Vale Roma!

SCENA TERTIA.

Personæ. Paulinus. Domitianus.

Paulinus. PRinceps! vocaris ad Cæsarem. Strenue causam perage: Populus omnis suppetias feret. *Domitianus.* Non ibo. Pauline vale. *Paulinus.* Et quid hæc forma loquendi velit? *Domitianus.* Hunc solem, hanc diem odi æternæ meæ infamiæ testem. Parricida dicar, demonstrer digito: hoc

* Aperitur aula.

hoc ferre possim? subduco me dedecori. *Paulinus*. Fugienti dedecus hærebit majus. Quem armat sceleris ignara mens, omnem invidiam, omnes calumnias vincit. *Domitianus*. Nisi obruatur. Relinquo ingratum fratrem inter proceres proditores. Sentiat, quid sit alienis dare fidem, negare fratri. *Paulinus*. Fugienti insistet frater. Non evades. *Domitianus*. Via est certa, qua evadam. Hæc sica faciet. I, hoc nuntia Tito: vivum saltem si fratrem velit, omittat persequi fugientem. *Paulinus*. Prô atrox consilium, Accede fratrem, qui te vocat, per omnes te Divos obsecro! *Domitianus*. Quibus invisus sum! *Paulinus*. Per amorem fratris! *Domitianus*. Qui me odit! *Paulinus*. Per odium, quo tuos, & Titi, & Romæ inimicos persequeris! *Domitianus*. Quorum scelera non licet ulcisci! *Paulinus*. Per vota totius Reipublicæ! *Domitianus*. Cui Domitianus infame nomen est! Ah! quam vellem, Pauline, ut patiens consilii frater severitate temperaret clementiam, ne Majestas contemneretur impune. Non audit. Abeo, ne cogar spectator esse funestæ, quam isti dabunt, tragœdiæ, aut etiam pars. Aut putas, me non advertere, quid agatur? Vita petitur Domitiani, ut me necato, nudus prostet impiorum gladiis Titus. Fugio. Pereat frater sine me, quia cupit me secum perire. Vah!

SCENA QUARTA.

Personæ eædem, & Titus.

Titus. PAuline, tu mihi huc Æmilium & Fabium advoca. *Paulinus*. Ut jubes, Auguste. *Titus*. Frater! vocatus etiam renuis ad fratrem ingredi: quid moliris? *Domitianus*. Pudor me vetat, frater, & criminis conscientia tuum conspectum ferre. Fugam moliebar. Gratiæ loco concede exilium,

pessi-

pessima merito. *Titus*. Nihil hæc memineris: fratres sumus. Unum te posco, ut Fabio & Æmilio vivere per te liceat. Rei sunt: neque mihi tantum, sed etiam tibi ultimas pœnas debent: scio. Tamen, quid facere te deceat, considera: Exemplum dedi. *Domitianus*. Heu! quo me adigis frater? si non alia conditione mereor veniam, occide me! levius feram. Viscera torquentur rabie: morior, nisi effundam. Quid? ut per fraudem inducar ad scelus, ut strictis ensibus impetar, ut accuser malevole, inultus hoc feram? *Titus*. Quid? ut frater affectet imperium, ut immittat sicarios, ut sollicitet milites, inultus hoc feram? *Domitianus*. Si remittis, facis gratiam, frater: si punis, non facis injuriam. Nihil contra jus, nihil contra leges expeto, si vindictam expeto. *Titus*. Vindicta privatorum solatium est: Principis fortuna major, major animus. Ego perire malo, quam perdere, nisi forte perire quempiam totius Reipublicæ referat. Sed ecce adsunt. Domitiane, ut ponas odia, & placidus vivas: æquitas postulat, rogat frater, Cæsar imperat. Vos agite, quod decet.

SCENA QUINTA.

Personæ. Domitianus. Æmilius. Fabius.

Domitianus. JActor miser! perfidi! *Fabius*. Quid affligis te, Princeps! reos habes, & fatentes, & in tua potestate. Vindictam, an veniam velis, tua est electio. *Æmilius*. Nos unum rogamus, ut eligas, quod rebus tuis utilius, & tuo nomini gloriosius est. Nihil de nobis solliciti, tibi, cupimus, ut velis consulere. *Fabius*. Quid effusus te cruor juvet? Nempe voluptas est, exanimem inimicum videre? est aliqua: sed animalis, brevis, acerba. Tigridum hæc ferocia est, ut

in sanguine helluentur: generosi Leones prostratum & supplicem sine noxa prætereunt. Mox ut defervuit æstus iracundiæ, quæ brevis quædam insania est, evanescit voluptas, & velut leve somnium in auras abit. Neque raro succedit tristis, & sera pœnitudo. Ira iram parit, & ex uno necato dracone sæpe seges inimicorum succrescit. Pacem, amicos, fratrem habes, si veniam dederis. *Æmilius.* Et cum pace, cum amicis, cum fratre gloriam habes immortalem. Grandem animam nactus es, Domitiane, & natam ad summa. Servire furori non decet. Imbelles animæ, & quibus informe judicium est, facile irascuntur: quæ causa est, quod celerrima sit ira infantium, pertinacissima fœminarum. Vir sapiens & generosus nec subito commovetur, nec diu. Etiam cum justa est iræ causa, modum tenet. *Fabius.* Quanquam vertamus stylum. Age, irascere, Princeps, irascere, sed tibi primum, deinde nobis. Tres rei sumus, at tu maxime: de te incipe ultionem. Hæc ira utilis, hæc gloriosa est, hæc magnanima. Superi! quod facinus aggressi sumus barbarum, immane, atrox! Stupet, Æmili, attonita mens ad execrandam audaciam. *Æmilius.* Quanquam nos Dominum tantum invasimus, tu fratrem insuper. *Fabius.* Ire lubet, Æmili, & objicere nos furenti populo, ut meritas pœnas demus. *Æmilius.* Ire lubet: sed pares nobiscum pœnas, Princeps, dabis. Veni fortis! plectatur commune scelus, mortem ultro provocemus ad ultionem: hæc ira decet. *Fabius.* Hæc ira decet! Ira nobilis, ira heroica, irasci sibi. *Domitianus.* Vivite, amici! nihil mori juvat: Tito vivamus simul. Hæc vita decet. Vita nobilis, vita gloriosa, illi vivere, quem per ultimam impietatem cupivimus mori. Amici estis.

SCENA SEXTA.

Personæ eædem, & Titus.

Titus. Tandem audivi optatam vocem. Moneatur Gracchus, ut populum introducat. Dignus es, frater, imperio, postquam didicisti imperare tibi. Vive! impera! jam nunc te Collegam & hæredem nomino. *Domitianus.* Age, quid loqueris, Cæsar! Dignum solio dices, qui & vita, & hac luce indignus est? Cessa torquere miserum tam acerba objurgatione impiæ ambitionis. Satis dolor, Amici, & pudor torquent. *Titus.* Cesset dolor, & pudor cesset. Injuriam remisi: famæ consului: nihil de tuo crimine populus, nihil milites, nihil Senatus rescient. Religiosum silentium imposui conscijs, & hac sola conditione vitæ gratiam obligavi. Hoc superest unum, ut posthac, frater, eodem erga me animo esse velis, quo fui, & ero erga te, id est, fraterno. *Domitianus.* Ah! frater! *Titus.* Desine querelarum. Cæsar eris. Atque ut digna hoc fastigio gloria principium Majestatis consecres, & agnoscant subditi, quid de te sibi sperandum sit: quem contra reos concitasti, populum compone, frater, & ut meam clementiam lætis acclamationibus firmet, effice. Nulla est corona nobilior, quam de cive servato: hac te orna, priusquam tibi imponam Cæsaream. *Domitianus.* Dii! quem fratrem offendi, & quem Dominum! Servire impera, non imperare! *Titus.* Imperabis: sed tuo ex sensu disce, quam dulce sit imperare clementer. *Domitianus.* Sentio. Dent Superi, ut hic mihi sensus perpetuus sit!

* SCENA ULTIMA.

Personæ omnes.

Graecbus. AUguste, adest populus ad tua promtus imperia. *Omnes.* Vivite Cæsares! felices, victores, Patres vivite! *Titus.* Placent vota, Quirites, si tamen finitis clementes vivere. *Domitianus.* Tumultuatum est satis. Reis parcere Titus cupit: assentiri nos decet. Parcatur. *Omnes.* Parcatur. Liberi sunto. *Æmilius. Fabius.* Et nos Cæsarum servi erimus fideles posthac, & pii semper. *Titus.* Ego vero, Cives, primum vobis gratias ago, quod tanta consensione, tanto animorum ardore, & anxiis curis salutis meæ habueritis studium. Optandum hoc mihi periculum fuit, ut experirer, quantis vobis in amoribus sim. Deinde quoniam non sine mentis lætitia video, pari vos dilectione fratrem amplecti, qui se hodie vestri amoris ducem præbuit, & hortatorem: Domitianum Collegam Imperii, & hæredem pronuntio. *Omnes.* Io! vivat Titus, vivat Domitianus! faveant Dii fraterno imperio. *Domitianus.* Ad vestrum commodum impendar totus: fratris exemplum sequar. *Titus.* Vobis vivimus, vobis regnamus. Procede frater! vos in plausus ite. **



* Aperitur aula interior. ** Solium conscendunt, dum clauditur.

EUTRO-

EUTROPIUS
INFELIX POLITICUS.
TRAGOEDIA
DATA
LUDIS AUTUMNALIBUS
ANNO MDCCXXXII.





ARGUMENTUM.

Annus agebatur post Christum natum nonagesimus nonus supra trecentos, cum imperantibus Arcadio ac Honorio ad supremam Consulis dignitatem evectus est Eutropius Eunuchus, homo multæ astutiæ, nullius religionis, & omnium scelerum. Ussit acerbe hæc Eutropii felicitas geminos Duces Gainam & Tribigildum, illum Europæis, hunc Asiaticis copiis Præfectum. Conjurant, vel sub ruina Reipublicæ se novum Consulem oppressuros. Itaque vastare Asiam incipit Tribigildus: mittitur contra rebellem Gainas. Sed qui domiturus furorem credebatur, adjuvit, occulteque colludens rem eo deduxit, ut jam Europæ etiam Tribigildus formidabilis fieret. Gainas ad Cæsarem redit: negat, parem se Barbaro esse: suadet, faciendam pacem: pacis conditionem unam esse æquam, & facilem, ut petenti Tribigildo tradatur Eutropius malorum omnium Auctor. Post multam luctam admisit demum conditionem Arcadius. Eripiuntur infelici Consuli fasces, franguntur statuæ, nomen ex fastis eraditur: ipse in Cyprum insulam exul ejicitur. Ita Zosimus, & Sozomenus cum Claudiano ethnico Poëta coævo, qui duos adversus Eutropium libros scripsit egregio versu, & ab omni posteritate legendo.

Ut facilius intelligamur, ex iisdem Auctoribus notamus sequentia.

1. Eutropium ab aliis Ethnicum, ab aliis Christianum dici: probabilius neutrum fuisse, vel utrumque.
2. Eodem tempore floruisse S. Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum Patriarcham, cujus facundia placatus Eutropio populus, ei vitæ gratiam a Cæsare impetravit.
3. Eutropium legem extorsisse ab Arcadio, qua templis ademptum est jus asyli: justo Dei judicio deinde ipsummet, cum a populo peteretur ad necem, ad Ecclesiam esse coactum confugere, unde illum extrahi non antea permisit Chrysostomus, quam Cæsar vitæ gratiam cum juramento promisit.
4. Eum nihilominus a Gaina per fraudem fuisse occisum, & quidem secundum aliquos, priusquam in insulam, in quam amandabatur, advenit.
5. Eutropium uti alia, ita Ducis exercitus officium tribuisse cuidam Leoni, homini inepto, & hoc uno nomine utili, quod esset Eutropii Cliens.

PERSONÆ.

Eutropius Consul.
S. Joannes Chrysostomus Patriarcha.
Arcadius Imperator.
Saturninus Consularis.
Lorinus Eutropii familiaris.
Leo Dux copiarum, ab Eutropio promotus.
Gainas Dux copiarum, Eutropii inimicus.
Oranges filius Tribigildi.
Misenus Gainæ familiaris.
Aurelianus Præfectus Prætorii.
Nonnus Arcadio a Secretis.

PRO-



PROLOGUS.

Tragœdiæ series exhibetur in parabola.

Personæ. Eutropius in persona Architecti. S. Chrysostomus sub schemate amici. Chorus laborantium in ædificio absolvendo. *

Architectus. Quid stupes amice?
Amicus. Me mihi eripuit aspectus hujus fabricæ.
Architectus. Recreas me.
Vos laborate strenue!
Decretum est, vel ringentibus æmulis hodie
Ultimam operi manum imponere.

ARIETTA.

Rumpere invidia!
Cum hæc domui ponendæ
Applicatur regula **:
Nunquam illi subruendæ
Ulla valet machina.
Rumpere invidia! *Repetit Chorus.*

Amicus. Amice, omnia exploravi.
Errorem docere num licet, quem notavi?
Architectus. Falleris. Ego nihil erravi.
Amicus. Ignosce. Ringentibus æmulis magnificum ædificium
Perduxisti ad fastigium:
Sed moles totius fabricæ

Arenæ

* Theatrum exhibet hortum, & in fine ædificium jam perductum ad tectum, sed stans in arena. ** Regulam tenet Architectus cum inscriptione: Artes Politicæ.

Arenæ insistit lubricæ.
Timeo, ne se ipsa concidat,
Et quanquam nullis succussa machinis
Architectum opprimat.
Infaustum est incrementum,
Quod non habet fundamentum.

A R I A.

Spes nixa in arena
Periculi est plena:
Non potest molle sabulum
Ventorum contra impetum
Hanc molem sustentare.
Quod omnem frangit ventum,
Est firmum fundamentum:
Quid prodest caput aureum,
Si vile lutum poplitum
Inceperit labare?

Architectus. Mitte curas inanes.
Hoc ipsum est singulare artificium
Paucissimis cognitum,
Ædificare in aëre,
Nec fundamentum ponere.
Imperitis hoc videtur difficile:
Sed nos nostræ non fallunt regulæ.

A R I A.

Fremant fluctus: turbulenti
Undequaque furent venti:
Longos soles
Cernet moles,

Quæ his fulcris * incubat:
Quem hinc portat *Regis favor*,
Inde fulcit *plebis pavor*.
Est securus:
Stabit murus,
Quantum inædificat.
** Supra montes se levabit,
Supra nubes ambulabit,
Calcans stellas,
Nec procellas
Habens, quas jam metuat.

Amicus. *** Ah! siste gradum infelix!
In tuum ascendis exitium!
Non sentis, ut tremiscat totum ædificium?...
Eheu! jam corruit!. O miserum Eutropium!
Tu hic siste Viator, & lege Epitaphium.

**** Hic jacet Eutropius
Infelix Politicus,
Quia
Malus Christianus.

ARIA.

Non est consilium,
Non est prudentia,
Quæ contra Dominum
Sit satis provida.

Quot

* Columnarum inscriptio: Regis favor. Plebis pavor.
** Ascendit, viridem ramum infixurus tecto.
*** Ruit domus: ex horto fit desertum. **** Epitaphium.

Quot per contemptum legum
Invito Rege Regum,
Attollunt se ad Superos,
Tot orbis habet Icaros:
Quo volant altius
Hoc ruent certius.



ACTUS I.

SCENA PRIMA.*

Personæ. S. Joannes Chrysostomus. Aurelianus. Saturninus.

Chrysostomus. QUæ vota facimus, Domini? qua prece placamus Deum? Minax impendet gladius, & pœnas fulgurans, in sacrum Caput. Injurias templo factas non solet Deus impune ferre. Audaciam Eutropius luet, pertinaciam, Cæsar, qui cum jus asyli Ecclesiis abstulit, peccavit ignorans quidem: at cum monitus a me toties, toties a vobis rogatus, abrogare renuit obstinatus sacrilegam legem, jam excusari non potest. Uterque reus est graviter læsi Numinis. Me prope pœnitet, tam diu egisse leniter. Mutabo stylum: & tandem Episcopus ero. *Aurelianus.* Tuo grandi periculo eris. Consulem time. Imperat ipse Cæsari: & imperium ab Episcopo feret? *Saturninus.* Ridetur potestas sacra, quam profana non armat. Pœnæ, quas intentatis, non cadunt sub oculos: bruta creduntur fulmina. *Chrysostomus.* Ab hominibus brutis, hoc scio. Quanquam si utrumque a Sacramentis prohibeam, si templum claudam, si a sacrificio arceam, an non est hæc pœna,

* Aperitur Aula.

quæ ſub oculos cadit? *Aurelianus.* Hoc auſis, Præſul? *Chryſoſtomus.* Hoc jubet Deus agere in peccatorem publicum, & obſtinatum. Non licet Epiſcopo Sanctum dare canibus, aut margaritas projicere ante porcos. *Saturninus.* Scimus, quam feliciter hac fortitudine Ambroſius correxerit Arcadii Patrem: ſed nullus hodie Theodoſius vivit. *Aurelianus.* Nullus imperat certe. Cæſar, ut bonus, ut pius ſit, ſui juris non eſt. In devia a Conſule rapitur, etiam nolens. Conſulem ſi offendis, timeo. *Chryſoſtomus.* Quid? *Aurelianus.* Quidquid timeri poteſt ab homine impio, furente, & armato. Quid agas, delibera, Pater! rogo. *Chryſoſtomus.* Scilicet ſi non ago officium, impius: ſi ago, Martyr ero: num jam deliberandum eſt mihi? Eſtote fortes, Domini, & quod in Senatu contra Conſulem egiſtis huc usque ſtrenue, porro agite. Cauſam Dei agitis: & vincere, & occumbere glorioſum eſt. *Saturninus.* Actum nos agimus, quando unus eſt, qui agit omnia, & omnes agit. Præter nos duos nemo eſt in Senatu, qui non ſit cliens Eutropii, & nutum vel adoret, vel tremat. Itaque cum eſt dicenda ſententia, quid dicant, in oculis, & fronte Conſulis legunt. Hæc regula juris eſt, ad quam fiunt ſuffragia: nos obruimur numero. *Chryſoſtomus.* Saturnine! cadaveris eſt, a torrente deorſum rapi; homo vivus ſurſum, vel contra flumen luctatur. *Aurelianus.* Multo conatu, nullo fructu. Oppreſſa multitudine quid virtus poteſt? *Chryſoſtomus.* Timetur. Aut, facite, unanimi calculo probari ſcelus: Superi! quam ſtragem faciet! Opponat obicem vel unius viri robuſta virtus, ſaltem modeſtius exundabit. Mihi credite: etiam audaciſſimis venerabilis eſt vir non timide probus, in aula maxime. Vel non peccatur, vel denique reverenter peccatur, cum metuitur Cenſor, qui æquus & ſapiens creditur. *Saturninus.* Atqui qui metuitur, non amatur. Aut arridere peccantibus cogitur, aut perire. Exempla ſcimus. *Chryſoſtomus.* Optanda ſors, ſic perire. Prælio pii cum

impiis

impiis certant: qui cedit, vincitur, non qui cadit. Circumspicite orbem terrarum: regnat impietas, fateor, & omnes provincias occupavit: non tamen pacifice regnat: pauculi pii faciunt, ut habeat semper, unde metuat sibi. Quod in orbe pauci, hoc in aula duo præstatis, ut nemini liceat esse scelerato, sine pudore. Quid? hoc est vobis actum agere? Quanquam quid istud memoro? majora speremus. Alieno peccato Cæsar peccat, non suo, juventutis vitio, non naturæ. Neque stupidus Princeps est, qui nesciat inter amicos discernere. Apertus animus, & heroice liber, si diutius constabit sibi ad omnem tumultum impavidus, primum in admirationem rapiet, ut æstimet: deinde amorem accendet, ut optet familiarius nosse: denique fiduciam pariet, ut exquirat consilia, quæ modo contemnit. Hæc spes vos recreet. *Aurelianus.* Hæc spes est modica. Ego (sim falsus utinam!) ultimam imperio perniciem auguror. Ad clavum Eunuchus sedet: Tribigildus Asiam prædatur rebellis: Gainas incendiis, quæ prohibere debuerat, deses spectator assidet, suspectæ fidei miles, & forte cum Tribigildo colludens, ut sectam Arianam tueatur, cui templum in urbe nuper, quam ferociter expetierit, memineris, Pater. *Chrysostomus.* Memini. Sed me quidem vivo non habet, quod speret. Hæc tamen, cum ita sint, cum sunt, qui se opponant: quid erit, cum opponet se nemo? Viri magni, vestrum est, pugnare, & mori. Virtuti spiritum ducitis, virtuti vivitis, non aulæ, non Consuli, non etiam Cæsari, nisi ex virtutis præscripto. Solus beatus est, solus erit, quem virtus docuit nihil cupere, nihil timere.

SCENA SECUNDA.

Personæ. S. Joannes Chrysostomus. Nonus Secretarius. Priores.

**Nonus.* LÆta fero, Domini! urbs omnis plaudit. Cæsum ad internecionem Tribigildum canunt: Gainas cum paucis adest victoriæ idem auctor, & nuntius, captivum perduellis tyranni filium secum trahens. *Chrysostomus.* Ipsum vidisti? *Nonus.* Narravit, qui vidit. Ad Cæsarem propero. *Aurelianus.* Nova, Præsul, pugna nobis & tibi instat. *Saturninus.* Grata est victoria, ingratus auctor. Nam ut proterve se efferet Ariana vipera! ut virus vomet! *Chrysostomus.* Templum videlicet Ario suo velut victoriæ præmium urgebit ferocius, hoc timetis? *Aurelianus.* Et Cæsar non audebit negare. *Chrysostomus.* Occupabo. Adest. **

SCENA TERTIA.

Personæ. Arcadius. Chrysostomus.

Arcadius. UBi est victor! o lætam diem! ite amici obviam, & huc adducite. Tu, Pater, laudes Deo cantari jube, & populum in templum voca. Succedam ipse cum aula. *Chrysostomus.* Ignosce, Cæsar, apertæ stant populo portæ: tu si veneris, reperies clausas, nisi revoces iniquam legem. *Arcadius.* Audacter. Nam cui loqueris? *Chrysostomus.* Homini, qui subditus Deo est. *Arcadius.* Me miserum Principem! cui ab uno Sacerdote quies esse non potest. Dixi: abrogari non potest lex: mea Majestas patitur. *Chrysostomus.* Eutropii hæc lingua est. Auguste, Majestas patitur, si fateris, te hominem esse? Errare, Cæsar, humanum est: fragilitatis & ignoran-

* Nonus prodit. ** Prodit Cæsar.

rantiæ est, a qua neminem Regum excipias: errorem corrigere virtutis est, sapientiæ est, gloriosum est: unde ergo Majestas patitur, si abrogas legem, quam contra fas & æquum tulisti? Sentiant boni, & gaudeant, mutari te posse: mali reperiant contumacem: Hoc laudabo. Det Cæsar Deo, quæ Dei sunt: dabit Deus Cæsari, quæ Cæsaris sunt, Majestatem, gloriam, felicitatem. Noli, quæso, Domine te ipsum decipere, ut Majestatem in pervicacia tuendi erroris ponas. Contemptui te exponit, qui istud suadet. Credemus, errorem vel non agnosci, quod cæci est: vel errantem nolle corrigi, quod obstinati est. *Arcadius*. Importune nunc ista oggeris: alias cogitabimus. *Chrysostomus*. Imo nunc maxime cogitanda sunt. Opportune importune fungi officio Episcopus debet: & nunc necessitas præsens urget. Victor Gainas subit: quid? si repetat suas de templo Ariano preces, non concedes? *Arcadius*. Præcoces curæ! *Chrysostomus*. Providæ. Video te iis, quos vereris, cito promittere, quæ exposcunt: & quæ promisisti, revocare deinceps nolle: num imprudenter timeo mihi? *Arcadius*. Multa, mi Pater, ratio status exigit. *Chrysostomus*. Nihil exigere potest, quod prohibet Deus. Auguste, nimium tuis Ministris tribuis. Liceat, quid sentiant subditi, referre libere: nam ut scias, interest tua nunc maxime. *Arcadius*. Loquere, quid dicunt? *Chrysostomus*. Non regere, sed regi diceris, & tuorum consilia audire pro imperiis. Æqua, iniqua sint, non audes repugnare. En! ita Majestas perit, & hæc est causa, quod major tuis veneratio, quam tibi sit; illi Dii sunt, tu Idolum. *Arcadius*. Quis hæc de me? *Chrysostomus*. Veritas loquitur. *Arcadius*. Sed intrat Victor.

SCENA QUARTA.

Personæ. Arcadius. Chrysostomus. Gainas. Oranges. Saturninus. Aurelianus. Misenus.

Gainas. ERrasti, Cæsar, nam victi sumus. *Arcadius.* Quid audio? *Gainas.* Asiam Tribigildus tenet, Europæ imminet. *Chrysostomus.* O sanctam Dei manum! *Arcadius.* Et tu tamen proditoris filium captivum tenes? *Gainas.* Obsidem offero. *Oranges.* Auguste, sine, ut me, & Patrem ad tuos advolvam pedes. Non sumus rebelles tibi: testem insontis animi filium tradit. Tyrannum parens Eutropium odit. Ab isto jugo, ut liberes se, ut populos tuos liberes, cupit, orat. *Arcadius.* Bella fabula! *Gainas.* Ita tamen se habet res. Eutropium trade, Cæsar: reddet Asiam Tribigildus: ponet arma: erit pax. *Arcadius.* Legem pacis a subdito feram? Quid egisti, ignave! *Gainas.* Convitiis parce, Cæsar! vel in Eutropium verte. Ille, quod patimur, origo mali est. Leoni partem exercitus commisit vecors, homini nullius animi, nullius scientiæ, hoc uno nobili, quod Eutropio a servitiis fuerit. Leo ille improvide a me divisus, in Tribigildum incidit. Committitur prælium: cæditur internecione infelix: ipse cum pauculis fuga elapsus, vagus per Asiam, latet, nisi forte viam in urbem relegat, cum audivit aliquid mussitari de pace. *Arcadius.* Et cur tu non ultus es cladem? *Gainas.* Nempe tanto jam viribus fractior, Europam præterea in discrimen adducerem? Præcipue cum haud sane superbus hostis & tanta victoria clarus, non prælium, sed pacem cogitaret, missoque filio peteret, prope suppliciter prior. Itaque sine mora exercitum fratri tradidi: me dedi in viam, ut efficacius suaderem præsens, ne dubitares, unius capitis impendio te a tam formidabili hoste redimere. *Arcadius.* Impendio capitis innocentis, & chari ignobilem pacem

tem emam? juvate consilio proceres! vulgata jam est urbi cladis fama? *Nonus.* Imo de victoria sparsus rumor cives ad gaudia, juventutem omnem ad tripudia, & saltus excivit. *Arcadius.* Gaudeant breve gaudium, ut ferocius post paulum in arma coëant. Misene, tu Orangem serva. Vides Præsul, quod jam tibi respondere non possim: urgent majora. Adeste. *Chrysostomus.* Hoc habeo, bona verba. Domini, vos rem urgete, & Dei negotium. *Aurelianus.* Cum opportunitas fuerit. *Saturninus.* Et erit, opinor, felix. Video collidi impios: inimici sunt Gainas & Eutropius: vota dividentur. *Chrysostomus.* Felix discordia, quæ vires frangit impietati! In templum eo, ut exorem sapientiam vobis, fortitudinem Cæsari.

SCENA QUINTA.

Personæ. Misenus. Oranges. Eutropius. Lorinus.

Misenus. Intellexi. Audisti, Oranges, quid isti velint? *Oranges.* Aperte satis. Nam nihil dissimulantes locuti sunt. *Misenus.* Discordia Gainæ cum Eutropio audaces facit. Væ nostro Ario! *Oranges.* Atqui non quieturum se prius promisit Gainas patri, donec templum asseclis Arii obtinuerit. *Misenus.* Favente Eutropio facile obtineret: inimicum cum habet, non est spes ulla. *Oranges.* Erit amicus, cum fuerit Consul traditus in manus Patris. *Misenus.* Amo parentem tuum, & Gainam amo: sed vel ideo Eutropii amicos, quam hostes mallem. Crede mihi, nihil apud Cæsarem valebitis contra Consulem. *Oranges.* Quod nos non valebimus, valebit victor exercitus, qui cæteros pariter opprimet, qui se nobis opponent. Saturninus & Aurelianus cum Eutropio cadent: ita Gainas jubet. *Misenus.* Omnia facilius credam, quam casum Eutropii. Annosa quercus profundas radices habet: non sternitur facile.

Oranges. At cædi poteſt ictibus repetitis. *Miſenus*. Nunquid Patriarcham etiam deſignaſtis ad cædem? *Oranges*. Non, Miſene. Populo, ajunt, eſſe in pretio nimis, nec adeo patere telis, quæ non redeant in jacientem. Sed ſi erepti fuerint Aurelianus & Saturninus, quis eſt in aula ſuper, quem habeat faventem ſibi? Enervis erit: cogetur agere, quod noſtri volent ex mente Arii. Quodſi adhuc latrare poterit, tamen non poterit mordere. *Miſenus*. Næ tibi, O bone, parum notus Chryſoſtomus eſt. Gladios veſtros provocabit in nudum pectus. Si ſtringitis, populus accurret vel defenſor, vel vindex. Si non ſtringitis, nemo Arianus intrabit templum. At Eutropius cum ſit inimicus Epiſcopi libere carpentis vitia etiam Optimatum, ſi cum Gaina & patre tuo pacem habeat, actum de Chryſoſtomo eſt. Aulam implent clientes Conſulis, populum continebit exercitus, Arius triumphabit. *Oranges*. At nobis de Ario ſecunda eſt cura: prima de Eutropio, ut illo ſtrato, Cæſar in poteſtate ſit, & imperet cum Gaina Tribigildus. *Miſenus*. Candidus es. *Oranges*. Puto me loqui Gainæ amico. *Miſenus*. Optimo & propterea anxio. Sed ecce Conſul. *Eutropius*. Hic eſt? Quid video? Oranges, captivus, an victor ades? utrumque varius rumor garrit. *Oranges*. Utrumque vere. Nam & victor ſum, & obſes pacis tibi metuendæ. *Eutropius*. Te metuam, Pupe? *Oranges*. Patrem victorem, me obſidem. * *Eutropius*. Vah! Quid agitur? *Miſenus*. Domine, Senatus in te coactus eſt. Provide tibi. *Eutropius*. Lorine, require cito, qui meum nuntiet adventum Cæſari. *Lorinus*. Eo. *Eutropius*. Senatus coactus eſt, ignaro Conſule? quid audet Cæſar? Res nova mihi, ut poſſit malum minari puer! intelligam.

* Abeunt.

SALTUS.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

Personæ. Gainas: Misenus. Oranges.

Gainas. PRospere vehimur, mi Oranges. Augustus nutare incipit, labare fortuna Consulis. *Oranges.* Hoc ego homini paulo ante cecini ferale carmen. Palluit repente, ut si audisset bubonem. Ubi est? *Gainas.* Intus cum Cæsare. *Misenus.* Admissus est statim? *Gainas.* Postquam dimissi nos. Pupugit hæc mora hominem, & frontem in rugas traxit. Multum erit, nisi exprobret Cæsari. *Oranges.* Utinam illum tumor & ira in verba præcipitent acerba magis, quam deceat loqui subditum! Ego interim nostram causam apud Augustam egi, quæ si non juvabit, nec impediet saltem: ita multum visa est mihi pertæsa hominem, & fastum exosa. *Gainas.* Feliciter. *Misenus.* Sed Saturninus & Aurelianus ut favent? *Gainas.* Nec mihi, nec Consuli. Hoc sufficit. Rem magnam perficiam hodie, quam stupeat orbis, & laudet magnopere. *Misenus.* Magnus animus! Deum te credam, si erit eventus par. *Gainas.* Spondes secreti fidem, amice? *Misenus.* Cor unum sumus. *Gainas.* Et tuam operam? *Misenus.* Omnem. Hoc cura modo, ut agas caute, & cito, ne foveam tibi fodias. Multos Consul amicos habet, multos clientes. *Gainas.* Hirundines vis dicere, quæ domum, quam colunt in vere, deserunt, cum ingruit hyems. Non metuo adversarios, qui multum garriunt, & parum audent. Dentes frangere hic capulus potest. Adverte jam,

SCENA SECUNDA.

Personæ. Priores. Accedunt Eutropius & Lorinus.

Eutropius. HIc reperio ignavum Ducem, proditorem consulis sui! .. Hoc agitur! Pacem offert Tribigildus, hac conditione, ut sibi tradatur Eutropius; quid respondet Gainas imperatorii exercitus Dux? Num stupet insolentiam barbari? Num indignatur? Num arma clamat? Num exprobrat saltem? Imo acceptat hilariter, relinquit exercitum, tantæ felicitatis ipse nuntius esse properat, advolat in urbem, ad Cæsarem intrat, &, vive, inquit, Auguste, ac gaude! pacem cum Tribigildo habemus. Ut beati simus, una conditio scribitur: hosti tradatur Eutropius! Perfide! Non intelligis, quod, qui tradit Eutropium, Cæsarem tradat? Mihi, si nescis, se debet Augustus: ego ex perduellium manibus periclitantem eripui: ego Stiliconem pro Arcadio armavi, & pœnas de proditore Rufino expetii. Quamquam quid ista memoro? Surrexit Rufinus ex tumulo, & migravit in te. Bella pacificatio! Tradantur canes, dicebant lupi, & pacem cum ovibus facimus. Patere tua consilia non sentis? Cum Tribigildo colludis. Eutropium petitis, ut rebellium gladiis, nudus præsidio Arcadius prostet. Dabo tamen aliquid libidini tuæ: ibo ad Tribigildum: imo in Tribigildum ibo, exercitus a te proditi Ductor. Quid te decuerit agere, a tuo Consule disces. Me aut triumphus, aut mors honesta, te lictor expectat. Arma, Lorine, arma! *Lorinus.* præeuntem, quo trahis, sequar. *

* Abeunt.

SCENA TERTIA.

Personæ. Gainas. Oranges. Misenus.

Gainas. Misene, Oranges, potuit Gainas miles hoc os impurum, hanc vocem fœmineam tacitus ferre? *Oranges.* Obstupui patientiam. *Gainas.* Ut se jactavit probrum! Ut tumuit! Eutropio se debet Arcadius: Eutropius Rufinum occidit: pacem orbi, coronam Augusto firmavit. Quid stringimus gladium? quid sanguinem fundimus? Miser es, Gaina! Immensas Rufini opes Eunuchus rapuit tibi: nunc etiam gloriam rapit. Labores ego subivi, tuli vulnera, bellum peregi: quo operæ pretio? fungus sum. Lacerum sagum deridet Eutropius, dum triumphat in toga. *Misenus.* Num sapis, Gaina, qui in absentem convitia jacis, præsenti, nec ausus mutire? *Gainas.* Recte exprobras. Sed me attonuit audacia hominis contumeliam tam acerbam loquentis supremo militiæ Duci. *Misenus.* Consul est. *Gainas.* Nempe hoc vocabulum mihi guttur constrinxit, ne verbum prorumperet meis consiliis noxium. Quid inani altercatione me perderem? stulta est ira, quæ non furit in tempore: nec sera vindicta, quæ commoda. *Oranges.* Ego hoc lætor, quod arma spiret Eunuchus, & chlamydem expetat. Impletur votum: sive ad Patrem eat, sive in Patrem, peribit utrinque. *Misenus.* Nec tu sapis Oranges: furor amborum excæcat animum, ut non attendatis periculo vestro. Non audisti truculenti Consulis diras minas: te lictor expectat? *Gainas.* Hoc insuper ausurum putas, ut ad virgas & flagra Gainam trahat? *Misenus.* Scis, quid Timasio, quid Bargo, quid Abundantio, quantis viris sit factum? *Oranges.* Hoc Arcadius sinat? *Misenus.* Eutropius est Imperator. Reum proditi Cæsaris te faciet, Gaina: obsecro, proditoris supplicium time. *Gainas.* Inferi! Quid ago? Occurrit modus persequendi

 cœpta.

cœpta. Oranges, celeriter ex aula te proripe, & quid agatur, admone Patrem. Hortare, ut sine mora relicta Asia, Europam populetur, ac late undique armorum terrorem circumferat. *Oranges*. Hæc vestis fugitivum obsidem prodet. *Gainas*. Aliam indue. Cives, quibus hodie primum es visus, facile falles. Hoc age celeriter, ut evadas ex aula. *Oranges*. Misene, probas consilium, quod mihi videtur desperatio suggessisse? Paulo ante securus, optima spe me implebas, Gaina: minæ Consulis verba sunt: hæc me debent in fugam agere? *Misenus*. Verba sunt, sed ominosa. Sæva hominis astutia, Princeps, non satis est nota tibi. *Gainas*. Video, dicenda mihi causa erit, qua si cado, ambo periimus. *Misenus*. In tua obedientia sita est amborum salus. *Gainas*. Et felix successus negotii. Nam audi porro. Dum ego ad dicendam causam me comparo, tu, Misene, per obscuros homines rumorem in urbe sparge, Tribigildum in Europam transiisse, & ipsi Constantinopoli minari exitium, nisi tradatur Eutropius. Quid futurum sit, vides? *Misenus*. Nempe ex magno gaudio in magnum mœrorem abrepta civitas in turbas ibit. *Gainas*. Militare præsidium ab avaro homine tot fraudatum stipendiis facile mihi devinciam. *Oranges*. Communi clamore ad necem poscetur Eutropius. Intelligo. Quid vero si sparsus rumor non inveniat fidem? *Gainas*. Nihil dubita. Probabilem fabulam tuus abitus faciet. Facile credit vulgus, quod timet. *Misenus*. Nec lenta remedia patitur. Impetu fertur in obvium. *Gainas*. Impetu vindicabunt injurias, quas tamdiu taciti ferunt a Consule, inter suspiria opportunæ occasionis. *Oranges*. Belle compositum consilium est. Obsequamur, Misene. *Misenus*. Libenter, quia sic demum consulitur securitati. *Gainas*. Divisus est labor; tu Patrem concitabis, Misenus cives, ego milites. Dividamur. *Oranges*. *Misenus*. Pereat Consul! *Gainas*. Superi! Leonem video?

SCE-

SCENA QUARTA.

Personæ. Gainas. Aurelianus. Leo.

Aurelianus. ATtonuit aspectus hominem. *Leo.* Ita est. Proditum a te Leonem vides. Perfide! redde mihi honorem Ducis! Cæsari legiones redde! sic servis? *Gainas.* Compesce hunc canem, Domine, aut jugulum reseco. Hæc vappa opprobrium mihi? Proditor tibi sim, ut tu ignavus ne fias? *Leo.* Ignavus tibi sim, ut tu proditor ne fias? *Aurelianus.* Nihil contumeliis agitur: jure certandum est. Uter sit reus male acti officii, an neuter, Judices pronuntiabunt. Leonem discessisse a Gaina, nec providentius evitasse discrimen, excusari vix potest. Gainam deseruisse exercitum, cum hostis cervicibus imminet: & pacem urgere conditione tam audaci, non minus miratur aula. Itaque utrumque captivum esse Cæsar jubet. Geminatæ ad portas excubiæ stant imperio meo. Seipsum damnat, qui tentaverit exitum. *Gainas.* Vereor Augusti nutum. Judicium facite. *Leo.* Actor ero. *Gainas.* Scilicet Eutropio judice? Domine, ad Cæsarem appello, nec alium agnosco judicem. Ipse Eutropius reus est, ego Actor. * *Leo.* Insolens tumor! *Aurelianus.* Accede, aurem servavit tibi. *Leo.* Ego, ubi reperiam Consulem? *Aurelianus.* Profectionem audio parare in castra. *Leo.* frustra parat. Gainæ scelere Tribigildus triumphat. Perdidimus omnia; & vos creditis, serio pacem peti? *Aurelianus.* Tenemus obsidem filium. *Leo.* Tenete caute! fraudes ex fraudibus timeo. ** *Aurelianus.* Excubant ubique moniti vigiles, ne qua evadat ex aula. Sed ecce, quem cupis.

SCE-

* Abit. ** Abit.

SCENA QUINTA.

Personæ. Prioribus accedunt Eutropius & Lorinus.

Eutropius. SIc te reducem video, Leo, victum, inglorium, fugitivum, quem sperabam onustum præda amplecti, & palmis gravem! *Leo.* Aliena culpa hanc spem evertit. *Eutropius.* Scio, scio. Sed meus favor hanc spem restituet. Gaudeo adesse testem, qui de perfidia Gainam convincat. Iter in crastinum distuli: hodie judicium erit. Sentiat post Gainam Tribigildus, quem lacessiverit. Jam præco per urbem bellum sonuit: prurit in arma populus: lecta nos mox sequetur in castra pubes. *Lorinus.* Tu meis te consiliis, Domine, pronum da. Fugienda sunt castra: repeto, securior in aula es. Absentem inimici oppriment, præsentem timent. Eutropi, amicum audi. Frigescere jam Cæsarem sentis, & aliquid de te suspicari: cum abieris, quid fiet? *Eutropius.* Gainæ cædes mihi Cæsarem, inimicis timorem reddet. *Leo.* Non tamen spernenda sunt, quæ timet Lorinus. Sed fac nos de Gaina triumphum agere, quo te animo excipiet Gainæ frater, sub cujus imperio exercitus agit? Metuendum, ne aperte ad Tribigildum deficiat, & pereant omnia. *Eutropius.* Nimis anxii estis. Qui omnia metuit, nihil agit. Agamus, quod suadet major necessitas, & præsens occasio: eventus relinquendus est fatis, aut consiliis Superum, si qui sunt. Nunquam immortalem se faciet, qui semper memor est, se esse mortalem. Nunc de Gaina cogitandum: deinde de me. Ardet supra modum vindictæ cupido ferox. Dum bibam sanguinem, non erit quies. Lorine, Senatum voca, & singulos, quos vocas, mone, ut sciant agi de causa jam a Consule judicata: proin unanimi voce Gainam damnent, ut solennius pereat. Ita velle Eutropium. *Lorinus.* Ut cæteri obediant, vereor, ne Aurelianus renuat, & Saturninus.

nimus. *Eutropius.* Si mihi non obedient, obedient sibi. Ario addictus Gainas est, ipsi Christo. Illudam facile hominum pietati, & causam in Religionis contemptum traham. *Lorinus.* Abeo. *Eutropius.* Tu loquere fortiter: nostra sunt suffragia: Gainas periit. *Leo.* Vive. *Eutropius.* Sed Præsul intrat; odi virum: imus. *

SCENA SEXTA.

Personæ, Chrysostomus, Nonus.

Chrysostomus. Sisto me: eritne autem ad postulatum placatior Cæsar? *Nonus.* Opinor. Turbæ, quæ aulam concitant, spondent pronum in omne consilium. Atrox malum imminet, nisi Eutropius & Gainas sibi concilientur. *Chrysostomus.* Impius in impium sævit. Hoc agit Deus in obstinatos: quod olim in inferno facient, jam faciunt modo: torquent se mutuo: severa Nemesis alterum alterius carnificem statuit. *Nonus.* Utinam solo ipsorum damno! sed pœna Cæsarem ferit prope quam ipsos gravior. Periit Asia, jactatur Europa, Aula scinditur, totus Oriens tremit trium Procerum æmulatione concussus: hoc Arcadius meruit Catholicus Princeps, & pius? *Chrysostomus.* Catholicus & pius, utinam utrumque generose, & fortiter: hoc desiderem: hoc potentia exigit, quam concessit Principibus Deus: hoc Majestas, qua fecit Superis pares. His prærogativis qui timide utitur in domandam licentiam scelerum, reus est omnium criminum, quæ impedire non audet, cum posset, atque vel ideo etiam reus pœnarum. *Nonus.* Quis prohibeat omnia? *Chrysostomus.* Prohiberi possunt plurima, possunt publica, possunt domestica. Cur in aulam, cur ad officia admittit Arcadius viros, non dico ineptos, ignotos, nullius

* Clauditur.

meriti, sed nonnunquam infames, sævos, rapaces, hæreticos, Atheos? Talibus se, sua consilia, provincias, pacis & belli negotia committit: bonos non audet audire, vel certe auditis obsequi timet: & miraris, non esse felicem? Ego sæpe apud me de imperii sui calamitate querenti Cæsari in faciem dixi: Auguste, tum felix eris, cum quod ad portas Coeli affixit decretum Apostolus, hoc tu affixeris ad portas aulæ: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque maledici, neque rapaces gratiam Cæsaris possidebunt. Domine, quantis Episcopus laboribus, qua contentione, qua patientia debet agere, ut obtineat bonum, quod obtinere Princeps hilari risu posset? ut corrigat malum, quod corrigere Princeps severioris oculi ictu posset? Sed eamus ad Cæsarem: forte vexatio dabit, ut tandem intelligat hæc.



CHORUS I.

Docetur, quam artes politicæ faciant exosum hominem apud Coævos. *

Personæ. Claudianus. Apollo. Chorus Musarum & Poëtarum.

Claudianus. Heu! Coeli, terræque pudor!
Trabeata vetula se per urbes jactitat,
Et anni titulum Eunuchus Consul effoeminat!..
Age, Claudiane, & si quid vales stylo ac carmine,
Osten-

* Theatrum exhibet Antiquarium poëticum. Claudianus patitur enthusiasmum. Musæ dictantes: Poëtæ pingentes.

Ostende te hodie.
Fallor! an faventem proposito
Apollinem video?

Apollo. Invitat argumentum. Nullis ego vatibus
Assisto libentius,
Quam qui vel laudant Numina,
Vel reprehendunt scelera. *
Eja! ingredere Antiquarium,
Et imaginem elige,
Quæ tibi sit prototypon,
Secundum quod describas Eutropium,
Et facias ectypon.

Claudianus. Musæ! quæ monstra objicitis?

CHORUS.

Qualem nos effinximus,
Talis est Eutropius.
Sic describe hominem:
Talem habet speciem.

ARIOSE. **

Musa 1.ma Vides hîc *Enceladum*
Contemptorem Superûm:
2.da Symbolum sævitiæ
Minotaurum aspice!
Utraque. Talis est Eutropius:
1.ma Impius, sacrilegus;
2.da Sævus, atrox, barbarus
Utraque. Talis est Eutropius.
1.ma Summa illi Sacramenta

* Aperitur. ** Exhibitiones.

Poëtarum sunt figmenta:
Et quæ punit scelera,
Nemesis est fabula.
Musa 2.da Quisquis se opponit, perit:
Cornu furit, clava ferit
Avidus pinguescere
Ex oppressi sanguine
Utraque. Talis est.
3.tia Quantis equus *Dardanus*
Fœtus est militibus:
Tantis est Eutropius
Semper fœtus fraudibus:
4.ta Quanta est tricorpori
Vastitas *Geryoni*:
Tanta in Eutropio
Eminet ambitio.
Utraque. Talis est.
3.tia Gnarus artis architectus
Vix fœcundum quatit pectus,
Cum, qua vis non pertigit,
Viam dolus aperit.
4.ta Unus amat adorari
Judex, Consul, Dux vocari:
Unus cogit spurium
Orbem sub imperium
Utraque. Talis est.
Musa 5.ta Turpi avaritia
In Harpyiam abiit.
6.ta Sordidus luxuria
Ut Chimæra diffluit.
Utraque. Talis est.

Musa 7.ma Mille *Hydram* Capitum
Fecit adulatio:
8.va Et Trifaucem *Cerberum*
Mordax æmulatio:
9.na *Sphingem* dant recondita,
Et ad innocentium
Posita interitum
Pessima consilia:
Omnes tres. Talis est.

CHORUS.

Sic describe hominem:
Talem habet speciem.

Claudianus. Cessate Deæ optimæ!
Nondum, ut video,
Qualis sit Eutropius, intelligitis bene:
Nulla formavit ectypon,
Quod prototypo respondeat plene.
Monstrum est monstrorum teterrimum.
Apollo. Monstrum monstrorum teterrimum
Quid est, nisi monstrum ex omnibus monstris compositum?
Ergo agite!
Unum in corpus monstra omnia componite.

CHORUS.

* Conjungimus, componimus!
Talis est Eutropius:
Sic describe hominem:
Talem habet speciem.

* Ex omnibus monstris fit unum.

Claudianus. Sic eſt! . talis eſt! . quo me rapis, Vates Delie?
Pectus ſentio plenum Numine.

ARIA.

Apollo. Age, age, jam ceſſa morari!
Acerbum te opus conari,
Commune poſcit odium,
Quo ardent in Eutropium,
Qui alunt virtutis amorem in ſe.
Apollinem habes faventem,
Et pio labori plaudentem: *
Pro calamo do ſpiculum,
Pro atramento toxicum:
Sic decet in ſcelera ſcribere te.

Claudianus. Obedio. ** Timete ſcelerati!
Vix ferit mitius ſagitta Apollinis,
Quam fulmen ſummi Numinis.

ARIA.

Non ſtatim ſemper fulmina
Ad vindicanda ſcelera
De cœlo jaciuntur:
Sed linguæ loco fulminum
In ſcelerum ſupplicium,
Et calami ſtringuntur.
Nec levis eſt miſeria,
Hanc pœnam promereri,

Et

* Tradit telum & venenum Apollo. ** Clauditur.

Et inter mala publica,
Ut pestis, recenseri.
Commune odium
Plerumque nuntium
Est odii Deorum:
Et ultimum reorum
Est ad interitum.



ACTUS III.

SCENA PRIMA.*

Personæ. Arcadius. Gainas. Eutropius. Leo. Saturninus. Aurelianus. Nonus. Senatus.

Arcadius. AGnosce Dominum, Gaina, & arma pone! *Gainas.* Adoro Cæsarem! *Arcadius.* Agnosce Dominum, Leo, & arma pone! *Leo.* Adoro Cæsarem! *Arcadius.* Quod imperamus, Nonus exponat, qui nobis est a Secretis. *Nonus.* Caussam dicere Cæsar imperat vobis. Gaina! accusaris de perfidia: Leo! ignaviæ reus diceris: uterque proditi Tribigildo imperii accusatur. Conceditur defensio. Si quid parastis, dicite. *Leo.* Auguste, paucis, quæ me absolvunt, dabo. Tuis auspiciis, mandato Consulis uterque cum exercitu in Tribigildum profecti sumus ad Bosphorum Thraciæ. Cum junctis viribus vindicanda esset Asia, Gainas tuendæ Europæ specie otiosus consedit: ego in provinciam transii. Sensi continuo, me proditum esse. Nam cum nihil de meo adventu hostibus, nisi per hunc innotuisse potuerit, tamen in præparatas insidias incidi. Missi

sine

* Aperitur Curia, & exhibetur consessus Senatorum.

ſine mora, qui de periculo meo Gainam monerent. Juvare poterat: neglexit. Ita circumventus exercitus periit, paucis mecum fuga elapſis. En crimen, en ſcelus meum. De quo arguor? Num quod ſolus ingreſſus ſim Aſiam? in id, credo, miſſus eram, ut nobiliſſimæ regionis incendia otioſus ſpectator intuerer? Num quod non felicius dimicaverim, vitio vertitur? Ab hoſte deceptus, a ſocio proditus, quid poteram, niſi perire? Vide, Gaina, quam hæc te accuſatio premat. Nam quid neges? deſidem te aſſediſſe? Age, ubi fuit, ubi nunc eſt exercitus tuus? quem hoſtem vidit, niſi quocum tractaſti proditionis conſilium? Quam urben recepit? quem agrum a populatione defendit? Quid obmuteſcis? Hem! Judices, iſte Leoni ignaviam exprobrat? ubi quæretis milites ejus? Adhuc in Boſphoro hærent, & Thraciam devorant. Saltem moviſſes te, frater, requiſitus a fratre ſupremi diſcriminis aleam ſubeunte. Neſciſſe te dices? Adſunt teſtes, quotquot comites miſerabilis fugæ habui, quam celeriter, quam anxie tuam opem popoſcerim. Sed perire debui, Judices, ut pudendæ paci, quam machinatus eſt proditor, color qualiscunque neceſſitatis allini poſſet. O rem auditu fœdam! Pax rebelli promittitur: promiſſæ pignus ſpondetur Romani Conſulis Caput. Inferi te perdant, Proditor, ita non modo perfidus, ſed amens es! Stultitiam hominis obſtupeſcite! Qui pacis conditionem ferat, non mittit Legatum, ipſe venit: neque advertit miſer, de ſuſpecto cum Tribigildo commercio teneri ſe poſſe, ſi tam tetræ pacis ſuaſor veniret. Adeo furor, & odium mentem everterunt. Tenetur. Veſtrum jam eſt, decernere, non, num damnandus ſit, qui deſidiæ & proditionis convictus eſt: ſed quam gravi pœna damnandus ſit, qui ſe Romanum Conſulem in manus hoſtium tradere voluiſſe confitetur, & jactat. *Arcadius.* Gravis accuſatio! Quid dicitis Patres? *Omnes.* Reus eſt Gainas! damnamus! *Eutropius.* Fiat juſtitia, Cæſar! audiatur & altera pars. Si quid

habet

habet Gainas, quo se tueatur, & me accuset, evomat rabiem, loqui liceat! *Arcadius.* Loqui licet. *Gainas.* Audiatur & altera pars! O sanctum Consulem!. nisi in tua unius æquitate, Cæsar, spei lætioris radius aliquis mihi micaret, frustra audirer apud eos, qui, ut audisti, incondito clamore jam necdum auditum damnarunt. Ignosce Cæsar, si, priusquam pro me dicam, contra hos judices pauca loquar: loquar autem libere, quia innocens, & miles, & in causa Capitis. Reus est Gainas, damnamus! uno ore clamabant: cujus ore, nisi Eutropii? Video enim plerosque omnes Consuli obnoxios esse. Quid enim? nonne *Te* ex Cerdone Senatorem fecit Eutropius?. *Tibi* præturam Syriæ vendidit? *Tibi* opulentam litem contra propinquum adjudicavit? *Tibi* præfecturam Anatoliæ, cum primum vacabit, promisit? *Te* carnificis gladio, cui debebaris, subduxit? *Tibi* constricto marsupio linguam devinxit? Tristis verecundorum hominum admurmuratio facit, Cæsar, ut credere possis, neminem istorum ab hac labe esse imunem: excipio, & honoris causa nomino viros clarissimos Saturninum & Aurelianum. Et hi judices mei sint?. Qui igitur latrones, si vos judices? nisi velitis Eutropii apparitores vocari, quibus sine novo examine licet occidere, quoscunque judex mortis reos edixit. Reus est Gainas, damnamus! cur reus? de quo reus? Vidi enim aliquos vestrûm dormitasse, cum iste declamavit, & nescire adeo, quid dixerit. Repetam ego, ut intelligatis nunc denique. Reus est Gainas, de quo? de desidia, de proditione, de turpissimæ pacis consilio. Nempe in Thracia hæsi, nec in Asiam transiens ad prælium Tribigildum adegi. Utinam quidem Leo tu ejusdem mecum criminis reus fores, non tot fortium virorum cadavera in barbaris regionibus inhumata putrescerent. Nempe hosti fortissimo, & multitudine prævalenti legiones paucas objicerem, & totius Europæ salutem in unius prælii incertum eventum projicerem? Sed quid mihi hæc contentio est cum

fungo heri nato! ita ſtupidus es, ut etiam carpas, credo, Fabium illum maximum, qui cunctando reſtituit rem. At cur opem non tuli periclitanti? certe prodidi deſerendo. Nempe poſt cladem veniſſem, quæ prius facta eſt, quam nuntiata. Tu homo novus, cui egregius Conſul heri primum gladium appendit ad latus, veterani Ducis conſilio obtemperare debueras, nec a latere tui tutelaris diſcedere. Sed Leonis nomen fecit audacem, credo. Muta jam nomen: viciſſes, vel cecidiſſes in acie, ſi Leo fuiſſes: fugiendo probaſti te leporem eſſe. Satis tibi reſponſum eſt, puto. Venio ad id, Cæſar, quod graviſſimum ineptus homo objecit: Conſulem volui tradere. Fatentem habes, Auguſte, num ideo reum? Ita, ſi pacem acceptaſſem, ſi Tribigildo me adjunxiſſem, ſi Conſulem te inſcio, te invito, per vim aut fraudem abreptum in hoſtium poteſtatem dediſſem: at inducias pepigi, obſidem accepi, veni, pacis conditionem tibi Domino meo propoſui: ut admitteres, ſuaſi: quid egi contra officium ſervi? Iterum ſuadeo, Cæſar, Eutropium Tribigildo ut tradas. Cur ſuadeam, quæris: quia tibi eſt utile, ipſe meretur. Tribigildo, Cæſar, pares non ſumus. Perdidimus Aſiam: Europa in periculo eſt: unius ſemi-viri ſcelere peribis totus. Oppreſſarum ab Eutropio provinciarum ſuprema ſuſpiria commoverunt Tribigildum, ut arma corriperet, non quibus Domino provincias raperet, ſed quibus eas, quoniam aliud medium nullum erat, a rapinis ſervi defenderet. Trahatur ad pœnas Eutropius: arma ponet, Aſiam Tribigildus reſtituet, & impii Conſulis capite toti Reipublicæ conſuletur: quid poteſt honeſtius peti? Quid facilius dari? Nimirum innocens, & optime meritus petitur? Igſiota tibi, Cæſar, hominis nefarii flagitia ſunt, nempe cui nemo eſt auſus narrare: aut qui narravit, fidem non meruit. Ego tibi, ſi pateris, hodie narrabo, meo periculo, Reipublicæ bono. *Omnes.* Cæſar, tacere jube. *Gainas.* Hem! amorem clientum! hem fidem!

ut

ut nutum observant! ut cavent Patrono! Felix es, Eutropi! qui fideles adeo servulos numeras! *Omnes.* Cæsar, tacere jube! Gainas est reus! damnamus! *Eutropius.* Quiescite. Auguste, furiosi, quibus rationum inopia est, solent pugnare convitiis. Ego si per te licet, una interrogatione hominem perduellionis convincam. *Arcadius.* Age causam tuam. *Eutropius.* Gaina, quo obses au fugit? ubi Oranges? . . ut stupet Miser? *Gainas.* Provide, si fugit, egit. *Eutropius.* Nempe tu nescis? . Auguste, quid agatur, non vides? en! novum scelus! Quem tibi obsidis specie Orangem tulit, mutatis vestibus ad Tribigildum remisit. *Arcadius.* Grave facinus! *Omnes.* Gainas est reus: damnamus! *Arcadius.* Oranges, ais: effugit? *Eutropius.* Fugit, ajo: ne effugeret, curam habui. Lorinus cum servis missus est, ut retrahat. In momenta expecto. . . Quin ecce adest.

SCENA SECUNDA.

Accedit Lorinus, & Oranges.

Arcadius. SOlum video sine Orange? *Lorinus.* Cæsar! ingens malum narro. *Arcadius.* Assueto narras. Dissimula nihil. *Lorinus.* Retractum ex fuga Orangem dum reveho, turmæ civium in foro erant. Visus circumsistor continuo: quem veham, interrogor. Filium Tribigildi, respondeo animose, qui tentavit effugere. Ergo non erit pax, inquiunt illi? non erit, inquam, nec esse potest cum perduelli. Exarsit ad hanc vocem Oranges, &, ne credite, clamat, ne credite, cives: Pater perduellis non est. Non odit Arcadium: Eutropium odit, qui & vos ipsos odit: Eutropium tradite: erit pax. Interea, ut fit, plenum hominibus forum fuit, ad quos ille jam audacior: vivite cives, ingeminat: pereat Tyrannus Consul! *Eutropius.* Vah! versipellem? *Lorinus.* Repetunt votum cives, & impetu

mihi Orangem eripiunt. Ego inter convitia, & lapidum jactus vix evasi incolumis. *Arcadius.* Periisti Gaina! hoc tuæ sævitiæ ingenium est. *Omnes.* Gainas est reus! damnamus! *Arcadius.* Aureliane, militem dispone in ordines, compesce tumultum, & nobis provide. Tu Lorine observa, quo se furor ulterius ferat. *Eutropius.* Misenus etiam neglectæ custodiæ det pœnas, Cæsar! *Lorinus.* Ipsum ego, nisi oculi me fefellerunt, inter bacchantes vidi. *Eutropius.* Novum argumentum. Seditio est. Det pœnas caput! *Omnes.* Gainas est reus: damnamus! *Gainas.* Quem populus ad cædem postulat, reus est: damnetur. Commune odium, Cæsar, non cadit in innocentem. Neque hodie natum putes: adultum est, sed quod prodire in publicum non est ausum, donec vidit, secure prodire se posse. Hodie potest protectore Tribigildo. *Arcadius.* Gaina! Eutropi! quo me redigitis? *Eutropius.* Populum Auguste metuis? *Arcadius.* Execror proditores. Sic impero? Tribigildus invadit, Gainas deserit, Eutropius exosum subditis facit? Quo vertar? *Eutropius.* Hoc merui, Cæsar, tot annorum fide, ut una vox seditosæ plebeculæ ream innocentiam faciat? *Oranges.* Cæsar vive! *Gainas.* Salvus sum. *Arcadius.* O proditor! *Eutropius.* Perimatur! *Oranges.* Reddo me tibi Cæsar, ut intelligas, non te peti, sed Consulem tuum. Prodi ad concionem: querelas audi: scies non sine causa Eutropium ad necem peti. Placavi tumultum: audiendos promisi. Prodi! *Eutropius.* Quasi diceres: in mortem abi. Jube, Cæsar, ut pro te arma recipiat Leo: ibimus in rebelles! *Gainas.* Gainæ impera! *Saturninus.* Nihil est hoc impetu opus: si quid suadere Saturninus potest, populo te monstra Cæsar! quid postulet, audi. Non aliud, ut apparet, nisi liberas querelas petit, & benevolas aures. Aspectu Majestatis erit sedatior, & compositus verbo benigni patris. *Eutropius.* Male consulis. Concitata plebs non est reverentiæ memor: prematur metu. *Arcadius.* Sile. Non bene con-

animus. Despectas amplecti Aras ego ausim? Populus feret? Irrito acrius: irrumpent, & victimam cives furori facient. *Chrysostomus.* Irrumpent, me vivente, intuente? nihil metue. Hoc pectus pro muro erit. *Eutropius.* Velut si dulce somnium mulceret pectus, ita dubiæ spei suavitas timorem temperat. Quid? Ego credidissem heri, fore, ut hodie ab omnibus deserto, opem contempta Ecclesia, opem contemptus Præsul ferat? Quid juri sacro debuerim, nunc tandem disco. *Chrysostomus.* Et discent ex te posteri, quam certa, & gravi pœna vindicet juris sacri comtemptum Deus. *Eutropius.* Ex me discent.

SCENA QUINTA.

Accedit Lorinus.

Lorinus. EUtropi, ultimum a tuo Lorino obsequium cape. Amice moneo, latebras ama, fuge! *Eutropius.* Quo loco sunt meæ res? *Lorinus.* Ut pejori esse non possint. Tribigildi timor, Gainæ furor, tui odium ita populum efferavit, ut unus sit omnium clamor: tradatur Eutropius! pereat! *Eutropius.* Et quid Cæsar? *Lorinus.* Selectos ex civibus decem jussit ad se venire, & auditurum querelas promisit, atque ultimis pœnis ulturum, si intellexerit dignas. *Eutropius.* Interii! *Lorinus.* Jamque itum est ad judicium, nisi verius ad supplicium dicam. Dilapsi milites portas custodiunt alii, ne qua evadas: alii diripiunt ædes, dejiciunt statuas, trophœa frangunt: cives scrutantur angulos in prædam avidi: nihil pacatum est. Fuge, & vale. * *Eutropius.* Ergo cur non fulminat vindex Numen orbi exosum caput? *Chrysostomus.* Ut inclines pœnæ clementis Patris superbum caput. *Eutropius.* Pudor, timor, desperatio, Pater, nihil jam sanum cogitare me sinunt. *Chrysostomus.* Pudor bonus, timor bonus, bona desperatio est, quæ ad Deum

* Abit.

compellit. In templum fuge! *Eutropius*. Ah! in templum! Maledicte sol, qui hunc funestis radiis illustras diem, æternis tenebris dignum! *Chrysostomus*. Nihil istæ querelæ juvant. In templum fuge. *Eutropius*. Nempe futurus spectaculum? *Chrysostomus*. Jucundum Deo, hominibus salutare! *Eutropius*. Aperiat se vorago stygis! abscondar melius. Templum, quod semper sprevi, nunc credo, solatium feret? *Chrysostomus*. Asylum feret. *Eutropius*. Asylum triste! *Chrysostomus*. Perire mavis? *Eutropius*. Dura necessitas! *Chrysostomus*. Veni.

SALTUS.

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.*

Persona. Oranges. Misenus. Milites. Cives.

Oranges. NEcdum repertum est probrum? *Miles* 1.^mus^ Omnia scrutati sumus. Latet. *Oranges*. Ah! si evaserit! *Misenus*. Huc miles! huc civis adsit! Oranges! in templo latere, qui vidit fugientem, me docuit. *Oranges*. Irruite! Me sequimini! *Civis* 2.^dus^ Irrumpere in sacram ædem non licet Domine? *Misenus*. Quid? Timasii conjugem per armatos ex templo exturbavit Eutropius, rapi ipse non potest? *Oranges*. Invadite. *Civis* 3.^tius^ Petendus est a Patriarcha. *Misenus*. De lata lege non scitis? *Civis* 4.^tus^ Legem impiam esse Præsul docuit. *Oranges*. Damnatus ad mortem: Eutropius est: implenda jussa Cæsaris. 5.^tus^ Sine injuria Dei. *Oranges*. Video, jam friguit furor. Sed hoc scitote: aut consulem dabitis, aut nulla est pax. 6.^tus^ Quid nos turbas? tradetur, peribit! *Omnes*. Tradetur, peribit 7.^mus^

In

* Aream templi exhibet Theatrum.

In stationes succedamus, nec hinc abibimus, donec se ipse tradiderit. *Misenus.* Aut scilicet occultis modis evaserit. *Omnes.* Non evadet: peribit. *Oranges.* Sed hem! templum se aperit. Adest scelestus! *Omnes.* Non evadet: peribit. *Misenus.* Furem, latronem, parricidam patriæ nobis trade, Præsul! *Omnes.* Furem, latronem, parricidam patriæ nobis trade, Præsul: damnatus est; pereat!

SCENA SECUNDA.

Accedit Chrysostomus, & Eutropius.

Chrysostomus. TEmperate furorem Cives! *Omnes.* Furem, latronem, parricidam patriæ nobis trade, Præsul: damnatus est: pereat! *Chrysostomus.* Silentium date! Nam ego vos interrogo, num homines sitis? Homines hominem videtis ex summæ felicitatis culmine in abyssum extremæ miseriæ repente præcipitem. Meministis, ut ingressus sit heri turba clientum stipatus, famulantum obsequiis cultus, prælatis fascibus & securibus formidabilis! Hodie, ubi est ille consulatus splendor? ubi coronæ, & aulæa? ubi applausus & theatra? ubi fucati amici, parasiti, & turba coquorum? ubi auri & argenti accumulata congeries? ubi arcus & statuæ? ubi palatia, & horti? Ecce vehemens turbo momento decussit hæc folia, ut vix nudum truncum quassata radix sustentet, jam & ipsa vacillans. Quanto esses felicior, O miser Eutropi, si prius hæc fieri posse cogitasses, quam fierent! Ego te, quoties ut cogitares, ut metueres, admonui? Rejecisti cum stomacho: cantus mollis præ duro placuit, adulatio præ veritate. Hem! vanitas vanitatum! Adeste huc pauperes, & gratias paupertati habete, quæ vos ab his casibus immunes facit! Adeste divites, & fastum ponite, quo supra inflatos utres turgetis! Ille, qui heri orbem suæ fortunæ terrore concussit, videte, ut hodie buxo

pallidior, timoris vi velut catena fortissima alligatus est sacris Altaribus! Triste silentium, oculi inquieti, titubans caput, collisi dentes, collabentia membra satis loquuntur, quid patiatur animus, exacutos gladios, & carnificis rabiem in momenta expectans. Quid vero? Num insultans hæc loquor? imo commiserans, & commiserationem expectans. Injurias vobis fecit? fatetur, deprecatur, deplorat. Necem est meritus? Necem ego deprecor. Cui? Furi, latroni, parricidæ Patriæ? Eutropio Consuli. Satis miser est, cives, qui ex felice fit miser: quid ei vitam miseram invidetis? Homines in hominem humani este. Quod scelestus abdiderit se in Ecclesiam: quod ab Ecclesia propugnetur, qui toties oppugnavit Ecclesiam, indigne hoc fertis? Laudo zelum, Religionis fervorem probo: vos Dei justitiam adorate, qui in eam necessitatem conjecit Eutropium, ex qua Ecclesiæ & potentiam disceret, & clementiam. Potentiam agnosce, Eutropi: nam quia contempsisti Ecclesiam, contempsit te Deus, & exposuit te totius orbis contemptui. Clementiam vos commendate, videntes, quod Ecclesia injuriarum oblita velut obtento scuto miserum tueatur, & ab ira Imperatoris defendat. Nunquam hoc Altare fulsit illustrius, quam cum ad ejus pedem Leo vinctus prosternitur, qui eversurus accesserat. Hoc trophœum potentiæ Ethnici stupent, agnoscunt Judæi, venerantur hæretici: hoc exemplum clementiæ imitentur Christiani. Desinite, cives mei, desinite sævos clamores! Sinatur vivere Eutropius! donetur Ecclesiæ!.. Placet silentium. Confide Eutropi, vives, ut possis errata corrigere. Agite, ad Cæsarem sequimini me: vitæ gratiam captivo oramus: ita homines, ita Christiani, ita filii Ecclesiæ sumus. *Civis 1.mus* Præi Pater! ad Cæsarem imus. *Omnes.* Præi Pater, ad Cæsarem imus. *Chrysostomus.* Miles ad fores subsiste, ne fraus aut vis pios conatus eludat.....

SCE-

SCENA TERTIA.

Manent Oranges & Misenus.

Misenus. QUid stupes, Oranges? *Oranges.* Possumne meis oculis, meis auribus credere? ita subito ultimus impotentis populi furor detumuit? Episcopus hoc unus, & solus possit? *Misenus.* Nempe quem commendat opinio sanctitatis. Nondum tu Chrysostomum nosti. Summa viri æstimatio est, summa facundia, summa sapientia, summa virtus, atque quæ ex his gignitur, summa auctoritas. Nondum integer annus abiit, quo sedem Constantinopoli Episcopus tenet: audi jam, quanta præstiterit. Primum Montanistas ex omnibus Imperii urbibus lata lege, quam ab Arcadio impetrarat, ejecit; deinde gravissima Episcoporum cum Pontifice Romano dissidia composuit: tum Cleri mores correxit prohibito virginum, quas Agapetas, & sorores adoptivas vocabant, cum illis commercio, & sublatis victus lautitiis. Præterea damnato Luxu Nectarii, qui ante ipsum rexit Ecclesiam, sustulit inutiles sumptus, & in ædificanda nova Xenodochia expendit: tum in defensionem pupillorum ac viduarum incubuit contra potentum injurias, quorum etiam fastum, profusas expensas, morum licentiam, peccandique notam audaciam objurgare non cessat. *Oranges.* Et impune? *Misenus.* Habet inimicos multos ac magnos, quos inter primum, istum Eutropium numeraveris, cujus saluti modo tam avide se impendit. Sed, quid agatur, si vel orbis universus in ipsum insurgat? Vir est, qui nihil timet, præter peccatum. Episcopatum non desideravit accipere, non desiderat diutius tenere. Si deturbetur, redibit in solitudinem gaudens: dum sinitur, pastoris officium aget intrepide. Hæc sunt, quibus auctoritas viro stat, & ea causa est, quod monueram Gainam, ut laboraret Chrysostomum sternere. Eo stante fore, ut

ut nostri Arii doctrina floreat, aut templum nobis vel unum in urbe struatur, sperari non potest. *Oranges.* Sterni & ipse potest, uti potuit Eutropius. *Misenus.* Falleris. Chrysostomus populo in amoribus est, Eutropius in odio fuit; grande discrimen habes. Quamquam quid si & Eutropius a casu resurgat? Populum mutatum vides. *Oranges.* Milites erunt iidem, quamdiu Gainas cum ipsis est. Age tamen, accedimus ipsum, ut, quid sit actum, cognoscat. Sed ipse prodit.

SCENA QUARTA.

Accedit Gainas.

Gainas. ORanges! in idem recidimus Chaos: placatus est miles Eutropio, placatus populus. *Oranges.* Vah! Miles etiam? *Gainas.* Arcadii reverentia, qui populi a Præsule adducti precibus gaudens, vitam donabit Eutropio: ita existimo. Quid? etiam nos donabimus vitam? *Misenus.* Nisi nos novis periculis velimus exponere. *Oranges.* Hic latet. Custodibus in fugam actis conficimus hominem. *Gainas.* Consilium temerarium est. Quid intus agit? *Oranges.* Pavens expectat sententiam. *Misenus.* Vos non pavetis? Nondum absolutus judicio es, Gaina. Quiete reddita populo, si rursum citeris, quid fiet? *Gainas.* Vanus metus est. Nam irritare Tribigildum nova audacia non audebit Arcadius. Eutropium deposuisse contentus, mittet me potius ad pacem firmandam, cujus te obsidem habet. *Oranges.* Sed pacem vix faciet Pater, nisi ducas Eutropium tecum. Scis, illum peti. Sic ego diu captivus ero. Et si interea nova ab Honorio auxilia, ut rumor est, contra Patrem advenerint: Si prælio, ut varia fortuna est, Pater succumberet: quid filio fieret? *Gainas.* Multa prospicis. Itaque si hoc agimus, ut hodie Eutropius pereat penitus, tum credo, prospe-

prospectum satis. *Misenus*. Sed arduum est facinus. *Gainas*. Tribigildum metuit populus: hic metus juvat: hic securam omnem audaciam facit. Invigilo occasioni.

SCENA QUINTA.

Accedunt Chrysostomus. Aurelianus. Saturninus. Eutropius.

Aurelianus. GAina, te Cæsar petit avidus loqui. *Gainas*. Utinam quod Tribigildus velit, loquatur! Eamus! *Oranges*. Non ita facile, ut creditis, inimico placatur pater. Sanguinem sitit. *Chrysostomus*. Lacrymæ si propinentur, contentus erit. *Saturninus*. Vel si tigris foret. *Misenus*. Docebit exitus. * *Chrysostomus*. Eutropi, gratiam vitæ Cæsar juramento fecit. Securus prodi. *Saturninus*. In pœnam exilii mutabitur mortis sententia. Animum compara, qui decet virum. *Aurelianus*. In prætorio pones purpuram, & locum audies, ubi reliqua ducenda est vita. *Eutropius*. Ergo extremum visa est hæc ara mihi! .. O tristis abitus!. Occultus saltem ex urbe ibo? Nam ut ferre possim supremum dedecus, & quos solebam lictores sequi, videre comites? *Chrysostomus*. Quod ferre necesse est, ferendum moderate. Tandem sit cura animæ: aliud quod perdas, nihil superest. Opes, voluptas, gloria, honor, fama jam periit: animam serva. Vixisti hactenus, quasi totus moriturus: nunc vive tandem, tanquam qui animam habeas, quæ victura est semper, & corpus, quod ad vitam resurget. *Saturninus*. Scilicet hæc cogitare felicibus non lubet, infelicibus non vacat. Utrisque cogitanda sunt tamen, illis, ne inebrientur dulcedine bonorum præsentium: his ne mergantur in amaritie malorum. *Aurelianus*. Lectio Eutropiis nova, nec facilis intellectu. *Chrysostomus*. Certe. Et quis præsentium avidus de futu-

* Abeunt.

futuris sit anxius? Absorbetur memoria. Fatere de te. Nonne si subibat cogitatio hæc vel similis: Eutropi, quamdiu hæc felicitas erit, & quid deinde? excussisti pro importuna, id existimans, quæ de futuris narrantur, aut incerta esse, aut saltem remota? Certa nunc saltem crede: propinqua fortassis senties. *Eutropius.* Quid me ista solari possunt, quæ non capio? Reddite Cæsaris gratiam, & bona perdita: hæc jactura afficit: hanc intelligo. *Saturninus.* Præsul, animal loquitur. Quid disputare juvat? in prætorium eundum est. *Eutropius.* Heu! oculos subeam irati Principis! *Aurelianus.* Si unquam, hodie certe te semi-virum probas. Fœmineos quæstus mitte: aut si plangere juvat, culpam, non pœnam plange: nihil supra meritum pateris. *Eutropius.* Suspiria prohibes? Quod est levius solatium misero? *Aurelianus.* Suspiria prohibeo impatientis animi, non pœnitentis. Miles in prætorium trahe. * *Eutropius.* Festina optata nox! involve tenebris infelix caput! *Chrysostomus.* Sic omnis ferocia in lachrymas abiit. En Saturnine, hæc impiorum est fortitudo: multa mala agere, nulla pati. *Saturninus.* Hæc est: sequamur Præsul, & ultimum spectemus tragœdiæ actum. *Chrysostomus.* Opto, ut intelligat denique choragum Deum.



CHO-

* Abeunt.



CHORUS II.

Docet, quam Artes politicæ faciant hominem exosum apud Posteros. *

Personæ. Apollo. Claudianus. Æternitas. Chorus Sæculorum.

Apollo. Approbo opus egregium.
Claudianus. Tuum beneficium.
Apollo. Repeto:
Dedicetur Æternitati: *ita censeo.*
Jamque stamus in atrio.
Sciant futura sæcula,
Quale tulerint monstrum præsentia tempora.
Claudianus. Sciant, & horreant scelera,
Quorum hîc legent supplicia.
Quanquam quid licet sperare?
Video antiqua exempla,
Quæ sæcula dederunt præterita.
Multi ante me scripserunt:
Post me, qui scribent, plures erunt:
Nec tamen stylus curiæ mutabitur,
Nec mundus emendabitur.
Apollo. Non ideo frustra scribitur.
Saltem perpetua

Scele-

* Theatrum exhibet aulam Æternitatis. Sæcula præterita circumstant ut statuæ. Futura exeunt cum ipsa per portam magnificam. Claudianus libros suos in Eutropium dedicat Æternitati.

Sceleribus hæret infamia,
Cujus pudore ſi mali non emendantur,
Boni tamen conſervantur.

ARIA.

SInt Scythas inter barbaros,
Qui veſtros olim calamos
Ridebunt.
Qui boni erunt animi,
Quid *ſeri dicant Poſteri*,
Timebunt.
Ceſſate ſcribere:
Jam timor ſecuturæ
Sublatus eſt infamiæ:
Et nunquam deſituræ
Corrupta ſtirps propaginis,
Amota falce, impiis
Luxuriabit undique
Eutropiis.

Claudianus. Hæc ſaltem ſpes
Noſtros ſolatur labores.
Apollo. Sed prodit Regina. . . . * *Fit plauſus.*
Æternitas. Quid me poſtulas, Phœbe,
Deorum humaniſſime?
Apollo. Dea ſuaviſſima, patere,
Ut tibi dedicem opus hoc mei Poëtæ!
Dignum eſt, quod immortali cedro inſcribatur,
Et cuſtodiendum futuris ſæculis committatur.
Æternitas. Quod eſt operis argumentum?
Claudianus. Monſtrum turpiſſimum.

Vir,

* Prodit Æternitas cum pompa.

Vir, non vir, servus & liber,
Dives & paŭper, felix & miser,
Sempèr alius
Et semper idem Eutropius. . . . meretur,
Ut ipsum Æternitas execretur.

A R I A.

QUi sua per facinora
Hæc funestare tempora,
Et suavem placidorum
Quietem populorum
Est ausus perturbare:
Ut ipse post mortem in pace quiescat,
Et placide sui securus putrescat,
Non decet tolerare.

2.

Si scelerum memoria
Ad tartara cum anima
Eodem casu rueret,
Quis bonos, quis subtraheret
Furori Tyrannorum?
Qui mortuos lacerant *calami* dentes,
In ipsum cadaver post mortem furentes
Sunt terror successorum.

Æternitas. Vah! quid lego? . .

A R I A.

Nefanda artificia!
Assurgere per scelera

Et fundamentum ponere
Ruinam honestatis!
Vos prohibete Cœlites,
Ne fraudum hi artifices
Magistri forte posteræ
Sint etiam ætatis.

Apollo. Ut hoc malum impediatur,
Omni ætate Claudianus legatur!

Æternitas. Legatur! *
Eutropios Aulæ horreant
Castra caveant,
Urbes expaveant!

Claudianus. Et sit hoc primum documentum, hoc præcipuum,
Hoc frequentissimum,
Quod Matres parvulis
Inculcent filiis:
Fili, si gratus Cœlitibus,
Si charus hominibus,
Si felix esse vis,
Cave, ne Eutropius sis.

Apollo. Quod si quis tamen ejus facta imitetur,
Iisdem cum ipso suppliciis mactetur,
Et pariter perpetua laboret infamia.

* Tradit librum sæculis.

CHO-

CHORUS.

* Lingua, ſtylo laceſſatur!
Maledictis configatur!
Laceretur ſatyris!
Ab amicis deſeratur,
Ad tribunal rapiatur:
Tremat in judiciis:
Nemo ſit, qui deprecetur,
Nemo, qui patrocinetur,
Nemo, quem miſereat:
Nulla pœna remittatur:
Accuſetur, convincatur,
Condemnetur, pereat!



ACTUS V.

SCENA PRIMA.

Perſonæ. Gainas. Oranges. Miſenus. Nonus.

Gainas. AGe, audire juvat latæ ſententiæ formam. *Nonus.* Legam ex tabulis: Arcadius & Honorius Auguſti, Aureliano præfecto prætorii. Omnes res Eutropii, qui quondam Præpoſitus ſacri cubiculi fuit, ærarii noſtri calculis adjunximus, erepto ſplendore ejus, & conſulatu a tetra illuvie & commemoratione nominis ejus, & cœnoſis ſordibus vindicato: ut ejusdem univerſis actibus antiquatis omnia muteſcant tempora: ne ejus enumeratione, ſæculi noſtri labes appareat:

* Præcinit Claudianus.

nec ingemiſcant, aut qui ſua virtute ac vulneribus Romanos fines propagant, aut qui eosdem, ſervandi juris æquitate cuſtodiunt, quod divinum prœmium conſulatus, lutulentum prodigium contagione fœdavit. Patritiatus etiam dignitate, atque omnibus inferioribus ſpoliatum ſe eſſe cognoſcat, quos morum polluit ſævitate. Omnes ſtatuas, omnia ſimulacra tam ex ære, quam ex marmore, ſeu ex fuſis, quam ex quacunque materia, quæ apta eſt effingendis, ab omnibus Civitatibus, oppidis, locisque privatis ac publicis præcipimus aboleri, ne tanquam nota noſtri ſæculi, obtutus polluat intuentium. Adhibitis itaque fidis cuſtodibus, ad Cyprum inſulam perducatur, ut ibidem pervigili cura vallatus, nequeat ſuarum cogitationum rabie cuncta miſcere. Datum 16. Calendas Februarii Conſtantinopoli. Theodoro Manlio Conſule. *Oranges.* Bene habet. Et quando abibit? *Nonus.* Parata ſtat navis. Pudori ut conſuleret expuncti Conſulis Cæſar, juſſit, ut dum Præco latam ſententiam frequenti populo nuntiat, ipſe eodem tempore ignota ſub veſte latens per vicos ſpectantibus vacuos ducatur ad mare. *Miſenus.* Nobis paſti & expediti ſtant equi, ut, quamprimum abierit, ad Tribigildum avolemus, relaturi, optatam pacem. *Nonus.* Ita vos Cæſar amet. *Gainas.* Ita promiſimus. *Nonus.* Ego mandata exequor triſtibus annalibus digna. *Gainas.* Qui cuſtodes addentur? *Nonus.* Præmiſſi jam ipſi etiam ſervant littus: ſolus per urbem perget, ut obſervetur minus. *Oranges.* Vis dicere, ut effugiat certius. Gaina, fallimur! An hæc enim non ficta ſunt omnia, ut Pater meus decipiatur? *Nonus.* Nihil hæc metue, Princeps: ne qua ei porta ad fugam tuta ſit, cautum eſt ſatis. *Gainas.* Vade. Ego, Oranges, cavebo tibi. Tempus, locus, occaſio ad cædem favent. Tu te ex aula proripe cum Miſeno, & decorum inimici cruore Gainam expecta brevi. Ad pacem, de-

depoſito Conſule, a Tribigildo repetendam legatos, nemo remorabitur. Exibimus ſecuri. *Oranges*. Belle. Imus. *Miſenus*. Et tu denique audacius laborabis pro Ario. *Gainas*. Tum denique. Exulta mucro! ſanguinem cupitum bibes.

SCENA SECUNDA.

Perſonæ. Arcadius. Chryſoſtomus.

Arcadius. SIc me miſerum mei faciunt. Tribigildo obedire cogor, Eutropium odiſſe, Gainam timere: & Princeps ſum! Si vivo, pares cum Eunucho mihi pœnas uterque dabit. Nunc Tribigildum punire non poſſum, Gainam non audeo: & Princeps ſum! Hæc mihi dies oculos aperit. Ut ego cæcus fui, qui his hominibus omnem pœne poteſtatem concredidi! Quo mei honoris, quo totius Imperii damno, nunc primum video, poſtquam occultus morbus in apertam peſtem erupit. Superi! Ignota Arcadio Eutropii eſſe ſcelera potuerunt tam diu? Quæ ſcivit Imperium, potuit Imperator neſcire? *Chryſoſtomus*. Potuit, quia audire querelas noluit gementium ſubditorum. Da veniam, Cæſar, libere arguenti, in quo te ipſe agnoſcis erraſſe. Eutropium tua credulitas improbum fecit. Videbat, ſe tibi placere, ſibi confidi omnia, ſibi credi, nec eſſe aliquem, cui ſit ratio reddenda actorum: probare te omnia: miraris jam, tanta fuiſſe auſum? .. Poterat ſecurus audere: hoc erraſti. *Arcadius*. Curarum onus igitur totum unus & ſolus feram? Nec transferam in alienos humeros partem ſaltem? *Chryſoſtomus*. Imo maximam. Sed id curandum, ut qui ſubeunt oneri, intelligant, onus ſe tibi ferre, non ſibi: ac viri ſint, qui ferendo ſint pares & robore, &

voluntate. Itaque quos posthac Ministros leges, tibique fideles, & Imperio utiles cupies, tribus ut dotibus ornati sint cura, religione, prudentia, & justitiæ laude. Cui nulla religio est, nullus est horror scelerum, quæcunque possunt occulta esse. Qui prudentia caret, impetu agit, quod suadet affectus, non quod imperat ratio. Quem non commendat justitia, odit populus, qui jugum patienter non tolerat, nisi suave faciat amor. *Arcadius.* Scimus hæc axiomata. Sed quis mihi singulorum corda aperiat, & in fodinis tam abditis aurum spurium discernat a vero? Hypocrisis religionem mentitur, astutia prudentiam, avaritia justitiam simulat. Decipimur. *Chrysostomus.* Non una dies detegit fraudes. Itaque donec quid lateat, scias, festina lente, nec hominem promove. Nihil sanguis, nihil opes, nihil patroni te moveant: An religionis sit cultor, an studiosus prudentiæ, an justitiæ amans, hoc interroga, hoc æstima, si vis beatus regnare. Sermo audax & petulans de summis Mysteriis contemptum religionis prodit; consilia, quæ placent tantum, & prosunt nihil, arguunt defectum prudentiæ: amor pecuniæ odium justitiæ parit: quem tale aliquod stigma notat, cavendum puta. *Arcadius.* Nunc quem ponam in Eutropii locum? *Chrysostomus.* Aurelianum & Saturninum habes, probatos viros, quibus utinam paruisses pridem. *Arcadius.* Utrumque Gainas odit, uterque Gainam: novas turbas prospicio. *Chrysostomus.* In turbis tenebunt clavum. Aut quid? regendam navem Gainæ trades? *Arcadius.* Id est, quod expetit. Hominis audaciam stupesce, Præsul! Mihi cum Tribigildo colludere jam non est dubium: sed modus vindicandi non est. Hac spe inflatus, cum stratum nocentem vidit, involvere eadem strage innoxios cupit. Aurelianum & Saturninum exulare cum Eutropio, ut jubeam, suasit, si vellem pa-

cem

cem habere integram. *Chrysostomus.* Pro! Temerarium! *Arcadius.* Ego iram pressi, & linguam momordi fremens. Tum ille silentio animosior, ego vero, inquit, Cæsar, pro labore compositæ pacis hanc unam gratiam peto, ut sectatoribus Arii Constantinopoli templum concedas. *Chrysostomus.* Vah audaciam! Ego vero, Cæsar, ut id permittas, nunquam patiar. Violatum templi honorem Eutropii Casus restituit: hic terrere Gainam debuit, non irritare, nisi jam ipsum etiam graviori supplicio divina Nemesis destinavit. Daturum promisisti, Auguste? *Arcadius.* Deliberaturum respondi. Nec enim negare tutum fuit: Vir potens est, ferox, & armatus. Ita Imperator sum! O Pudor! *Chrysostomus.* Nihil time, Princeps, nisi timorem tuum: tum Imperator eris.

SCENA ULTIMA.

Accedunt Eutropius. Aurelianus. Saturninus.

Aurelianus. VIve Princeps! & ultimo obtutu dignare Eutropium. Pridem hic habitus Eunuchum decuit! Tandem fortuna jocata est satis, & ridiculum Consulem abire theatro jubet. *Arcadius.* Sic places, Eutropi. Age jam, ubi sunt artes tuæ, quibus toties illusisti Arcadio? Non prævidit hunc casum astutia tua? Credidisti, viduarum & pupillorum clamorem, tot subditorum, quos oppressisti, lamenta, non denique penetratura nubes, & eruptura in fulmen? *Saturninus.* Scilicet putavit miser, non dari Numen, quod oculos habeat, ut videat scelera: aut manus, ut puniat. *Arcadius.* Exemplum te debuit Rufini terrere. Plus, quam decebat subdito, elatum tu non tulisti, tu stravisti. Quod damnasti ipse, cur es imitatus?


tus? Sic te omnis prudentia destituit, ut non videres, fieri non posse, ut magna scelera lateant diu? Ego gratias Cœlo refero, quod me amat, cum liberat a servitute, quam turpem nequissimo servo servivi. Nunc respiro, tot vinculis liber, quot fraudibus tenuisti devinctum. Superi! quantum toti Orienti unius hominis ambitio & avaritia nocuit! Tu documentum posteris eris, ut discant Reges, a quibus ministris sibi & suis cavendum sit. *Eutropius.* Auguste, tandem abire jube. Plus omni pœna tuus aspectus cruciat. *Arcadius.* Me tuus delectat.. Quanquam i, purga regnum, pestis, nec ultra venenato halitu hunc aerem infice! *Aurelianus.* I, & omne malum tecum trans mare avehe! *Saturninus.* I, & quam sceleribus fœdasti, lucem fuge. *Chrysostomus.* I, & desertus ab hominibus te tandem ad Deum verte! ***Abeunt. Eutropius cum gravi suspirio mutus & ipse abit.***



PAPI-

PAPINIANUS
JURIS-CONSULTUS.
TRAGOEDIA
ACTA
LUDIS AUTUMNALIBUS
ANNO MDCCXXXIII.





ARGUMENTUM.

PErpetuis inter se discordiis dissidebant Imperatores fratres Caracalla & Geta, & exarsit tandem ira in eam rabiem, ut Caracalla Getam occideret. Cædi fratris addidit cædem omnium ejus amicorum, quorum numerus ad viginti Millia ascendit. Eminuit inter illos Papinianus Juris-Consultus optimæ notæ, & tunc Præfectus palatii, una cum filio jam Quæstore securi percussus, quod noluerit scelus pro jure defendere. Ut facilius intelligamur, notamus ex historia

1.mo Quod Caracalla Severo ex prima conjuge natus sit, Geta ex 2.da, quæ Julia vocabatur, & a Caracalla sic perdite amata est, ut eam, post necem Getæ, per abominandum incestum uxorem duxerit.

2.do Quod Lætus, qui Caracallæ occidendi fratris Auctor fuit, ab eodem postea mori veneno sit jussus. *Spartianus*.

PERSONÆ.

Papinianus, Præfectus prætorii.
Caracalla Imperator.
Geta Imperator.
Lætus, Præfectus cohortis Imperatoriæ.
Papinianus junior Quæstor.
Maternianus, a Cubiculis Caracallæ.
Helvius Prætor.
Serenus a Cubiculis Getæ.
Macrinus Dux Militum.
Lysander Tribunus.
Ephebi.
Milites.

PRO-



PROLOGUS.

Jupiter, ut ſolus regnaret, Saturnum Patrem Cælo expellit: infame facinus ut pro juſto defendat Themis, per Mercurium agit. *

Perſonæ. Jupiter. Saturnus. Berecynthia. Neptunus. Pluto. Pallas. Mercurius. Fauni. Tritones. Gigantes.

Saturnus. Quid? Hoc auſit in Patrem Filius?
Jupiter. Non bene in uno Cœlo ſol fulget geminus.
Jam ſolus regnabo: ſolus ſum Dominus.
Saturnus. Filii! Pluto! Neptune!
Berecynthia uxor dilectiſſima!
Berecynthia. Ni fallor, meum Saturnum audio.
Saturnus. Nunc fidem tuam exigo.
Neptunus. Quis Neptunum?
Pluto. Quis Plutonem invocavit?
Saturnus Pater opem imploravit.

ARIETTA.

Arma, arma, & bella parate!
Cœlo pulſum Parentem juvate!
Quid non timeant fratres & Mater,
Si a Jove hoc ſuſtinet Pater?

Q 2 Vah

* Theatrum exhibet aulam Jovis in nubibus: Saturnus dejectus Cœlo opem clamat: ex cryptis Fauni, ex mari Tritones, ex inferis gigantes prodeunt.

Ambitio, quantum es ausa!
Sum exul, hac una de causa,
In Cœlo ut Jupiter solus sit Rex!
Libido regnandi est única lex!

Neptunus. Scelus immane!
Pluto ad Jovem. Quid egisti insane?
Berecynthia, Ulciscámur injurias!
Puniatur parricidæ temeritas!

ARIETTA.

Nihil time! fidem damus:
Uxor, nati, pro te stamus:
Favet causæ bonitas.
Stet tyrannus! paret bella!
Armet astra, pluat tela!
Nihil timet pietas.

Io! Sonent classica!
Ad arma Dii Montium! Dii vallium!
Neptunus. Dii Maris, & fluminum!
Pluto. Dii Stygis, & Manium! ad arma!
Saturnus. Quòd videbitur, facite.
Ego aurea promitto vobis sæcula,
Si mihi per vos reddatur potestas perdita.
Interea juvat latere,
Et quidquid de me fata statuerint, ratum habere!
Neptunus. Macti animis socii! quisque suum sequatur ductorem:
Pro aquis tenebimus æthera.
Pluto. Pro inferis sydera.
Berecynthia. Pro antris & tesquis Cœli palatia!
Pro Saturno contra Jovem! Hæc belli sit tessera.

CHO-

CHORUS. *

Contra Jovem nos armamus!
Pro Saturno nos pugnamus!
Sta tyranne! para bella!
Arma astra! plue tela!
Nihil timet pietas:
Favet causæ bonitas.

Jupiter. Sic impero!
Audisti rebelles? . Quid consulis filia?
Pallas. Pater! Si me audis, uteris clementia.
Suadeo, ut ad Themidem mittas Mercurium,
Qui Deam permoveat, causam ut tuam suscipiat.
Illa subditis demonstret, quod Saturnus ab arce sydērum
Ex æquo pulsus sit in exilium:
Magna est Themidis auctoritas,
Illa, si quod agis, probare creditur, feliciter imperas.

ARIA.

Quem Regem Themis prædicat,
Adorant subditi:
Quem illa Regem improbat,
Probatur nemini.
Vocere Potens, Inclytus,
Augustus, Fortis, Maximus:
Et quidquid titulorum est:
Non rapis animos:
Cognomen *Justi* solum est:
Quod tenet subditos.

* Dii se subducunt.

Jupiter. Probo consilium sapiens. Age, Mercuri!
Quid desiderem nuntia Themidi.
Tua facundia utere.
Mercurius. Quid! si renuat votis annuere?
Jupiter. Num audebit se Tonanti opponere?
Perge! sequar ipse, & ibo suppetias,
Ut, si forte contemnat absentem,
Cogatur vereri præsentem.*
Mercurius. Mercuri! grave tibi incumbit negotium.
Suadendum est Themidi,
Ut faveat sceleri.
Si unquam, nunc certe callida
Utendum est Rhetorica.

ARIA.

Oportet blande agere,
Et se insinuare:
Prudenter rem narrare;
Multa dissimulare:
Et si quid vult opponere,
Ridendo confutare.

2.

Non quadrat stylus humilis;
Figuris est utendum:
Conceptus sunt turbandi:
Affectus variandi:
Et aptis est Metaphoris
Ingenium fallendum.

* Clauditur.

3. Arx

3.
Arx vi non ſuperabilis
Per dolum expugnetur!
Si arma repellantur,
Si machinæ frangantur,
Agendum eſt cuniculis:
Hac arte evertetur.



ACTUS I.

SCENA PRIMA.

Perſonæ. Papinianus Pater & Filius.

Filius. PRopinquus eſt Geta, Pater: feſtina certiorem facere Caracallam, ut fratres in optatos amplexus ruant. *Pater.* Monui Maternianum. Ingreſſus eſt. Reſponſum a Principe expecto diu: nemo ſe movet. Suſpicor aliquid. Secreta ſint conſilia, eſt neceſſe, ad quæ Papinianus non admittitur. Timeo novercæ dolos. Vocata eſt, ut eſſet ſequeſtra pacis: Quid? ſi novæ diſcordiæ accendat facem? *Filius.* Julia intus agit? *Pater.* Veniſſe turbatam animo, narravit Maternianus, & vultu pallido, lividis oculis, voce fracta. Ominoſus occurſus fuit. Nihil eſt ad tollendas diſcordias utilius fratribus, quam ut imperium dividant. Suaſi: aſſenſi ſunt: hoc ſcilicet affliget fœminam. *Filius.* Ut dividant imperium, hoc ſuaſiſti? hæc conditio pacis erit? *Pater.* Hæc: Orientis Geta, Occidentis Caracalla ſit Dominus: ita Caſtor & Pollux erunt, ſemper pacifici. *Filius.* Et aſſenſi ſunt? *Pater.* Unus deſideratur aſſenſus matris, Cum dixerit, fiat! ſignabunt tabulas. Sed cre-

de

de mihi, mulier tenebit manum. *Filius.* Non puto. Sævam Caracallæ indolem non nescit Julia: quam sæpe ille insidias Getæ struxerit, certa est: cessare periculum, si dividatur imperium, intelligit: cur se opponat? Aut quid est pace optandum magis? *Pater.* Non semper, quod est optandum, optatur etiam. Sunt, qui bonum commune dissipant, ut servent suum. *Filius.* Inani metu funestas diem, qua lætiorem diu non vidit Roma. Quid Julia diviso imperio perdet? In sententiam & Reipublicæ, & filio suo Getæ tam salubrem non potest non concedere: mater est. *Pater.* Mater est, sed quæ Caracallam privignum, præ filio Geta diligit, nisi Getam oderit etiam. Tu multa nescis. *Filius.* Atrox suspicio! *Pater.* Sed non concepta temere. Julia mulier ambitiosa est: dum vixit Severus, assueta imperio. Nunc cum viro illata est tumulo uxoris auctoritas: hoc male superbam habet: imperant filii, non ex matris placitis, sed ex consiliis Procerum: hoc affligit: unam esse viam, qua ad imperium redeat, si nubere privigno possit: hoc videt. Getam, si vivat, haud passurum istud dedecus suo sanguini fieri, hoc intelligit: & putes amare? *Filius.* Exhorreo. Neque tamen, quid dicas, percepi satis. Nubere Julia Caracallæ ne velit, hoc metuis? *Pater.* Non timerem hanc Phædram, si in Caracalla Hippolytus viveret. Sed, o probrum! amatur Caracalla, & amat, adhuc, quod sciam, non impudenter quidem, minus tamen, quam agere decet cum noverca, reverenter. In tetrum erumpet incendium latens ignis: hinc festinabam fomenta subducere. Aspectus mutuus, congressus, colloquia, sermones blandi amorem nutriunt: omnia tollit divisio. Itaque divisionem suadere cum videor, ut tollantur discordiæ, ego malis duobus mederi cupio. Divisio & fratrum tollet odia, & hos amores nefandos. Sed hoc scilicet metuit Julia. Vel enim cum Geta in Asiam itura esset: & periret conjugii incesti spes: vel in Europa cum privigno hæsura: & periret spes mortis Getæ per tempus pacis;

nec

nec vivo Geta tenere ipsa, quod ambit, potest. Itaque quin tota vi oppositura se Julia meo consilio esset, nunquam dubius fui. *Filius*. Hæc si ita sunt, & tu obsistis, Pater, non vides, Julia quam timenda sit tibi? Mulier potens, quid non audet, cum amat? semper amori fœdo socius furor est. Prospicio furorem imminentis procellæ in nostrum caput. *Pater*. Prospexi diu. Nihil sapientibus casu accidit. Certe nulla miseria opprimit non præparatos. Ego de his quæ aguntur, studiose tibi sermonem intuli, ut in futuros eventus armes animum, ne improvisa calamitas fortitudinem obruat. *Filius*. Dedisti consilium bonum, cum divisionem suasisti. Fecisti satis. Si non acceptent Principes, sibi tribuant mala, quæ post se iste contemptus trahet. Tu extra culpam es. Urgere cessa, obsecro, quod cum tanto tuo periculo urges. *Pater*. Ignavo silentio Rempublicam perdas? *Filius*. Inutili consilio familiam perdas? nam quæ spes bona compensat periculum? *Pater*. Periculum, si vel vitæ sit, postponi debet etiam modicæ spei de magno Reipublicæ bono. Moriendum aliquando est: quando possum gloriosius mori? Quanquam cur spes modica sit suffocandi amorem, qui nondum erupit in flammam? Non est bonus Consiliarius, qui cito desperat. Urgendum est consilium bonum: mutantur Principes: forte, quod hodie displicet, placebit cras, si sit, qui repetat. *Filius*. Sæpius tamen videmus monitores ejusmodi molestos esse, & excidere gratia, quà pollebant. *Pater*. Hic timor in virum constantem non cadit. Principis gratiam desidero, quantum Reipublicæ prodest. Quæ huic non prodest, quid mihi prodest, nisi ut justis odiis in me ardeant omnes, quotquot Rempublicam amant. Tune inter eos numerari me velis, qui sputa Principum pro melle lingunt? Papinianus sum: absit a me tam abjecta servitus! Placere Domino, cui æquitas displicet, ego non ambio. De malis, quæ ex amisso Principis favore metuunt alii, nihil angor: sic in animum sapientis ad-

versa incidunt, sicut grando in tecta. Grando in tegulis dissultat, crepitat, solvitur: Inquilinus intus in cubili quiescit securus sui. Sed en Maternianus.

SCENA SECUNDA.

Personæ. Papinianus uterque. Maternianus a cubiculis Caracallæ.

Maternianus. PApiniane, quod timebas, evenit: dividendi imperii consilium evertit Julia: i, nuntia Getæ. *Papinianus Pater.* Materniane, consilio obstet Julia! non ideo eversum est penitus! Sustentat Geta: Getæ assistamus comuni opera, tota virtute: cedet mulier, si viri non cedimus. Instemus Caracallæ: tu addde suffragium tuum mihi, adde reliquorum Procerum: forte, qui unius consilium rejecit, omnium acceptabit. Princeps prudens non facile adversatur sententiæ multorum prudentium. Si, quod deterius est, eligit Cæsar, nostra dissensio causa est, & eorum imbecillitas, qui per sua consilia placere malunt, quam prodesse. *Maternianus.* Caracallam nôsti. Irascetur, si quis abjectum consilium obtrudat rursus. *Papinianus Pater.* Si sapit, irasci non potest. Aut cur alit Consiliarios, si non licet consulere? Ego prodesse Principibus nihil, nisi consilio, possum. Si hoc prohibeor, cui bono in aula vivo? Fungus sum. Abdicare me officio malim. Non decet Papinianum in aula vivere inutilem aulæ. *Maternianus.* Obstat Julia: quid movebimus? *Papinianus Pater.* Uni simus. Ut ingratum consilium sit, tamen, si uno ore ostendimus, quam sit necessarium ad pacem, utile ad tutelam, optabile ad gloriam, non ita brutus est Caracalla, ut non imperaturus sit sibi. *Maternianus.* Jam aliud imperavit. Mihi, ut, quo sis erga se animo, explorem, præcepit, priusquam ipse loquatur tibi. *Papinianus Pater.* Quo

sim.

sim animo, dubitat, post tot experimenta? *Maternianus.* Hodie experiri maxime cupit. Scit, apud Getam te posse omnia. *Papinianus.* Multa, fateor. *Maternianus.* Sperat igitur, nihil te omissurum operæ, qua efficias, ut pax, in quam coituri sunt fratres, stabiliatur perpetuo fœdere, & non solubili. *Papinianus.* Fieri non potest, nisi approbetur divisio. *Maternianus.* Alia conditio est. Ut imperio se Geta sponte abdicet, desiderat frater. Hoc si fecerit amicum habet. . . . Videris commotus esse. Quid est? Suadere hoc Getæ non audes? *Papinianus.* Cur Caracalla non facit, quod suasum vult Getæ? Ipse se abdicet: erit Pax. *Maternianus.* Licetne hoc responsum ad Cæsarem ferre? *Papinianus.* Ipse feram. Sed Getæ hoc non suadebo. Moriens Severus utrumque Cæsarem dixit: utrumque meæ fidei commendavit. *Maternianus.* Uterque imperet! hoc studium pacis est? *Papinianus.* Geta se abdicet! hoc studium pacis est? Materniane, nunc fervent dissidia, cum domo, mensa, aspectu divisi sunt fratres: conjuncti concordes erunt? Fratres ex gemina matre, contrariis ingeniis, diversis moribus, affectionibus nunquam iisdem? Cinctus militibus Geta, a fratris insidiis vix vivit securus: nudo nihil timendum erit? Non verbum audacius, non gestus liberior, non delator rabula sufficiet, ut reus affectati rursum, quo se abdicasset, imperii fiat? Ipsum Getam quam facile pœnitentia subibit potestatis depositæ? Et, cum amabilis sit, quam facile offensus a fratre, in partes populum trahet? Populus etiam Caracallæ per sese addictus parum, quam facile Getam vel invitum reponet in solio, & armabit in fratrem? Vides consilium nec Reipublicæ, nec Getæ, nec Caracallæ proficuum fore. Amat Geta Collegam fratrem: Dominum ferre non vult, non debet, non prodest. *Papinianus Filius.* Mihi, Pater, hoc consilio novæ discordiæ occasio videtur quæri. Si opponat se Geta, pro hoste erit. *Papinianus Pater.* Quid Julia? Probat, ut solus privignus imperet, filius privatus vivat? *Maternianus.*

Permittit concordiæ causa. *Papinianus Pater.* Novum argumentum amoris incesti! . Amice, scis, quid ingemiscam. . Sed age, utrique Cæsari juravimus fidem, utrique hæreamus. Urgeamus consilium, non quod jucundius est Caracallæ, sed quod æquius, & utrique utile magis. *Maternianus.* At Geta ingreditur. Nuntio Imperatori.

SCENA TERTIA.

Personæ. Geta. Lætus Præfectus custod. corp. Uterque Papinianus. Serenus Cubicularius Getæ. Helvius Prætor. Macrinus Dux militum.

Papinianus Pater. AH! Cæsar! pauculos tecum amicos video: cur nudum adeo prostituis latus? *Geta.* Spe pacis lætus, nolui me suspectum de diffidentia facere. Fefellisti me Læte? in aulam, an in carcerem ducis? *Lætus.* In fratris cubile se contulit Mater: ipsa transigere cupit negotium pacis: ipsa invitatum te voluit: Matrem timęs? *Geta.* Matri fido. Quid igitur tu metuis. *Papinianus Pater.* Omnia. Dividendo imperio opponit se Mater: frater cessit: pax erit nulla. *Geta.* Ergo ut me ad meos recipiam, suades? *Papinianus Pater.* Si possis sine periculo, mallem, ut divisioni insistas, dum occasio favet. Amabilis facundia Filii forte in sententiam trahet matrem. Instabimus, ut in eandem & frater redeat. Quodsi pertinax resistat usque Julia, vos imperatis. Estis filii: honorate Matrem: sed etiam estis Patres Patriæ, quæ amanda præ Matre est. *Geta.* Aliud dubito. Si evicero, ut divisionem acceptet Mater, quis nostrûm illam tenebit sibi? Ego illam in Europa relinquam fratri, de quo scitis, quam non immerito incestum amorem suspicer? *Papinianus Pater.* In Asiam aufer Matrem: omne malum auferes. *Geta.* Frater non sinet: ipsa non ibit. *Papinianus Pater.*

Non-.

Nondum robustus, nondum impudens, adhuc timidus amor est, quo in privignum ardet Julia. Amorem amore vinces: filius loquere: Mater audit. *Geta.* Vix tolerabile tormentum est amantibus, dividi. Timide, spero. *Papinianus Pater.* Morbi tam tetri unica medicina est sectio. Persuadendi sunt ægri, ut admittant. Constanter urge, Princeps! metus est minor spe. Matris te gremium habet: asylum tenes. Cautelam tamen periculum suadet, ne cogi possis ad permittendum, quod te non decet. *Lætus.* Ibo, & militem ordinabo in quemvis eventum. *Geta.* Amo te Læte! Aurum ex ærario porrige quæstor, quantum postulat. Oculos militum facilius fascinabis, quam aures. *Papinianus Filius.* Quod imperas, factum puta. *Geta.* * Ego ingredior, ut tentem, quid possim. *Papinianus Pater.* Magno dedecori te, Fratrem, Matrem eripis, si fortiter agis. Pugnandum est & maternis blanditiis, & fraternæ ferociæ. Timendus uterque hostis animo timido, generoso neuter. *Geta.* Agam, quod me decet. Vos mihi sedulo invigilate.

SCENA QUARTA.

Personæ priores præter Getam.

Papinianus Pater. STrenue nos, Amici, extremis malis extremum adhibeamus remedium. Sicut divisi sunt animis Cæsares, sic ut dividant imperium, unanimes urgeamus, neo feramus, ut Julia Imperatoribus imperet: si cessamus, prodimus Getam, & cogetur se abdicare imperio: nam jam hoc ausus est Caracalla optare. Silui apud Getam, ne exterritus ab surda petitione, metueret consilio divisionis insistere. *Helvius.* Hem! quo assurget ambitio? Et occupatus adeo vehementi affectu Caracalla, credis, patienter nos audiet? Non est jam

 capax

* Aperitur Aula.

capax consilii boni: concedi aliquid suis desideriis, suis amoribus, suæ impatientiæ volet. *Papinianus Pater.* Et nos nempe hoc ex officio agimus, ut, quidquid ille volet, probemus? Cedendum ad tempus furiosis affectibus est; sed non alenda hæc monstra sunt in Reipublicæ perniciem, quam ipsius Principis sequetur infamia, & publicum odium. Non istud decet Ministros bonos. *Serenus.* Consulere tamen, quod displiciturum prævideo, audacia est plena periculo. *Papinianus Pater.* Consulere tamen, quod placiturum prævideo, consultoris est de quolibet trivio. Viri fortis & prudentis est affectui male domito Principis sapienter occurrere, temperare calorem, affectu contrario imbuere animum, ut nihil decernat, nisi quod ratio probat, aut virtus comendat, & pietas. Nos timidi sumus, & credimus, Caracallam impatientem esse omnis consilii boni. Utut sæva sit indole, non furit semper. Est modus, est hora in consulendo servanda: audiemur, etiam cum dicemus ingrata, modo dum suademus pacem, ipsi concordes simus. *Macrinus.* Jungamus nobis, quos ipse amat. Si Gajus, si Piso, si Lentulus accesserint nobis, sperabo conatum felicem fore. *Lætus.* Viri prudentes sunt. Tentantur secure. *Helvius.* Tua apud illos valebit auctoritas. *Papinianus Pater.* Tentemus. Concordibus armis impetita discordia fratrum herbam Reipublicæ porriget. *Macrinus.* Spes bonas fortunent Dii! *Lætus.* Ite faustis avibus. Filium, Papiniane, mihi cedes, ut pecunias numeret, quibus militem emam. *Papinianus Pater.* Ex officio Quæstoris aget. Læte, si efficias, ut divisionem imperii exercitus probet, victores sumus. Vide, quid possis. *Lætus.* Nihil omittam. *Papinianus Filius.* Quanta summa est opus? *Lætus.* Decem millia coronati cum spe plurium sufficiunt hodie. Eamus. *Papinianus Filius.* Venio.

SAL-

SALTUS IN AULA

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

Personæ, Caracalla. Lætus. Maternianus.

Caracalla. CRedo tibi. Neque enim ausus fuisset Geta sic se mihi opponere, & Matri simul, nisi fideret adhærentibus sibi. . . Materniane, apud Gajum conventus est: accede, & ne quis audeat Getæ consilia pertinaciter tueri, serio admone. Decretum est: solus regnabo. Hic erit discordiæ finis. Deinde excubias gemina: intrare nemini, nemini exire liceat, donec perfectum negotium sit, & se abdicaverit frater. In potestate est: cogi potest. *Maternianus.* Imperium exequor. . *Lætus.* Quam belle se & Getam Papinianus decepit, cum credidit, in divisionem imperii te serio consentire, serio de pace agere. Non alia, nisi hac fraude allici Geta potuit, ut se traderet tibi, imo ab ipso Papiniano traderetur. *Caracalla.* Ah Læte! quam male me habeo! Tumultuantes in se affectus discerpunt animum. Crucior! *Lætus.* Quid affligere potest? Matrem, Fratrem, Papinianum tenes: occasio favet: quid. . *Caracalla.* Mater, Frater, Papinianus terrent, ne utar, & Senatus, populus, miles præterea. *Lætus.* Quid est timendum? *Caracalla.* Omnia. *Lætus.* Nihil. *Caracalla.* Parricida, tyrannus dicar. Probrum feram? *Lætus.* Hodie hoc cogitas primum, quod toties contempsisti? *Caracalla.* Horror vicini sceleris gravius afficit. *Lætus.* Leonem intentum propinquæ prædæ obstrepentium anserum garritus

non

non terret. Loquantur homines, quod volunt, modo non audias. Quanquam quid tandem loquentur? Dic, insidias tibi a fratre factas esse: occupatum perfidum meritas pœnas dedisse: quis audebit negare quidpiam? Facile est subditis verba dare, quibus factum defendas: nemo Cæsarem in quæstionem vocabit. Populus, quod cupis, credet: interest, quis rumor se prius diffundat. Militum venalis est anima: devinciri tibi pecunia possunt, quod ut ante dixi, perficiendum mihi negotium sumo. Ex Senatoribus, si qui improbent factum, rei Majestatis habentor. Sic te liberum facies. Quin & brevior via est ad vitam tranquillam. Papiniano ab amore justitiæ ingens apud Senatum, populum, & exercitum auctoritas est: tu cædem perage: Papinianus juste peractam esse, cogatur defendere: Senatus, populus, exercitus totus quiescet. *Caracalla.* A Papiniano impetrare hoc sperem? *Lætus.* Imperare potes. *Caracalla.* Ut probet Papinianus cædem innocentis? non obediet. *Lætus.* Innocentis? Adeone innocens tibi videtur Geta? Jamne oblitus es, quod dixi, quod pecunias a Quæstore imperaverit mihi, ut ei milites conciliem? Quod imperaverit te ignaro, velut jam solus regnaret? Quod obediverit Quæstor, & obedire Papinianus non modo sit passus, sed laudaverit etiam? Vere, Princeps, ego non credo, securum te vitæ esse, dum vivit Geta. Milites, populus, Senatus vestrorum dissidiorum impatiens est: Geta præ te amatur: optatur Pax: medium facile est mors Caracallæ: vide, quid immineat. Nihil consulo mihi: tuum agitur bonum, felicitas, vita. *Caracalla.* Sed Julia obstat. Aversabitur parricidam, nec jam oculo dignatura. *Lætus.* Julia? nihil metue. Amat te. *Caracalla.* Amat, nunqnam alias magis, quam hodie, sum expertus. Credidit serio agi de dividendo imperio: accurrit gemiscens: amplexu strinxit: oravit cum lacrymis, ut dividi se potius, quam imperium paterer, ne viva separetur a me. Parum absuit, Læte, ut pro filio me sponsum

voca-

vocaret. Tremuit pectus ictu valido, & cum tacito gemitu dixi mecum: utinam Mater non esses! deinde voce clariore, & blandum arridens: cessa lacrymas, inquam, non dividemur Mater: amo te. Vidisses illico siccari lacrymas ad hanc vocem, & labia in risum duci. Amor, Læte, amor: sensi. Sed si Getam occido, quid? adhuc amabor? *Lætus.* Nescio, an non etiam magis. Absconditum nunc ignem alit dubia, ne fumus offendat Getam: clam simile tuo non nunquam audivi suspirium: utinam Caracalla sponsus esse pro filio posses! *Caracalla.* Quid obstat vero, ut esse possim? *Lætus.* Si velis, nihil, nisi quod utique Geta opponeret se, si vivat. *Caracalla.* Utinam moriatur! *Lætus.* Nimis lentæ sunt Parcæ: frigescet amor, si expectas, dum ipsæ abscindant filum. Tu abrumpe. *Caracalla.* Jus, æquitas, Dii prohibent! *Lætus.* Ita, si interrogas, Papinianus docebit. *Caracalla.* Certe. *Lætus.* Gravis Auctor!. At alii licere affirmant Regibus, quod libet. Cur non istis credas potius, & æque sapientibus, & numero pluribus, & magis reverentibus tui? Jupiter in Cœlo regnat: tu in terris es Deus: hostis est, qui non adorat nutum. *Caracalla.* Jovem me crederem, si non viderem parem. Hæc me ambitio torquet. Infelix sum. *Lætus.* Infelix! quis prohibet, si imperare vis solus? *Caracalla.* Omnes pro tyranno horrebunt. Saltem si tegi aliqua honesti specie posset facinus! *Lætus.* Non tegi modo, sed esse honestum potest. Jurgari incipe, venietis ad manus: Geta cadet: tu non modo facti veniam, sed & victoriæ gloriam feres. Nimis hæc anxie, & ad scrupulum ponderas. Vis pro jure semper magnis Cæsaribus fuit: in ipso Romulo, qui hujus imperii Fundator fuit, exemplum habes. Sciebat leges subditis scriptas esse, non Principibus. Quid ab ore unius Juris-Consulti pendes? Num solus sapit? plures jube suffragium ferre: plurium vocem audi: Papinianum tacere jube, si non vult loqui, quod tibi placet. Nam quis Imperator est? *Caracalla.* Ipse indignor mihi,

quod rumpere non ausim vincula, quibus ligor. Quoties mortuus jam esset Geta, si opportune potuisset occidi! nunc cum captus est, trepido. *Lætus.* Dedi consilium. Jurgandi occasionem si captas, in rixam incalescet audacia, sequetur optata cædes. Favet hora, ut excutias onus, quo te Geta premit, & pressum videre Papinianus perpetuo cupit. Unius nece solus potieris imperio, quod ambis: potieris Julia, quam deperis: & deliberas, num velis felicem te reddere? *Caracalla.* Deliberatum est. Morieris frater! Læte, places. Potest latere scelus sub juris specie. *Lætus.* Sed en ipse Geta.

SCENA SECUNDA.

Personæ. Caracalla. Geta.

Caracalla. SOlum cum solo sine. Quid turbaris frater? Num monstrum ego videor funestum tibi. *Geta.* Fatebor, quod res est. Inventurum me in hoc loco Papinianum putabam, non Caracallam. *Caracalla.* Scio, nec sine fastidio scio, quantum ab illo Magistro pendeas. *Geta.* Magistrum non veneror: Ministrum amo fidelem ac providum. Amare moriens Pater jussit: nec tibi ipsi, quod sciam, alius Procerum huc usque amatus est magis. An non meretur? *Caracalla.* Merebatur, quamdiu æquali cura mihi serviebat, & tibi. Nunc in te pronior, nescio, num non in meam perniciem conjuraverit tecum. *Geta.* Frater! atrocem animo suspicionem alis, aut fingis alere: ex quo sum meritus? *Caracalla.* Quid dissimulas te? Si nullius tibi fraudis es conscius, frater, ecce illuxit dies, quam Dii faustam Reipublicæ per tuam virtutem cupiunt. Severus Pater, ut acciperet coronam, cogi debuit: magna gloria! major est tua, si sponte ponas, & vivere privatus malis, quam Imperator. Factum sera posteritas laude perpetua colet. *Geta.* Intelligo, in quos me

cassès imprudens conjecerim. Matri fidebam miser: Mater me prodidit: vidi oculos rubentes fletu: audivi vocem supplicis, depressa superbia: sensi, quam nihil sollicita mulier sit aut pro Geta, aut pro Republica, hoc unum metuens, ne a privigno divisa viveret: tantus jam invaluit amor, nescio, num honestus saltem. Heu!. deceptus sum! sed hoc scito, frater, ad dividendum imperium veni, non ad abdicandum: æquali jure impero tecum. Tu si abdicare te velis, cedo virtutis laudem: imperium non cedo. *Caracalla.* Imo cedes, velis nolis. *Geta.* Ah! loquamur, ut fratres decet. Europam relinquo tibi, mihi exilium eligo, in Asia trans mare inter Barbaros acturus vitam: num parum facio? *Caracalla.* Aliquid. *Geta.* Plus nec poscat Julia, nec probet Severus Pater. *Caracalla.* Severus est mortuus: nulla illi de viventibus cura. Julia, quid poscat, audisti ipse. Si reverentia Matris est, cur non obedis? Obijcis amores, invide, & pro scelere audax computas: ita te livor dementat. Coleres Matrem, ut ego colo, amaret amore pari. Sed teneo te. Vide, num lubens velis, quod velim. *Geta.* Quo proruis? Sic te decet loqui cum pari? *Caracalla.* Ego impero. *Geta.* Num sine Geta? *Caracalla.* Solus. *Geta.* Quo jure? *Caracalla.* Volo. Intellexi vafritiem ambitionis tuæ, cui humeros Papinianus supposuit. Ut dividatur imperium, cupis, quo rapere totum possis. Hoc animo facinus sedet. Potitus Asia, totam barbariem in Europam effundes, ut exsatures odia, quibus impetis immeritum fratrem. Abducere matrem statueras tecum, ne mihi obses remaneat datæ fidei, quam esses violaturus impune. Exercitum adeo abstrahere in partes jam nunc moliris, perfide, ut nudus parricidio prostem. Nam quid sibi vult auri moles illa, quam paulo ante, ignaro me, ex ærario raptam jussisti militibus dividi? Quid conventus ille, qui hac ipsa hora apud Gajum habetur? Papinianus huc se contulit, ut Proceres amicos mihi, conciliet tibi. Texuntur funes, parantur laquei, nec jam

imperium, nec vita adeo in tuto est. *Geta.* Multa congessisti frater, quibus insontem obrueres: ad singula respondebo. *Caracalla.* Uno solo responso est opus. Affectatæ tyrannidis reus es mihi, nisi imperio sponte te abdicas. Hoc si facis, insontem te credam: hoc unum innocentiæ argumentum accepto. Si abnuis, videbis, quid possim. Ipse Papinianum huc adducam, ut habeas, quocum deliberes. Hæc optio est, ut aut imperio cedas, aut vita.

SCENA TERTIA.

Geta solus.

NUm frater est, qui loquitur? . Hem! quo adductus sum?. Quo verto me?. Pro! quis me stupor tenuit, ut me inermem, & solum blandienti latroni crederem! . Infelix Mater! tu me decepisti! pacem quærebam, & necem invenio, necem cum parricidæ opprobrio, quod toties frater meruit, nunquam a me offensus! . Stolide Geta! . Ut mentem adeo turbastis Dii, quo tempori viderem periculum?. Ah! Papiniane, nunquam te audisse pœnituit: hodie pœnitet. . Saltem si esset fugæ locus! . Vana spes! . Captivus sum. Amici! Amici!. Vah solitudo! . Desertus a meis saltem me ipse non desero. Decretum est, vita potius quam imperio cedere. Falleris tyranne, si frangi minis posse hoc pectus credis. Ut nudus præsidio meorum sim, adhuc ferrum ad latus pendet. Peribit, quisquis primus intulerit manum. Te testor Severe Pater, inultus non ibo ad inferos.

SCENA QUARTA.

Personæ. Geta. Papinianus.

Papinianus. QUid nudus chalybs, Auguste, micat? Cede tempori! Sapientis est, fortiter ferre malum, quod vitari non potest. *Geta.* Quid audio? Tune etiam a fratre stabis? Me miserum! *Papinianus.* Imo nunc maxime tuus sum. *Geta.* Ut imperio me abdicem, tu suades? *Papinianus.* Furenti cedendum est. *Geta.* Sic te mutari posse? *Papinianus.* Mutare animum vir prudens debet, cum primum consilium evertunt Dii, & aliud necessitas imperat. Ad Gajum convenimus amici tui, hoc animo, ut addictos Caracallæ traheremus in divisionis sententiam. Momentum abiit, cum in cubile irruit furens Cæsar, & velut attonitus, quis furor est, inquit: video conjurari in nostrum caput! mox loco se movere cæteros vetat, & ad me versus: Papiniane, dixit, graviter suspecti estis. Tu effice, ut sine mora imperio se abdicet Geta, aut peribitis cum Geta omnes. Hæc prolocutus vertit tergum, & nullo expectato responso se proripuit e conspectu. Sensimus in mora periculum esse. Cucurri rogatum te, ut cedere furenti velis, & saltem simulare animum non omnino alienum a postulato, si spatium deliberandi frater concederet. Nihil certius iræ impetum, quam mora frangit. *Geta.* Mora non datur: actum est. Incautus opprimar? inultus cadam? Hoc absit. *Papinianus.* Saltem ad Matrem fuge, dum primus detumuit furor. *Geta.* Imo hîc expectabo tyrannum reducem. Ferro, si vir est, decidemus litem, quam jure non vult. *Papinianus.* Polluetis Regiam fraterno sanguine? Et tune parem te fratri credis? Quo te abripit inconsulta temeritas?

SCENA QUINTA.

Personæ. Geta. Caracalla. Papinianus. Tribunus. Milites.

Caracalla. ADsum. Ferro decidamus litem! congredere! *Papinianus.* Heu! fuge Princeps! *Geta.* Tuere Getam, miles! *Papinianus.* Fuge, obsecro! *Caracalla.* Loco cede! *Papinianus.* Non nisi per istud pectus transfodies fratrem. *Tribunus.* Accurre miles! *Caracalla.* Nihil vobis est opus mihi. *Papinianus.* Per Severum obtestor, utrique communem Patrem! *Caracalla.* Provocatus sum. Obsistere cessa! aut! *Papinianus.* Victima pro Geta cadam! *Caracalla.* Tenete hominem! *Papinianus.* Absistite! *Tribunus.* Persequere miles.

SCENA SEXTA.

Personæ. Caracalla. Lætus. Maternianus. Tribunus. Milites.

Lætus. QUem persequitur Cæsar, Tribune? *Tribunus.* Fratrem puto. *Lætus.* Hem! cadet Geta. Hoc erat, quod diu præviderам: sic finientur discordiæ. Tumultum faciet populus. Nostrum est, tenere jam fidem, & Caracallam transferre ad castra, priusquam de cæde rumor in urbem fusus plebejam rabiem in Cæsarem concitet. Securitas Caracallæ præstanda, ne dies una utrumque rapiat. *Tribunus.* Expecto imperium. *Maternianus.* Heu! periit Geta, Læte! *Tribunus.* Miseret me boni Principis! *Lætus.* Miseret! sed abstinete lamentis, obsecro. Pro hoste erit Caracallæ, si quis defleat mortem Getæ. *Maternianus.* Tamen horridum factum est. Assecutus fugientem percussit in ipso limine, cum ad Juliam se recepturus clamaret: juva Mater! occidor! adjuva! has inter voces confossus corruit, & in ipsum accurrentis Matris gremium animam effudit

effudit cum ſanguine. Ego clamore conſternatus ut adproperavi, vidi Caracallam jurgantem cum Julia, & lugere prohibentem de morte filii plures jam mortes meriti. *Caracalla.* Jacet hoſtis! Amici plaudite! *Lætus.* Triumpha Cæſar! jam erit pax! *Caracalla.* Cadendum alterutri fuit. Provocatus vici! Diis grates! *Omnes.* Diis grates! Vive Cæſar, & impera felix! *Lætus.* Sed tutus, Princeps, in aula non es, non omnes oderunt Getam. In caſtra te confer, ut inde in urbem rediens militari præſidio formidabilis ſecure triumphum agas de fratre perfido. *Caracalla.* Recte mones. Amicos habuit Geta, & ſocios ſceleris, quod meditatus eſt. Inſtituenda eſt quæſtio. Senatores de imperio monebis, Læte: Judex erit Papinianus: experiar fidem viri. Tu ſolare Juliam: celeriter ipſe ſequar. Ducite me. *Tribunus.* Vive Cæſar, & impera felix! *



CHORUS I.

Themis recuſat Jovis poſtulata probare. Jupiter ejus templum incendit, & ipſam honore privat, quo inter homines colebatur. **

Perſonæ. Jupiter. Themis. Venus. Cupido. Mercurius. Chorus Deorum.

Mercurius. AH! Dea tibi Conſule!
Jupiter impune non ſpernitur:
Pœnitebit pertinaciæ.

ARIA.

* Clauditur. ** Theatrum eſt ſylva. Interius templum Themidis primo clauſum, tum apertum.

ARIA.

Cede Jovi, cede Dea:
Bonum est, quod suadeo.
Non tractatur causa mea:
Tibi Dea servio.
Jovis preces sunt armatæ,
Cum vult, potest cogere:
Orat: sed cum majestate,
Quam non licet spernere.

Themis. Verba perdis nihil proficua.
Quod dixi, dixi:
Non possum excusare, quod accusat justitia.
Mercurius. * Audisti tonitru!
En ipse descendit, nec jam in habitu supplicis,
Sed cum Majestate Judicis.
Venus. Themis, rea diceris multorum criminum:
Citaris ad judicium!

CHORUS.

Ad judicium! ad judicium!

Themis. Cujus sceleris rea sum?
Cupido. ** Læsæ Majestatis Deorum prope omnium.
Jupiter optime, maxime,
Tuum est tibi, & nobis consulere.

ARIA.

* Descendit Jupiter cum Diis superis per nubes dispersis.
** Prodit Cupido ex sede Jovis, quæ primum clausa, nunc se aperit.

ARIA.

HOc, hoc eſt ſcelus Themidis,
Quod vulgi nos ludibriis
Exponat, & dicteriis
Proſcindi patiatur!
Quid tandem erunt Numina,
Quam nuda, fœda nomina,
Si non hæc impudentia
Mulieris plectatur? . .
Plectatur!.

2.

Mars latro eſt mortalibus:
Fur dicitur Mercurius:
Quis ferat hoc? nequiſſimus
Sim ego puerorum.
Stultorum Bacchum Principem,
Et Mœcham vocant Venerem:
Tu, Pater, tu (quid memorem?)
Es Dux adulterorum.*

Themis. Intelligo: facitis cauſam communem:
O nobilem artem!
Jupiter. Audiamus & alteram partem.
Themis. Erratis, o Dii, erratis!
Riſui per me non proſtatis:
Ipſi vos proſtituiſtis,
Cum ſcelera tam infamia commiſiſtis.

* Dividuntur nubes, & Jupiter ſe oſtendit.

ARIETTA.

In homine damnatis,
Et ultima supplicia
Decernitis in crimina,
Quæ ipsi perpetratis:
O sancta Numina!
Si possunt excusari,
Cur plectitis in aliis?
Si non, cur ipsi facitis?
Quis vetet imitari,
Quod fit a Superis?

Cupido. Audis, Pater, vides insultantem: & parcis?
Jupiter. Parco, & parcam Themidi,
Si probet, quod probant Dii cæteri.

DUETTO.

Jupiter. Exemplis te sine doceri:
Tonantem te decet vereri:
Themis. Sum Themis: non possum moveri,
Ut scelera velim tueri:
Jupiter. Non colis nostra Numina?
Themis. Non colo vestra vitia;
Jupiter. Jupiter sum!
Themis. Themis sum.....
Jupiter. Ergo coite atra nubila! ruite fulmina!
Cupido. Arbor, quæ flecti non potest, frangatur.
Mercurius. Subsidat in cineres templum impiæ Deæ! incendatur!
Nulla posthac Themis colatur.
Jupiter. Incendatur! *

CHO-

* Dii disparent leate. Fit tempestas. Fulmen. Incendium templi.


CHORUS DEORUM.

Terra treme!
Cœlum freme!
Fulmina ruite!
Themidem ſternite!
Firma, o Pater, ſententia ſtet!
Pœnas audaciæ impia det!

Themis. Bene eſt! in cineres ſubſidant altaria,
Illuſtrior micat Gloria.
Themidem pati pro Themide,
Fatum eſt optabile.
Libens exulo: vale Theſſalia! . .
Sed vos improvida Numina:
Intelligetis ex mea abſentia,
Quantum veſtro imperio ſit Themis neceſſaria.
Senties Jupiter, quis tibi debeat eſſe potior,
Syncerus admonitor, an putidus adulator!

A R I A.

Qui laudat, quod laudandum,
Qui damnat, quod damnandum,
Qui ſcapham ſcapham nominat,
Hic cauſam tuam protegat:
Hic amat te.
Qui, quidquid probas, probat
Et, quidquid damnas, damnat:
Sacravit linguam tibi:
Cor autem Servat ſibi:
Non amat te,
Sed quærit ſe.



ACTUS III.

* SCENA PRIMA.

Personæ. Caracalla. Maternianus. Milites.

Caracalla. EAt in ordines miles, & in sua quisque statione pervigilet. Accede Materniane, narra, quid agit Julia? *Maternianus.* Luxit: sed ad imperium tersit lacrymas. Filii consspersam sanguine flevisse decuit, si tegere voluit gaudium, quod attulit spes ex morte Getæ concepta. Loqui cupit. *Caracalla.* Venio. Tu interim quæstioni assiste, quam de amicis Getæ Papiniano præcepi. Attende, num sedulo omnia, num recte fiant. *Maternianus.* Auguste, quid crabrones moves? irritas multos, & in te concitas. Ceciderunt cum Geta animi affecti Getæ: nemo movebit se, nisi motus. Supersedere nos quæstione crudeli jube. *Caracalla.* Quid ita? Tune etiam Getam tueris? *Maternianus.* Non defendo. Sed jam solus imperas; tua est Julia: Quid petis amplius? *Caracalla.* Imperium, vitam Geta perdidit: famam non perdidit. Creditur innocens occisus esse: hoc mihi nocet. *Maternianus.* Si cadant amici Getæ, quid istud proderit? non oberit etiam? nunc præcipue, cum formam imperii novam capis? *Caracalla.* Imo nunc nihil est mihi necessarium magis. Sic purgabor. Merito cæsus Geta videbitur, si publico judicio damnentur amici Getæ. *Maternianus.* Si esse Judex Papinianus recusat? *Caracalla.* Se ipsum damnat. Quid disputas? Ita fieri volo, impero. Non quiescis? Obediendum est. Me Julia vocat.

SCE-

* Aperitur aula. Adest Imperator cinctus milite, qui in stationes dividitur.

SCENA SECUNDA.

Personæ. Maternianus. Papinianus.

Maternianus. INcipit effrænis currere: curret in omne nefas. Nec jam Papinianum audiet, quem pro oraculo coluit. Ipse intrat. Ah! *Papinianus.* Quid ingemiscis Materniane? Intelligis, credo, quam suaserim bene, ut concordibus studiis, & communi opera urgeamus divisionem imperii. En fructum imbellis timoris. Scelus infandum, quale jam quartum exhorret Roma! in qua barbarie vivimus? Hæc vestra peccata sunt canes muti, quibus lingere ulcera voluptas est, nulla cura sanare. *Maternianus.* Parcius ista. Factum infectum non facies, Papiniane! quid te fatigas? Quæ futura sunt, ne fiant, obstare potes. Sic laboras utiliter. *Papinianus.* Quid laboro utiliter, si solus laboro? Juvate me! aut saltem, quod ædifico, non destruite: lætus sum. In quæ tempora servastis me Dii! jam defendere etiam scelus pro jure jubeor, de amicis Getæ quæstionem facere, habere pro reis, damnare omnes, quotquot mortuum lugent! O sancta jura! *Maternianus.* Fratris necem agitasse animo Geta dicitur: inferre pronum est, communicasse cum aliis. *Papinianus.* Dicitur! si dici sufficit, quis erit innocens? Sed quid momentum perdo? ibo ad Cæsarem, & quod nemo loquitur, ego loquar, si vel capite luam. Intelliget, si sapit, unum saltem ex Ministris se habere, qui officium faciat. *Maternianus.* Non invenies modo: nam apud Juliam est. *Papinianus.* Hoc est: proxime laudabitis incestum etiam! *Maternianus.* Timeo, ne cogamur. *Papinianus.* Vir fortis mori potest: ut scelus laudet, cogi non potest. *Maternianus.* Quid igitur? Non habebis quæstionem de amicis Getæ? *Papinianus.* Habebo, si jubet. Sed in gratiam Cæsaris nullum damnabo. Quodsi,

ut video, æquitas postulabit, ut innocentes pronuntiem, ipse viderit, quid ex hoc judicio pro se possit sperare. Docere Principem ante cupio, quod causam Getæ judicare aliud nihil sit, quam damnare Caracallam. *Maternianus.* Vis, ut te adesse moneam? *Papinianus.* Mone.

SCENA TERTIA.

Personæ. Papinianus uterque.

Papinianus junior. HEu! Pater! quod triste spectaculum vidi! Cadaver Getæ amici curant, & lavant lacrymis palmari vulnere hians pectus. Prô! ut me iste aspectus conterruit ingressum aulam, & nova lætiora audire certum. Ergo helluatus est demum furor in fratris sanguine, quem sitivit tamdiu? *Papinianus senior.* Geta occubuit: cessa gemitus, qui nihil prosunt. In futuros te casus arma. Pecunias ex ærario datas militi in Getæ gratiam aut scit, aut sciet Cæsar: quomodo te defendes miser? *Papinianus junior.* Jubente Geta dedi, exigente periculo, optima mente, pro Geta quidem, sed non contra Caracallam. *Papinianus senior.* Dedisti. Si quæritur titulus, ut pro scelesto possis damnari, iste sufficit. Tu, gaude, si sine scelere non possis. Damnari malum non est: merito damnari, est malum, quod oportet horrere.

SCENA QUARTA.

Personæ. Papinianus uterque. Macrinus. Helvius. Serenus. Maternianus.

Macrinus. PApiniane, nondum detumuit tyranni furor, etiam in mortuum sævit. Quid audimus? Tu Patronus Caracallæ, tu Judex amicorum Getæ esse juberis? *Papinianus senior.*

senior. Suscipio vestram, & Getæ causam: forti animo este! aut vincam, aut moriar. *Helvius*. Captivi sumus. Exire aula prohibet circum undique fusus miles. Amasse Getam si crimen est, absolvisti judicium, Papiniane, habes fatentes reos: sententiam profer. *Serenus*. Quanquam contra te ipsum proferes: nam & tu amasti Getam. Sed fac, ut sciamus, quid immineat mali. *Maternianus*. Audire te Cæsar cupit. Intrare licet. *Papinianus senior*. Benevolum Auditorem habebo? *Maternianus*. Tranquillus est. Julia pacavit animum prompto obsequio, filii cædem probans. Idem a te, idem a vobis expetit in novi homagii vicem. *Papinianus senior*. A me non impetrat. Exemplum fœminæ nihil moveat viros. Vel ex hoc capite improbandum est facinus, quia Julia probat. Ibo, ibo, & loquar Cæsari, quæ loqui me decet, & ipsum audire juvat.

SCENA QUINTA.

Personæ. Papinianus junior. Macrinus. Helvius. Serenus. Lætus.

Serenus. TRepido expectatione eventus futuri. *Helvius*. Quid tu affers Læte? Vultus fiduciam prodit. *Lætus*. Licetne loqui audacter? *Macrinus*. Amicos vides, cum quibus in eadem es navi jamjam passura naufragium, nisi consilio quodam possis detorquere a scopulis. *Lætus*. Gubernabo, si panditis vela, & remos intenditis. Heu quantorum sanguinem hic dies fundet, nisi celeriter occurrimus malo! *Papinianus junior*. Quid suspendis trepidantes animos? *Lætus*. Non credit Caracalla, me a partibus Getæ stare. Itaque confidens mihi Senatum convocare me jussit, priusquam abiret in castra. Inde redux, ingressus curiam cum omni milite, primum truci vultu, & minacibus oculis attonuit Patres: tum; occidi fratrem, dixit:

xit! atrox videri facinus potest, illis scilicet, qui ignorant, quam non fraterno Geta erga me animo fuerit. Sæpe insidiis, sæpe veneficiis impetiit vitam: postremo provocavit ad pugnam: comparui! vici! jam regno solus. Vos Diis gratias agite, quod alterum vobis Principem servaverint, quem si amatis, contra amicos Getæ defendite. Sunt, qui ulcisci perfidum volent. Quæstio habeatur: quotquot mortuum deflent, rei sint. *Omnes.* Atrox sententia! *Serenus.* Et quid Patres? *Lætus.* Quid facerent circumfusi armatis? & credere, quæ dicebantur, & quod jubebantur, probare se, uno annutu monstrabant. *Helvius.* Ipse adeo Papinianus? *Lætus.* Væ parenti tuo! Advertit Caracalla ipsum in Senatu deesse, quem præ ceteris cupiebat videre. Ad me conversus, eccur, ajebat, Papinianus non adest? Adduxi humeros. Ille commorsis labris frendens ingressus est Regiam. Ire in stationes jussus miles expectat in horas imperium, Papiniano, vobis, mihi fatale, nisi cavemus. Nec enim latere possumus, Papiniane, quod Getæ nomine pecunias tu mihi dederis, ego acceperim. *Papinianus junior.* Hoc idem monuit Pater. Sed quid agamus? *Lætus.* Loqui secure licet? *Helvius.* Quid ambigis? uno animo sumus. *Lætus.* Præcipitetur in foveam Caracalla, quam nobis fodit... Quid stupetis? An, num fieri deceat, dubitatis, an num possit? *Serenus.* Deiici solio quin mereatur, quis dubitet? Tyrannus est. *Macrinus.* & tyrannidem, nisi obsistimus, exercebit in nos. *Papinianus junior.* Exercebit in Patrem meum. Læte, si facinus meditaris, quod laudet Roma, socius sum. *Lætus.* Juvat ulcisci Getam, & nobis cavere. Modus in promptu est. Addicitis fidem? *Omnes.* Et manus. *Lætus.* Bene est. In stationes, ut dixi, dispositus miles est, & ipse amans Getæ, ac miseram vicem dolens. Vindicabit si habeat ducem. Vestra nomina si conceditis insusurrare auribus, milites vestri sunt omnes: periit Caracalla. *Papinianus junior.* Amor & timor assensum suadent. Amici! exequamur

con-

consilium! *Helvius.* Factum populus, exercitus, Senatus laudabit: accedo sententiæ. *Macrinus.* Idem est animus. *Serenus.* Et mihi. *Lætus.* Jurate. Quod igitur Dii bene vertant, & piis Manibus optimi Getæ jucundum accidat, Caracallam inferias dabimus. Peribit! *Omnes.* Peribit! *Lætus.* Et siquis nostrûm (quod averruncent Superi!) communem causam proditor deserat, eum fulminator Jupiter trisulcis ignibus perimat! *Omnes.* Perimat! *Lætus.* Jam dum calet, cudamus ferrum! propero adducere militem vobis. Hîc subsistite. Irruemus in cubile deinceps, oppressum securum, ut cadat, ubi cecidit Geta, suoque similiter sanguine contaminet Juliam. *Helvius.* Si renuat accedere miles? *Lætus.* Inanis est metus. Ostentabo pecunias, quas dedisti. Servient in bonum mortui, quas vivo maluissem impendere.

SCENA SEXTA.

Personæ priores excepto Læto.

Papinianus junior. AGe celeriter. Amici, magno malo liberam hodie Rempublicam facimus, Caracalla sublato. Cumulemus beneficium, & Principi pessimo optimum substituamus. Cui fertis suffragium? *Helvius.* Ego in Principe prudentiam exigo: nihil agat ex impetu: nihil sine consilio: ita populi felices erunt. *Macrinus.* Ego fortitudinem magis requiro. Qui aut timores horret, aut timet pericula, consultando, se, & subditos perdit, quia nihil exequitur. *Serenus.* Ego temperantem præcipue cupio. Ad rationem vivat, qui regnat, non ad libidinem. Quod est miserius regnum, quam cui præest is, qui subditis imperat omnia, sibi nihil? *Papinianus junior.* Ego justitiam maxime laudo. Prudentem Principem venerantur subjecti, forti confidunt, temperantem mirantur: Sed justum ado-

rant, timent, & amant. Quanquam si Imperatorem quæritis, in quo sint omnia, parentem eligite. Quod si suspectum est suffragium filii, ipsi decernite, quis est Papiniano prudentior, quis fortior, quis temperantior, quis justus magis? *Helvius.* Nihil irascor voto: dignissimum nominasti. Et si Plato felicissimum Regnum pronunciat, cui præest Philosophus, quam beata erit Roma, si Papinianum præficiat! *Macrinus.* Nec mihi occurrit dignior. Testimonium virtutis amor præbet, quem sibi ab infimis æque ac summis Papinianus promeruit. *Serenus.* Quantis acclamationibus proclamationem excipiet populus! Probo sensus vestros. Habe Patrem Cæsarem. Tollatur in clypeos: vivat, imperet Papinianus! pereat Caracalla! *Omnes.* Imperet Papinianus! pereat Caracalla! consilia secundent Dii.

SCENA SEPTIMA.

Accedunt Caracalla, Papinianus senior, Tribunus, Milites, Maternianus.

Caracalla. Modestius, rebelles, modestius, ne Imperator vos audiat!. Invade perfidos miles! *Omnes.* Vah infortunium! *Papinianus senior.* Vah! improvidos! Hem! quo vos abripuit insanus timor? Et tu, fili mi! *Caracalla.* Vive, impera Papiniane! pereat Caracalla! i, tuere, defende clientes tuos. *Papinianus senior.* Ah! ut infelix sum Pater! *Caracalla.* Scelestum voca. Nam ut ausus sit filius cogitare immane facinus, ignaro patre? *Papinianus junior.* Auguste, nihil pro me deprecor: suppliciis ultimis devotus sim! Sed Patri parce! solus sum reus: ignarus omnium, quæ feci, Pater. *Papinianus senior* Imo quod tantum probrum genuerim, sum reus satis. *Omnes* Nos rei sumus: innocens Papinianus. *Caracalla.* Abstrahite Tormentis quæratur veritas. *Omnes.* Nos rei sumus! Papinia-

nus

nus est innocens. *Caracalla.* Materniane, tu Papinianum custodi. Tempus, quo deliberes habes. In quo articulo rerum tuarum deprehensus sis, vides. Si Getam damnas, absolvis te. Sin, jam ne hoc quidem habebis solatium, quod innocens moriaris. *Papinianus senior.* Se ipsum solatur animus bene conscius sibi.

SCENA OCTAVA.

Personæ. Caracalla. Lætus.

Lætus. NOn belle instruxi fabulam, Cæsar, ut intelligeres, quo in te animo sint amici Getæ? Vix classicum cecini: jam illi strictis ensibus in te emicuerunt. Credere tu narranti potuisses? Sed quod auribus hausisti, vidisti oculis. *Caracalla.* Graviora metuo. *Lætus.* Urgenda sunt cœpta, donec nemo supersit, qui metui possit. Miles omnis est tuus: irruere nos in eos jube, qui deflent Getam: clade aliqua exterrendus est populus, ut credat, immane facinus tentasse Getam, quod vindicta tam horrida expiet. Atque quo celerius exequi sententiam tibi utilem jubes, hoc efficacius remedium est. Quos duci ad tormenta jussisti, plectantur cito: alius quisquis gemit de Geta, quisquis murmurat, luat Capite: ita facies fidem, merito occisum esse. *Caracalla.* Si porro probare factum Papinianus recuset, quis justum credet? *Lætus.* Necari & ipse potest: imo jam debet, si velis vivere. Animo obstinatus est, reum filium videt, Imperatorem se audivit prope jam proclamatum, & nihil animo agitet adversum te? Timendus est ille vir, nunc maxime, cum in filio debet offendi. *Caracalla.* Cogitabo. In tua fide, Læte, reposita est mea salus. Turbis provide, & si est opus, mone tempori! me vocat Julia. *Lætus.* Securus fruere.



SALTUS.

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.*

Papinianus senior. Maternianus. Milites.

Maternianus. Hîc te audiet Cæsar. Prodibit continuo. Secede miles. Sed tu pone tandem, si amicum audis, illam tuam Philosophicam severitatem, & memento te Domino loqui. *Papinianus senior.* Num in reverentiam tibi peccare videor, si libere loquar? *Maternianus.* In prudentiam certe. Nam si resistis porro postulatis, quid sperare per hanc audaciam possis? *Papinianus senior.* Si non efficio, ut minus audacter peccet, saltem ego non pecco. Aut num defendere scelus aliud videtur tibi, quam committere? Si Caracallam incitassem ad inferendam fratri necem, scelestus viderer etiam tibi: nunc si probo factum, si laudo, quid facio minus? Quo nos abjicimus? Fidem juravi Cæsari: num ideo conscientiam tradidi? Cæsarem hoc effert, quod imperet. Sed consideret, quibus imperet. Stolidis, barbaris, impiis si imperat, imperet, quæ vult. Si viris honestis, imperet honesta: obediemus. Materniane, omen est bonum, quod me Cæsar ad alloquium vocet: & venio præparatus. Forte vexatio, quæ turbat aulam, dat intellectum, ut capiat, quam bene ipsi Papinianus velit. *Maternianus.* En ipse.

* Theatrum exhibet Castra.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Personæ. Papinianus senior. Caracalla. Maternianus.

Papinianus senior. QUid sibi vult, Auguste, hic occursus gratiosus, hic aspectus solito blandior? num sperare possum, mutata mente, agnovisse te demum, fieri non posse, ut Papinianus excuset, quod accusat natura, quod damnant Dii? An timere debeo, ne insidieris constantiæ, filio usurus pro ariete, quo Patris pectus evertas? Obsecro, ne diu suspensum me teneas: scire oportet, utrum Domino loquar, an tyranno? *Caracalla.* Audacter & temerarie agis ex more tuo, in ferocia complacens tibi, quam elegante vocabulo libertatem appellas, aut etiam fortitudinem. Sed dandum aliquid morituro est: fruere licentia, quam concedo brevem, & ultimam, nisi pertinaciam ponas, & obedias imperanti. Audi tranquille, quæ dicam; intelliges, opinor, merito imperare. Utinam sapientius ordinasset imperium moriens Pater, & quod suaseras tu, Orientem uni, Occidentem alteri filiorum tradidisset regendum! nunc cum orbi toti utrumque cum æquali potestate præposuit; quid fecit aliud, quam ut jam ante discordes in mutuam perniciem concitaret? Geta majorem nolebat ferre, ego æqualem non poteram. Accessit ab indole stimulus, accessit a suspicionibus, a dissidiis, a susurronibus: neque hodie primum periisset Geta, si se obtulisset alias occasio opportuna magis. Quanquam & hodie exhorrui scelus: neque me obstrinxissem, opinor, nisi refugientem animasset Lætus, ut utar occasione non facile reditura, hortatus. *Papinianus.* Prô! quid audio? Lætus hortatus est, Auguste, quo ego vix alium Getæ amiciorem putavi? *Caracalla.* Ita Lætus, qui & filium tuum cum sociis induxit mendacio, ut, quod vidisti, adversum me conjurarent. *Papinianus.* Vah! perfidiam! *Caracalla.* Sed ille mihi, cum minime putabit,

tabit, pœnas suorum scelerum satis acerbas dabit. Jam te, Papiniane, quid agere necessitas postulet, considera. Occisus est Geta: quid faciam? Pœnitet! sed ille non ideo reviviscit. Amavit Getam populus: cum innotuerit, cæsum per injuriam esse, tumultus fiet, & incalescet seditio vix nisi multorum sanguine restinguenda. Moriendum omnibus erit, quotquot vivunt amici Getæ: nec enim meæ me vitæ aliter securum puto. His tu occurrere malis tantis potes facile, si prodiens ad concionem Getam merito occisum doceas, quod id & mea, & Reipublicæ exigeret salus. Sciunt omnes, quam Getam amaveris: sciunt quam ames justitiam: itaque quin sint vera, quæ dices, dubitabit nemo: omnes damnabunt Getam, omnes se mihi inclinabunt: Caracalla tranquillum imperium, Respublica pacem, plurimi vitam debebunt tibi. *Papinianus*. Ah Cæsar! si ego filium meum defenderem: si merito & recte contra te conjurasse assererem, quibus me oculis aspiceres? quo animo audires? Tamen hoc affirmo: minus in te filius meus peccavit, quam contra Getam peccasti tu: & te vis defendi? Cessa, obsecro! quod vis, impera: promptum ad omnia Papinianum habes. Sed scelus imperanti obedire non possum. Sedandorum tumultuum aliud remedium est. Intelligat populus, quod te facti pœniteat. Intelliget vero, si facti auctorem Lætum digno supplicio eneces. Sic placabis furentes: sic demonstrabis, te Principem esse, qui ut errare, sic erroris concipere pœnitentiam possit: sic ostendes, quam Proceres male consulant sibi, dum tibi consulunt malum. *Caracalla*. Bene est: non consulis male. Et vide, quantum tuæ virtuti deferam. Judicem te Læti constituo, & Judicem tui filii. Uterque reus est: si tantus est amor æquitatis, quantum prætefers, amborum causam examinabis ad leges: & ego, quam de utroque feres sententiam, ea stabo. *Papinianus*. Judex sim, Domine, cum ipse tibi videar de ambitu reus? *Caracalla*. Innocentem te scio: absolvo. *Papinianus*

nianus. Reus unus inimicus eſt, alter filius: & Judex ſim! *Caracalla.* Judicabis. Quid diſputas? num iterum ſcelus impero? *Papinianus.* Haud ſcelus quidem, ſed rem difficilem Patri. *Caracalla.* Amorem filii amor juſtitiæ vincet, ſi es fidelis. Cauſam indaga ſedulo! priusquam ſol occidat, dicenda ſententia eſt, & executioni mandanda. Filium primum cum ſociis ad examen citabis: Lætum poſtea Maternianus adducet. *Papinianus.* Obedio.

SCENA TERTIA.

Perſonæ. Caracalla. Maternianus.

Maternianus. QUam gaudeo, Cæſar, te placidum Papiniano videre. Viri tanti mors quam multorum odia concitaret tibi! quæ pericula acciret! *Caracalla.* Video; hinc titulum quæro, ex quo juſte poſſit damnari. *Maternianus.* Prô! quid audio? *Caracalla.* Judicem conſtitui, ut fiat reus. Abſolvit filium: favet hoſti Cæſaris: damnat Lætum: damnat amicum Cæſaris. Judices, a quibus de judicio aut per odium, aut per amorem perverſo judicetur, inveniam facile. Liberare me volo ab homine audace, & obſtinato. *Maternianus.* Decretum eſt igitur... *Caracalla.* Decretum. Hodie morietur. *Maternianus.* Ecquid te movet ad facinus adeo horridum? *Caracalla.* Libertas, ſecuritas, majeſtas. *Maternianus.* Non, non facies: fieri non poteſt, ut vel mente deſignes tam atrox facinus. *Caracalla.* Quid nî? *Maternianus.* Superi! num perpendiſti adeo, quem virum deſtines neci? Quid de te ſentiet orbis? *Caracalla.* Quid? num ſemper ero Miniſtri ſervus? & Imperator cum ſim, nihil licebit agere, niſi quod ipſe probet? *Maternianus.* Ille vero nihil probat, niſi quod prodeſt. Memento Severi Patris, quam te anxie commendaverit Papiniano: neque credidit, fieri poſſe,

ut

ut felix imperes, nisi ex consilio hujus viri imperes, quem ad hæc tempora servarunt Dii, ut sua prudentia collabens sustentet imperium. Cogita, quantum ipsi debeas. Vel maxime placere tunc debet, cum loquitur, quod displicet tibi. Hinc enim, quod te amet, manifestat, incurius sui. Libertas, securitas, majestas tua ab ipso fulcientur. Nunquam major eris populis, quam cum ad latus proxime assidere vident Ministrum in administranda justitia & peritum & sedulum: nunquam securius imperas, quam cum nemo habet, quod queratur contra vicarios præsides: nunquam præcipies liberius, quam cum populi credent, præcepisse te ex Papiniani consilio. Quam felices fuissent alii Cæsares, si Ministrum ejusmodi aut habuissent, aut audissent! Neronem totus orbis & amavit, & timuit, quamdiu coluit Senecam. Cum Senecam sustulit (quod mihi facinus atrocius videtur, quam quo sustulit Agrippinam) cum Senecam sustulit, timere debuit omnes, a nemine amabatur. Te ipsum, Auguste, quanta subibit pœnitentia, cum, quantus fuerit Papinianus, ex jactura advertes. Si Principes Dii essent, immortales facere tales Ministros deberent, quales utique non omne sæculum tulit. Ah! quam ille tibi affectus est pessime, quam nihil tuæ gloriæ, nihil salutis studiosus, qui te in Papinianum irritavit! & nempe Lætus, Lætus incitavit te ad necem fratri inferendam; quis alius in Papinianum accenderit? & quis est ille Lætus? quando unquam aliquid salubre suasit? Affectui se tuo accomodat, ut placeat, in omnes formas mutabilis Proteus. Huic ego regendum me traderem, si Rector essem? *Caracalla.* Versas me, & turbas animum. Delibero, quid agam. Adhuc tamen funus nobile ista videbit dies, nec sine pompa, aut Papinianus cadet, aut Lætus: alterutrum fata postulant, & meæ res. Paretur ferale pegma, lictores, enses, venena in promptu sint. Impero. *Maternianus.* Obsequor. Dii faciant, ut dira sententia meritum Caput feriat!


SCENA

SCENA QUARTA.

Personæ. Caracalla. Lætus.

Lætus. DOmine, rumor de nece Getæ in urbem ſparſus turbas concitat: audivi murmura, dicteria, minas: conventus fiunt: niſi nos opponimus initiis, erit ſeditio: Majeſtatis periculum ſubis. *Caracalla.* Credo. Quis modus pacandi eſt male contentos? *Lætus.* Vis, & ars. Si Papinianus de jure facti pro concione populum doceat, acquieſcet. *Caracalla.* Non impetro. *Lætus.* Ergo irruendum in obvios, & quisquis vel nomen Getæ cum affectu uſurpat, necandus eſt. Hic terror ſuffocat impetum recentis audaciæ. *Caracalla.* Conſilium atrox! *Lætus.* Sed neceſſarium. Huc te Papiniani obſtinatio adigit. Ego ſi Cæſar eſſem, næ ille mihi pertinaciam capite lueret! Qui tibi contradicere, Cæſar, non timet, quid timet denique? *Caracalla.* Nihil habet, quod timeat, qui recte agit. *Lætus.* Nondum prohibuit nuptias etiam, quas cum matre agitas? Nam ad tribunal ſuum jam citavit amores tuos ille Rhadamantus: nondum damnavit? *Caracalla.* Quid? auſus eſt carpere? *Lætus.* Palam. Phædræ comparat Juliam: de te ait, optare ſe, ut Hyppolytus ſis. *Caracalla.* Quid optat? clarius loquere. *Lætus.* Ut Hyppolytus ſis, qui novercæ ſuæ blanditias crudo contemptu deriſit, meritus propterea, ut devoraretur a Phocis. Et addidit. . . *Caracalla.* Quid? *Lætus.* Se ex hac maxime cauſa ſuaſiſſe, & urſiſſe diviſionem imperii, ut te a matre divideret. Vides, quantum ſibi arroget juris in te. *Caracalla.* At ego dubito, Læte, uter mihi pejus affectus ſit Papinianus, an tu. *Lætus.* De me ſuſpicaris hoc malum, Auguſte? Quando improbavi aliquid, quod tibi placebat? Cupiebas fratrem in poteſtatem venire: adduxi. Ut Julia mentem ſuam de te ducendo clarius aperiret, efficere: effeci! Quo in te animo poſt Getæ cædem

ejus amici essent, explorare: exploravi. Exercitum tibi adjungere: adjunxi. Quid amplius imperas? Si, vel ut Jovem deturbem de solio, præcipis, expugnabo nubila, aut si glorioso conatui non respondet eventus, impavido pectore excipiam fulmen, quod me in exercitio nobilis obedientiæ sternet. *Caracalla.* Invisum subditis fecisti me! Nisi tu institisses, fratricida non essem. Nunc vis, ut Papinianum adjungam: quis me amabit? quis non maledicet? *Lætus.* Obsecro, Princeps cave, ne hic animi tui sensus emanet in vulgus. Gladios stringerent Romani, si scirent te linguas timere. Nudos enses ostenta, tacebunt, imo si instas, laudabunt præterea. Romulus, Domitianus, Nero, cum statuerunt fratres occidere, num quid dicturi sint subditi, cogitarunt? Jupiter cum Patrem cœlo expulit, cum sororem uxorem duxit, cum in cygnum, in aquilam, in bovem se transformavit, nunquid anxie deliberavit, quid de se locuturi sint Fauni ac Satyri? Liberrime vivendum est Principi, si vivere felix cupit. Juliæ, si vis, libellum repudii feram: nam si de sermonibus angeris, actum de nuptiis est. Illa, quo animo exceptura sit nuntium, facile capis. Aut ridebit, aut indignabitur, timeri a viro, quod non metuit fœmina. Quanquam si attendendum est, quid dicant homines, attende, Princeps, quid dicat, quid dictura sit Julia: illa tibi præ toto genere humano sit. Oderint te omnes homines: non tam infelix es, quam si illa te cesset amare. *Caracalla.* Explorasti de Papiniano etiam Juliæ sensum? *Lætus.* Pertinaciam in defendendo Geta, ipse nosti, ut damnet Julia. Veretur nempe, ne... *Caracalla.* Ibo, interrogabo Matrem. Si mori vult hominem, periit. Tu occurre tumultibus. *Lætus.* Omnis miles in armis excubat. Quisquis commoverit se, pro hoste erit: & tu intelliges, Cæsar, quanto ferventius tuæ felicitatis, salutis, gloriæ studiosus sit Lætus, quam Papinianus. *Caracalla.* Recte.



CHORUS II.

Jovem, cum omnia ſus-deque verti videt, de pulſa Themide pœnitentia ſubit. *

Perſonæ. Jupiter. Mercurius. Pallas. Ceres. Pomona. Pales. Hortulani. Paſtores. Ruſtici.

ARIOSE.

Bellona. ARma viri! procul curæ!
Jam valebit vis pro jure:
Tantum quisque poſſidet,
Quantum ſibi rapiet.

Chorus Prædantium.

Rapite, capite!
Nemini parcite!
Sine diſcrimine
Sternite, cædite!
** Mare & terra ſus deque vertantur! *intus fit clamor.*
Modo res veſtræ in cœlum tollantur.

Mercurius. Superat famam malitia. * *Prodeunt hortulani.*
Pales. O Cœlum! o Sydera!

X 2 *Ju-*

* Prodeunt Jupiter & Mercurius perſonati.

** Theatrum exhibet caſtra. Interius Bellona in turrito Elephante equis circumdata. Alii parant naves. Alii effodiunt aurum, alii arma lævigant ad cotem. Adſunt cumuli galearum, enſium, telorum &c. fit prædatio, cædes, fuga, clades &c. abſciſſa capita in haſtis, abjecta arma viſuntur. &c.

Jupiter. Iterum nova lamenta.
Ceres. O Jupiter adjuva!
Mercurius. Secedamus,
Ut, quid querantur, certius audiamus!

ARIOSE.

**Pomona.* O mea pomaria!
Pales. O oves!
O boves!
Ceres. O agri! o jugera!
Omnes. O meæ res!
O meæ ſpes!
Ah! Cœlum! ah Sydera!
Ah! Jupiter adjuva!

* *Paſtores, Ruſtici.*

Ceres. Quid fruſtra clamamus?
Videtis,? ut nihil ſe moveat durus tyrannus!
Pales. Pulſa Themide
Quis noſtram apud eum cauſam velit ſuſcipere?
Pomona. O Themis! Dum te non amplius audit Jupiter,
Quam nihil agit regaliter!
Lex nulla ſervatur:
Pro libidine vivitur: ſcelus adōratur.
Ceres. Cur ergo tributum Jovi ſolvimus?
Pomona. Cur Regem alium non eligimus?

ARIETTA.

Pomona. Cur ego hortorum delicias?
Pales. Cur ego do pecorum decimas?
Ceres. Pro Jove cur cogor arare,
Si nihil laborat pro me.

Omnes.

Omnes. Ut jure tributum, quod imperas,
A ſubditis, Jupiter, exigas:
Pro ſubditis debes regnare,
Non debes regnare pro te.

Jupiter. Quousque tandem?
Omnes. Heu! fuimus! perijmus!
Jupiter. Quid agendum Mercuri?
Pallas. O Pater! quanti ſum ſceleris nuncia!
Dii fratres in Cœlum evaſerunt,
Deos cæteros in fugam egerunt:
Turbata ſunt omnia!
Jupiter. Dies nefaſta! ubi, ubi ſunt fulmina?
Pallas. Pater! ſiſte impetum!
Et Majeſtatem ludibrio ſubtrahe!
Ad horam juvat cedere, ut poſſis ſecurius vincere!
Mercurius. Cum Pallade ſentio,
Et ut ad tempus te occulas, ſuadeo.
Interim ego Saturnum Cœlis,
Pallas Themidem reſtituet aris:
Reſtitutam rebelles Dii audient,
Et Cœli imperium tibi reſtituent.
Unde cum rurſum tonabis,
Homines facile a ſceleribus revocabis.
Jupiter. Ite, quod videbitur, agite.
Ego ibo, quo me rapient pudor, dolor, timor, furor.

A R I A.

Erravi! vah! Erravi!
Cum Themidi peccavi!
Perite blaterones!
Qui blandos per ſermones

Palpatis aures Principum! . .
Est falsum, est mendacium,
Quod Reges
Sint exleges!

2.

Exemplum do Rex Regum,
Quid prosit cura legum:
De Jove exul factus sum! . . .
Quid restat quam suspirium
Erravi! . . .
Erravi!



ACTUS V.

SCENA PRIMA.

Personæ. Papinianus senior. Maternianus. Lictores. *

Maternianus. ADes Papiniane!. quid te hic aspectus feralis juvat? *Papinianus senior.* Salve sancta Justitia!. Materniane, cui hanc Scenam instruis? *Maternianus.* Tu Judex es. Qui a te damnatus fuerit, ense, securi, fune, veneno, morte, qua decreveris hac hora cadet. Præcepit Cæsar. *Papinianus senior.* Eccur ad judicium non rapitur Lætus? *Maternianus.* Dilatum est. Tumultus timetur populi: invigilare est jussus. Nihil metuit: non evadet. *Papinianus senior.* Bene est. Ergo præcedat filius. Lictor secures expedi! Tu Cæsarem ad spectaculum evoca, ex quo discat, quam chara Papiniano justitia sit. *Maternianus.* Damnasti filium? *Papinianus senior.* Meruit. Serenus, Macrinus, Helvius ducantur simul: æquale crimen

* Apparatus funebris contra omne genus delicti.

crimen pœna æquali luent. Jamque ingredi vides. *Maternianus.* Funesta dies! Hic vultus, hic habitus, hic incessus viros præclaros decet! Cæsarem evoco.

SCENA SECUNDA.

Personæ, Papinianus uterque. Serenus. Macrinus. Helvius. Milites. Tribunus. Lictores.

Papinianus senior. OPprime naturam virtus! Gemere Patrem decet, non decet Judicem. *Tribunus.* Adduxi reos. Ultra quid velis, impera. *Papinianus junior.* Pater! *Papinianus senior.* Vocabulum sile, quo mihi pectus scinditur. Quanquam si moriendum innocenti foret, non dolerem: nunc, non quod moreris, lugeo, sed quod nocens moreris, infelix! Et quod filium genui degenerem adeo. Prô dedecus meum! *Papinianus junior.* Feci vindicandi Getæ causa, amore tui concitatus, fraude Læti deceptus. *Papinianus senior.* Sile probrum! non est scelus scelere vindicandum, nec Geta ipse sic vindicari se velit. Tune amabas me? sic nosti Patrem? Is tibi videri potui, qui conscendere vellem solium mei Principis conspersum sanguine, mei filii pollutum scelere! Novum crimen! Quid fraudem jactas? Excusatio te ipsa accusat. Hem ut miseri parentes sumus! Quantis mihi curis tua educatio constitit! quam sollicite avocabam a vitiis! quam sedulo ad cultum virtutis urgebam! & videbar mihi non arasse in littore: Spes lætissimas repentina grando decussit. Lætum audire contra Patrem oportuit? . . Vestrûm me miseret, Amici, quos hoc scelus in societatem traxit improvidos sui! Si quater mori filius posset, pœnas mihi pro vobis daret, quater reus, & quod ipse Læto accesserit, & quod male suaserit vobis. *Helvius.* At tu, quid nos torques? Damnasti: an non est satis? Adhuc subire oculos tyranni coges?

Quid

Quid hoc meruimus? Expeditus est lictor: duci jube. *Papinianus senior.* * En subit ipse! curvate genua! Deprecari scelus oportet, & mori. *Helvius.* Me deprecari! Quam lubens morerer, si peregissem facinus gloriosum & sanctum! *Papinianus senior.* Quid loqueris ferox? *Serenus.* Tene adulari tyranno decet? sic Papinianus es? Optime de Roma meritos viros, amicos, filium damnas, ut placeas Caracallæ! hic juris cultus est? hæc virtus tua? *Papinianus senior.* Superi! hic furor viros bonos corripere potuit, ut negent se mortem meritos? *Macrinus.* Pasce oculos crudelis! in hac miseria! Hoc decet indolem. Ut calet, ut ardet anhela crudelitas! Quid cessas lictor? Sanguinem sitit: propina potum! *Serenus.* Propina. Vivat fratricida in ruinam imperii! *Macrinus.* Vivat, ut pereat Roma, & pœnas ignavæ patientiæ luat! *Helvius.* Vive, triumpha Cæsar! Major Africano, major Macedonico es! Getam occidisti: Geticus appelleris! *Papinianus senior.* Quousque patiens audies, Auguste, maledicos canes? nam ego amicos abdico. Amicus, affinis, filius sit: hostis est meus, qui Cæsaris est. Jussisti judicium facere: lata est sententia: moriantur! exequi jube! *Papinianus junior.* At ego tibi supplex, Auguste, accido: probo sententiam, meruisse mortem fateor: sed per quiquid est charum, deprecor. Ætati parce, Domine, parce Generi, Patri parce! *Papinianus senior.* Quæ me rursum ferit vox! Ignave! degener! Tu, quam meruisti, mortem metuis? deprecari audeas! Hoc absit, Cæsar, ut ego istud dedecus ultra intuear. Fiat justitia! moriatur.

* Prodit Caracalla.

SCE-

SCENA TERTIA.

Personæ. Papinianus senior. Caracalla. Maternianus. Ephebus.

Caracalla. ABripite ex oculis monstra! reducantur in carcerem. Moriemini morte, qua sentiatis vos mori! deliberabo. Tuam ego fidem suspicio, & amorem justitiæ. Faciam, ut de tuis laudibus nulla unquam posteritas conticescat. Unum exigo, ut sicut æquus es Judex, ita sis Minister fidelis, pro tui Domini honore & salute sollicitus. Getæ mortem populo proba! Num obedies tandem? Quousque te oppones? Cum tu probaveris, probabunt omnes. Amasti Getam: hic amor obstat. Amorem vincat amor, quem jam soli mihi totum debes. Exemplum fœminæ imitari ne pudeat. Luxit filium Julia: lugere desiit, cum imperavi. Quid siles? Mortem vel te judice meritus est filius tuus: meriti amici tui: libertatem, vitam, honores pristinos & majores debebunt tibi, si obedieris. Si non obedis, vide, quo me adigas. Venenum & pugio in promptu sunt: alterutrum eliges. *Papinianus senior.* Quam prompte obediverim, Cæsar, quoties, quod honestum est, imperasti, exempla habes. Patrem exui, ut subditus esse possem: quid amplius exigas? neque desidero, ut absolvas filium, quem ego damnavi. Moriatur infelix! Illius ego mortem ne gemitu quidem dignabor. Si mori me cum ipso jubes, felix sum! Neque enim miseram mortem aliud, quam misera causa facit. Amavi Getam: quod tamen non probem necem Getæ, amor Getæ non facit: amor justitiæ facit. Exemplum Juliæ movere Papinianum non potest. Cur cessarit lugere, facile divinavi. Heu! quæ non dedecora cogar probare, si ne-

necem Getæ probem! Non probo: non possum probare: Fidelis Minister sum: adulator non sum. Sed nec judex adversum me ipsum sum: mortem neutram eligo: tu decerne. *Caracalla.* Obstinate! *Maternianus.* Ah! Papiniane! tantine paucula verba sunt, quæ ad concionem dicas, ut malis. . . . *Papinianus senior.* Scelus sunt. Cæsar! quod imperas mortis genus? *Caracalla.* Insultat! In carcerem ibis, & ipse ad carnifices feres sententiam. Macrinus, Helvius, & Serenus te spectante jugulentur statim! tum item in oculis tuis tuus filius caput securi subjiciat, quem tu sine mora morte pari sequeris. *Papinianus.* Obedio per omnia. Oro Deos, ut mea mors pluribus exemplum, quam miraculum sit. Vale Cæsar! Materniane vale!

SCENA QUARTA.

Caracalla. Maternianus. Lætus. Ephebus.

Maternianus. AH Cæsar! Qualem virum condemnas? *Caracalla.* Contumacem. Ipse se damnat. Vidisti, ut me provocarit audacter? Ut nihil exhorruerit ad sententiam? Ut velut ad convivium abierit? *Maternianus.* Obstupui robur animi. *Caracalla.* Semper æstimavi hominem, amavi semper: quid omisi, ut possem absolvere? absolvissem, quam noxium exemplum foret! Quis non auderet similia, & se imperanti opponeret. *Maternianus.* Ut pavescet, ut horrebit te populus, cum de novo facinore audiet! *Caracalla.* Hem Lætus. Ex ipso intelligam, quid in urbe agatur. Tu vide, quid fiat in carcere. Gaudium feres, si mihi lucraberis virum.

SCE-

SCENA QUINTA.

Caracalla. Lætus. Ephebus.

Lætus. VIve Cæſar! jam regnas ſecurus! Cæſi ſunt, quotquot amarunt Getam. Viginti fere millia computavi. Irruere tota urbe militem in turbas juſſi, & quotquot de Getæ morte plorantes invenirent, ſine diſcrimine cædere. Tremunt cives: nemo movere ſe audet: agere, quod libet, licet. Fruere imperio, fruere Julia: nemo tyrannidem carpet, nemo, quas cupis, nuptias. *Caracalla.* Ut nemo ſuperſit etiam, qui me impellat ad tam funeſta conſilia, hoc poculum propino tibi. Libemus Diis! Adeſte furiæ, & hanc imperii mei peſtem auferte vobis! Bibe. *Lætus.* Cæſar! *Caracalla.* Per ſtygem bibes! *Lætus.* Ah! Audi ſupplicem! & moram ſaltem defenſioni concede! Nam cur occidor! *Caracalla.* Interrogas? occiſus Geta, decepti proceres, turbata aula, Papinianus infelix, viginti millia occiſi, ego tyrannus, infamis, toti orbi exoſus, omni poſteritati execrabilis tua ſcelera ſumus: & adhuc de defenſione cogitas? Quamquam ut ſimus juſti, age, defenſioni te para. Quem judicem optas? *Lætus.* Impera Domine! *Caracalla.* Papiniano te trado. Curre puer! *Lætus.* Ah Cæſar! *Caracalla.* Nempe hunc times miſer? . Heu! Materniane, quid affers?


SCENA SEXTA.

Accedit Maternianus.

Maternianus. PApinianus vixit! *Caracalla.* Tuum eſt ſcelus! Bibe! bibe! *Lætus.* Obſecro! *Caracalla.* Aut bibes, aut ilia perfoſſus cades. *Lætus.* Sentio ultores Deos! Bibam, tyranne, bibam! Placere volui, hoc ſcelus meum! *Caracalla.* Hauris ocyus! Habet. In carcerem extrude monſtrum, donec epota vipera jecur exedat. *Maternianus.* Nunc juſte ſævis Cæſar! ſic mori adulatorem decet. Venenum ex auro bibat, qui venenum in auro Principi propinavit. Crepa!



ANASTASIUS
DICORUS.
TRAGOEDIA
DATA
LUDIS AUTUMNALIBUS
ANNO MDCCXXXIV.

ARGUMENTUM.

NUnquam impune illudi Cœlo, Anastasius Imperator testis est, Dicorus apellatus a discoloribus oculorum pupillis, qualis & vita fuit, bona initio, deinceps pessima, nisi rectius pessimam semper dixerimus, cum videri bonus semper, esse nunquam voluerit, obstinatus hypocrita. Imperio post Zenonem potitus, juravit Euphemio Patriarchæ, & juramentum syngrapha confirmavit, servaturum se, & contra quoscunque tuiturum Synodi Chalcedonensis decreta: nihil præstitit minus. Favit enim paulo post Manichæis, Acephalis, Eutychianis, Hæreticis omnibus: solos Catholicos persecutus est, velut pacis reipublicæ, quod se hæreticis opponerent, inimicos. Itaque Euphemium & Macedonium Patriarchas multavit exilio: Timotheum & Severum pessimos Hæresiarchas, illum Constantinopoli, hunc Antiochiæ præfecit: inter aulicos, quisquis Catholicus fuit, suspectus de insidiis fuit. Eminebant Justinus, ac Justinianus, quos, cùm esse captivos jussisset, Vitalianus Ducum unus nepotem Cæsaris Hypatium cepit, & populo in partes pertracto Regiam obsidens, coëgit Imperatorem primum captivos reddere, deinde Catholicis, quæ pro bono religionis postulabant, promittere. Ita reddita est, quam populi placandi causa deposuerat, corona, non item diuturna pax. Nam continuo rediit ad ingenium simulator, nullis aut monitis, aut minis correctus. Urgebant promissorum fidem legati Hormisdæ Pontificis, ejecit, & navi perforatæ impositos

re-

redire in Italiam juſſit: inſtabant Epiſcopi, maxime Oeniandus Vir omnis ſanctitatis laude clariſſimus, contempſit: viderat malorum incentorem Timotheum repentina morte ab ultore Deo punitum eſſe; neglexit: ipſimet Vir gravis in ſomno apparuit, quatuordecim vitæ annos ex libro, quem tenebat manibus, ſe illi propter impietatem delere profeſſus; fruſtra omnia. Pharaoni ſe fecerat ſimilem in vita, ſimili cum eodem & morte periit, hoc eſt, repentina, non aquis quidem, ut ille, hauſtus, ſed fulmine de Cœlo ſtratus, quo fracta eſt arbor, quæ flecti non potuit. *Baronius.*

PERSONÆ.

Anaſtaſius obſtinatus hypocrita.
Timotheus Patriarcha hæreticus.
Hypatius Anaſtaſii nepos.
Juſtinus aulicus Catholicus fervens.
Juſtinianus aulicus Catholicus bonus.
Vitalianus Dux Catholicus utrumque amans.
Oeniandus Epiſcopus ſanctus.
Amantius Præfectus aulæ vir ad hominem.
Marinus Dux Militiæ homo de ambitu.

PRO-

PROLOGUS.

PLausum, quem Constantinopolis plaudit Anastasio, vigesimum septimum ab adito Imperio Anniversarium agenti, Deus mutat in Lessum. *

Personæ. Constantinopolis. Roma. Chorus.

CHORUS.

Io! Io!
Constantinopolis
Exulta, ride, plaude:
Fortuna Principis
Felicem facit, gaude!
Vivat! Princeps plurium
Per seriem annorum!
Vivat! hæc est omnium
Vox una subditorum.

Roma. Festiva quid sonant tympana?
Constantinopolis. Vota, soror, junge, & cantica,
Est annus septimus supra Vigesimum,
Quo Anastasius tenet Imperium:
Diem celebro anniversarium.
Roma. Utinam dixisses, vitæ tyranni ultimum!
Est annus septimus supra vigesimum,
Quo Anastasius affligit Imperium!
Heu! Quousque feremus jugum tristissimum!

ARIA.

* Theatrum exhibet arcum triumphalem Anastasio erectum.

ARIA.

O Deus gementium ſpes
Quam lentus ad fulmina es!
Terge fletus!
Longos metus:
Tandem a me abige!
Quousque & deſpici te,
Et pateris opprimi me?
Tandem *ſurge*!
Fata urge,
Et tyrannum *percute*!

Conſtantinopolis. Eadem vota voveo, ſed in ſilentio:
Ita imperat Status ratio, ita ſervæ conditio.

ARIA.

Linguâ & animus duæ ſunt res:
Niſi has dextere
Scias diſtinguere,
Et verba pro more
Formare in ore,
Perdita es.
Aulis hæc poſita pridem eſt lex:
Heliogabalos
Ut Theodoſios
Debemus laudare:
Debemus clamare:
Vivat! triumphet! & imperet Rex!

Roma. Apage turpem Nœniam!
Nunquam Roma didicit tam diſſonam muſicam.
Mihi conſonant lingua, & animus:

Vindictam, Vindictam oro,
Ut ab obstinato Cæsare de tot sceleribus
Tandem exposcat Dominus. . . . *
Eja intonuit! preces Deus audiit!
Procidamus! adoremus! **

CHORUS.

Vindica Domine!
Deus. Vindicabo!
Tu signa, quæ locuta sunt, septem tonitrua.
Angelus. Audi, & vide, Roma! ***
Juro per viventem in sæcula,
Quia tempus non erit amplius!
Hodie morietur Anastasius.
Hominum scelestissimo
Quatuordecim annos vitæ, qui superessent, deleo.
Hodie morietur!

CHORUS.

Moriatur! Moriatur!
Laus sit Deo Vindici!
Jubilamus! plausum damus,
Plausum justo Judici!

Constantinopolis. Superi! quid vidi? & ubi sum?
Roma. Hem! ut Deus subito mutavit theatrum!
Eja! hic age diem anniversarium!
Constantinopolis. Hodie moriturum Anastasium, quis credet?

Roma.

* Mutatur Theatrum; Fit tonitru septies, & Anastasii effigies fulminatur.

** 24. Seniores coronas suas ponentes ad pedes Antiqui dierum.

*** Angelus Apocalypticus cum uno pede in mari, altero in terra.

Roma. Utinam ipſe crederet!
Sed ſerum eſt votum.
Decrevit Deus dare ſpectaculum
Horridum oculis,
Utile animis,
Ut hæç graviſſima veritas aſſiduè
Hæreat memoriæ:
* *Anni impiorum breviabuntur.*

A R I A.

Qui habet aurem, audiat,
Quid dicat Spiritus;
Citato equo advolat
Mors peccatoribus:
Peccatum mortis ſtimulus,
Peccatum calcar eſt,
Quo equus hic admonitus
Abſolvit curſum citius
Et cum abeſſe longius
Putatur, hinnit proximus,
Et ante fores eſt.

Da Capo.

Repente cadunt impii:
Et Filum rumpitur:
Mors figit telum pectori:
Infernus ſequitur.

* Mors equitans, & poſt ſe infernum trahens.



PARS I.

ANASTASIUS ADMONITUS.

SCENA PRIMA.

Personæ. Anastasius * *Hypatius Nepos. Marinus Dux militum.*

Anastasius. HYpati! adhuc trepido. Tanta erat majestas viri: tam grave tonitru denuntiantis propinquam necem, cum annos vitæ quatuor supra decem deleret. *Marinus.* Horridum somnium! At somnium tandem, non oraculum. Aut, si credis, Auguste, verum esse nuntiatum malum, quis tibi visus est auctor mali? Eludere præsagium licet nocentis cæde. *Anastasius.* Jam cogitavi. Sed, o Marine, etsi omnes occido, in quos cadere suspicio potest, ausuros aliquid adversum me: nihil ago. Ita tinniunt ambæ aures, velut feralem susurrum ingeminaret aliquis: hodie moriendum est! O chare Nepos! disce ex me, quam miseri etiam Principes sint, quamdiu coguntur Cœlum suspicere, superbum illud Cœlum, quod non minus palatia, quam tuguria fulminat. Heu me! Ergo non licet mihi, quod libet, facere, & est aliquid Imperatore Græcorum majus? Mortis sententiam ausus est aliquis in Anastasium ferre? In Imperatorem? Et ante tempus destinatum a fatis? Ergo quid me urbium munimenta, quid armatæ classes, quid centum exercitus juvant? Miserum est mori posse, miserius mori debere, miserrimum ante tempus debere. Crudele Cœlum! Unde imperium tam despoticum tibi? *Marinus.* Pavor confudit mentem Auguste! Parum cohærentia loqueris. Quid Cœlum accusas? Si odisset te, fulminas-

* Aula cum throno. Anastasius ex somnio turbidus.

minasset incautum, non monuisset. *Anastasius.* Monuit, ut diutius cruciet. *Hypatius.* Vive felix, Auguste Patrue! quid times somnia? Anniversarium hunc tibi imperii diem, ut Superi jucundum velint, toto animo precor. Admitte, quos paravimus ludos, & disparebunt spectra, quæ tumultum in animo faciunt. *Anastasius.* Ita, ita! Ludum ludam hodie tragicum & cruentum! *Hypatius.* Ah! minas cessa! Neminem possunt somnia scelestum facere. Et quousque te vultu averso conspicor? an vota displicent, an, qui vota Hypatius facit? *Anastasius.* Placet Hypatius, & vota placent, nisi fierent capiti hominibus inviso & Superis. *Hypatius.* Hem! Quo te proripis? *Marinus.* Relinque, Princeps, dum evigilet plenius, & phantasma dispareat. *Hypatius.* Averruncent omen Superi! pupillus forem. *Marinus.* Imo pupilla imperii es. Te in oculis ferunt subditi: te amant omnes, præter eos, qui se Catholicos dicunt, & Episcopo Romano jurarunt fidem. *Hypatius.* Ego non odi homines: quid illi in me oderunt? *Marinus.* Sanguinem cognati Cæsaris, quem, nisi me triste omen fallit, hodie periment. *Hypatius.* Inanis est metus. Non hoc sunt animo, non illis moribus isti homines, ut facinus tam atrox liceat suspicari. *Anastasius.* Molesta solitudo! Nepos! fiant parati ludi, admitto: sed tibi, non mihi fiant. Ascendes solium, dum ego in tumulum ruo. *Hypatius.* Ah! Quid aures crucias tristi Nœnia? *Anastasius.* Marine, juvat in omnem eventum providere imperio. Patriarcham adesse jube, aulam convoca, populum admone: coronam hodie in Hypatium transferam. Imperabis, Nepos, & vel ringente Cœlo Anastasius etiam occisus vivet in te! *Marinus.* Vivite Principes, uterque felix! Festino exequi imperata. *

* Abit.

SCENA SECUNDA.

Anastasius. Hypatius.

Hypatius. VIvis & vales, Cæsar! nihil obſecro, de transferendo imperio cogita. *Anaſtaſius.* Imo impera! & infelicem Anaſtaſium onere curarum leva, ut hilarius moriat. *Hypatius.* Ah! Quousque de morte memoras? Num occiſum me tecum cupis? *Anaſtaſius.* De me decretum eſt. Invidet atrox Numen diuturnius imperium mihi, & longiorem diſciplinam tibi: præcepta tamen imperandi compendio dabo. Cave, degener ſis! Nemo quamdiu tu imperabis, mortuum credat Anaſtaſium eſſe. *Hypatius.* Audio, quid imperes, quoniam ita placitum. *Anaſtaſius.* Vides hoc ſolium, Nepos? Per gradus aſcenditur, quorum ſupremus, non niſi unum ſedile capit, ut intelligas, uni tibi competere, ut ſedeas: cæteris, quocunque gradu ſint, ſtandum eſt. Eſt enim omnis homo natus ad laborem, ſolus Princeps ad otium. Itaque imperii deliciis tu fruere: moleſtias Miniſtri ferant. Si quis obſtrepat, calca. Jam quale conopœum ſe explicet, vide. Hoc tu pro Cœlo habe: aliud, de quo Monachi garriunt, nullum ſpera. Hic fulge! Non ſicut Sol, quem, quia beneficus eſt, nemo ſuſpicit: ſed ſicut cometa, quem quiſquis aſpicit, pallet. Optimus majeſtatis ſatelles eſt timor. Coronam auream crux ornat gemmea; ſplendet, non ardet: ſymbolum religionis eſt, quæ in te videri debet, eſſe non debet. In varias ſectas ſubditi ſunt diviſi: nemo ſciat, cujus ſis tu: quisque credat te eſſe omnium. Sceptrum porro poteſtatis eſt ſignum, qua polles. Utere pro libidine: lex te non ligat. Alius in Cœlis, tu in terris es Deus. Iſte quam nihil reſpiciat coronatos vertices, in me exemplum habes. Bene an male agas, perinde eſt: cum præcipitandi erit lubentia, præcipitabit. Cogimur

ſub-

subesse! . Utinam non cogamur! . Saltem hanc non habeat gloriam ostentator, quod subsimus volentes. Non meretur a Rege pro Deo coli, qui inter Regem & rusticum discrimen non facit. Vah! quid sibi dejecti oculi volunt, & quid os aversum? *Hypatius.* Exhorret animus ad hæc præcepta! Auguste, nunquam sic auditus es loqui. Obsecro, ne Deum, quem sentis majorem te, irrites acerbius. *Anastasius.* Nihil expecto acerbius morte, cujus sententia jam est lata ab eo, qui mutari non potest. Nec ego me muto. Tu, credo, supplicem me vis accidere, deprecari errata, flere? Istud non decet Principem. Etiam cum erraveris, tuenda constantia est, & error obruendus errore, non retractandus. Prostituit majestatem Princeps mutabilis. Ut vixi, moriar, Soli similis, qui semper est idem, etiam cum in occasu est. Tu cape animos tanta fortuna dignos, in quantam ego te eveho, non ille, quem pueriliter trepidas, non ille Deus: ego te eveho! . Quid stupes silens? Loquere, ut videam, qui sis! *Hypatius.* Attonuisti miserum diris vocibus! timeo Tonantis iram. *Anastasius.* Audio degenerem vocem. Pro! Cur Oeniandum tibi Moderatorem dedi! Alia te omnia Severus docuit: potuit Oeniandus uno mense profundum inscripta eradere principia, quæ Principem decent? *Hypatius.* Alia Severus docuit, sed meliora Oeniandus, atque adeo vel unius mensis labore pinguiorem meritus Episcopatum, quam quo impium Severum donasti. *Anastasius.* Quid, & cui loqueris, audacule? Quid igitur te docuit Oeniandus? *Hypatius.* Initium sapientiæ esse timorem Dei. *Anastasius.* Grave axioma! Puer, aliam mentem indue! aut in monachum tondebo te, & pro corona cucullum feres. *Hypatius.* Si sic regnandum est, subesse malo. *Anastasius.* Hem! Novum malum! Sceptra contemnit puer! Abscede, vappa! Hunc ego in solio collocem!. Tempori ades Moderator præclare! . . Vah! Quos tecum trahis?

SCE-

SCENA TERTIA.

Accedunt Oeniandus. Justinus. Justinianus. Amantius. Milites.

Oeniandus. QUi tuum omnes adorant imperium. *Anastasius.* Occursus feralis! Hypati! Aut Justinum in somnis vidi, aut Justinianum. Confusa est memoria: Utrum nescio: alterutrum certe vidi: Justinum tamen certius. Aspice me! . . Sic fulgurabant oculi: sic os horrebat: sic frons in minas ibat. Teneo parricidam. Huc ades miles! Justinum rape! Huc miles cito! *Justinus.* Quid enim peccavi, Cæsar! *Anastasius.* Rape ocyus! *Justinianus.* Si quid Justinus peccavit, Auguste, conscius peccati certe & Justinianus fuit. Amici sumus: amicum liceat in carcerem sequi. *Anastasius.* Dignus est carcere, qui præ Principe amicum amat. Sed bonus sum: liberam custodiam dabo. Reus est mortis, qui aula extulerit pedem, donec discussa sit causa. *Uterque.* Reus sit! *Anastasius.* Amanti! designa locum, & vigiles pone. *Amantius.* Imperium facio. *Anastasius.* At te, Oeniande, quæ causa ad me adduxit? *Oeniandus.* Diem anniversarium gratulatum accessimus. *Anastasius.* Quem vos nefastum facitis. *Oeniandus.* Nescio, de quibus loquaris, Cæsar. *Anastasius.* De vobis loquor, quotquot adoratis Romanum Pontificem. A vobis est malum omne, inquies, turbæ, tricæ, pugnæ! Vah! ut male pensatis labores meos! Cum volo, ut de Religione sentire cuique, quod libet, liceat, quid aliud, quam pacem, volo; cui istæ de incertis articulis lites, quantum sint inimicæ, quis non experitur? Silere jussi dissidentes: silent omnes præter vos: & si in contumaces animadversurus Imperator videtur, vide; quo sit processum, jam de vita periclitor. Oeniande, paci fave! Episcopus pauper es; augebo reditus, & alterum Episcopatum adji-

adjiciam. *Oeniandus.* Nihil paupertas me angit, Princeps: Episcopus oves, non lanam quærit; & si habet, unde alatur, & quo se tegat, debet contentus esse: sic Apostolus jubet. Gravius malum est, quod, si libet, ex his literis tibi communico, & merito acerbissime sentio, si est verum. *Anastasius.* Narra vero: non terres assuetum turbis. *Oeniandus.* Rem lego auditu horridam. Michaelem Archangelum nuper mortuum esse. Si ita est, quis erit posthac defensor Ecclesiæ? *Anastasius.* Episcope, ludis, an ineptis? aut, num non videtur ridiculum tibi, Angelum mori posse? *Oeniandus.* Auguste, si ego ludere, si ineptire videor, cum narro, Angelum esse mortuum: quid de te sentire nos vis, cum ex doctrina Eutychis credis, & defendis esse mortuum Deum. *Anastasius.* Sophista! Christum esse mortuum Eutyches docuit, non Deum. *Oeniandus.* Atqui naturam humanam Christi a divina absorptam, in divinam conversam esse Eutyches docet: si igitur Christus est mortuus, haud dubie secundum illam naturam est mortuus, quam habuit? & cum aliam præter divinam, ex mente Eutychis nullam habuerit, an non secundum divinam est mortuus? quod quid est aliud, quam credere mortuum Deum. Ergo non immerito Chalcedonensis Synodus Hæresiarcham damnavit! Et potest huic blasphemiæ Imperator favere? Et sperare potuit, fore, ut sibi Oeniandus assentiatur? *Anastasius.* Ego Oeniande, imperare didici, disputare non didici: neque tutum est, litigare mecum, sed obedire. Jam hoc impero, ut Papæ legatos adiens tua auctoritate permoveas, ut Thimotheo Patriarchæ communicent, & de Synodo Chalcedonensi posthac sileant: deinde volo, ut conscensa cathedra palam doceas populum, non esse damnandos eos, qui trisagio, sanctus, sanctus, sanctus, hæc verba addunt: qui pro nobis mortuus est. Demum ut Episcopis & Monachis omnibus exemplo obedientiæ præeas, & omissis altercationibus quemque libere sentire sinas, quod

malit. Ecce in hunc finem ex Asia vocavi te : in hunc regendis moribus Nepotis præfeci. *Oeniandus.* Auguste, quam sentire stricte ad regulas fidei, tam liberé loqui ego didici, adulari non didici. Tandem ponis larvam, & aperte Eutychianum fateris te, qui cum juramento, & data syngrapha olim damnasti Eutychen, & Chacedonensis Synodi decreta defensurum pollicitus es ? Mortalem te esse, num jam oblitus es Domine? Quid si hodie comparendum sit coram judice Deo? *Anastasius.* Sile bubo ferale carmen! *Oeniandus.* Imo per illam reverentiam, quam debemus uterque communi Judici, obtestor te, sustine paulisper salutaria loquentem tibi, quoniam hæc prima, & forsan postrema occasio est : nam toto, quo adsum mense, non sum auditus. Hodie, ut ego loquar, te, ut audias, Deus monet : si hodie, inquam, comparendum sit coram Judice Deo, scilicet accedes hac fulgens purpura, his gemmis nitens, stipatus multo satellite, corona procerum nobilis! Minime gentium! nullus ad illud tribunal Imperator, sed nudus, solus, tremens Anastasius stabit. Hæc parerga, quæ osculamur, mors volutabit in pulvere. *Anastasius.* Nondum finiisti? *Oeniandus.* Audi, quæso, Princeps, quod raro audis, & meminisse quotidie debes. Loqui timerem, nisi te plùs, quam me amarem. Septem supra viginti annos Constantinopolitanum solium tenes : quo Ecclesiæ, quo Reipublicæ fructu? Statuam hic collocasses, quid profuisset minus? At nihil nocuisset saltem : tu vero quatuor Pontificum sollicitudinem fatigasti; duos Patriarchas Catholicos, plures Episcopos ex suis Ecclesiis ejecisti, substitutis hæreticis : juratam Synodo fidem violasti : plura millia subditorum in hæresi confirmasti : multa exemplo, promissis, minis induxisti : cum libertate credendi, quod libet, dedisti licentiam vivendi, ut lubet : inde contemptus Præsulum, monachorum vilipensio, Cleri nulla reverentia, Nobilium summa petulantia, populi ingens impudentia, ubique

que inundatio scelerum, quia sceleratus Imperator. Vide, quid tibi tua hypocrisis prosit, qua subinde te tegis. Palam nota sunt omnia, & toto vulgata imperio. Nulla enim tegitur impietas diu: vident fumum, qui ignem non vident. *Anastasius.* Heus, tu! nondum obstupescis patientiam meam? *Oeniandus.* Admiror, laudo. Sed ut utilior sit, adhuc modicam dona viro pro tua fama, pro anima, pro salute unice anxio. Ecce tu disputare te non didicisse, ajebas, didicisse regnare. Si disputare non didicisti, cur inter disputantes te arbitrum facis? Imo cur disputatis, & Synodo definitis non acquiescis? Et si regnare didicisti, quid igitur est esse Imperatorem? Nomen, vestis, pompa Imperatorem non faciunt: Imperatoriæ virtutes faciunt. Hoc solium respice! Per gradus ascenditur: tu in supremo sedes, ut a subjectis omnibus videaris, & omnes videas: a nemine erubescas videri, neminem videre contemnas. Hæc prima dos Regum, ut regulam morum se subditis faciant. Deinde conopæum hoc protectionis te admonet, quam subditis contra miserias debes. Tradita tibi a Deo & hominibus Respublica est, sed nempe tradita in sinum, ut foveatur. Coronam crux ornat in summo apice posita, ut intelligas, quod cura prima esse debeat puritas Religionis, & splendor. Præcipuum decus perit, si crucem aufers. Sceptrum datur rotundum & breve, signum potestatis constrictæ & moderatæ. Malus est Princeps, qui in imperio non nisi imperium cogitat superbus & deses: quique se non subditis datum credit, ut regat, sed subditos sibi, ut emungat. Hominibus præes, hominum causa, nec Dominus solum, sed Tutor. Optimum crede, qui duas res diversissimas, potentiam & modestiam miscet, quem prodeuntem subditi velut beneficum Numen aspiciunt, dubitantes, Dominum salutent, an Patrem. Dedi speculum, Princeps, inspice, & erubesce, imo, ut salubrius loquar, contremisce, nam potentes potenter tormenta patientur, & illi præ

aliis utique, qui Numinis patientia diutius abusi, cum Pharaone animum obstinaverunt in malo. *Anastasius.* Et hæc nempe axiomata Nepoti tradidisti? *Oeniandus.* Tradidi. Num mala videntur? *Anastasius.* Speculationes! Tu si esses Imperator, an ex his regulis regeres? *Oeniandus.* Certe, si bonus essem. *Anastasius.* Equidem fatebor, Pater, hodie in metu me posuit Deus: vereor, ne quid ingruat mali. Si quid credendum est somniis, hodie moriar. Est ne obtinendi inducias spes? *Oeniandus.* Per celerem pœnitentiam. *Anastasius.* Ah! Curæ & timores de pœnitentia cogitare non sinunt. *

SCENA QUARTA.

Amantius. Oeniandus. Hypatius. Vitalianus.

Oeniandus. HEm! Quid Deus vel per somnium possit! Agitatus affectibus animus fluctuat vehementer! Utinam ejiciatur in littus insulæ fortunatæ! *Hypatius.* Quid effectum est, Moderator, sermone tam longo? *Oeniandus.* Multa opinor, favente Deo. Momordit hamum piscis: vulnus sentit. *Hypatius.* Sed impatienter. Vereor, ne rumpat funem, & ex vulnere pereat. Nam quantas paulo-ante locutus est blasphemias mihi! *Oeniandus.* De quo somnio queritur? *Hypatius.* Virum vidit, qui annos illi quatuordecim, quos supervixisset, propter impietatem delevit. Hoc turbat mentem suspicionibus, terrore, ira, desperatione, tristitia. *Oeniandus.* Heu me! nunc intelligo, cur adeo ad conspectum Justini horruerit! Quid si misero luenda morte suspicio foret? Virum ex asse Catholicum juva, Princeps, & periculo exime! *Hypatius.* At Amantius redit. Quid ajunt captivi? *Amantius.* Nihil sibi conscii, nihil metuunt. *Hypatius.* At ego metuo. Si me amas, amice, exploras penitius Augustum Patruum, & suppeditas consilium nobis,

* Abit.

nobis, quo juvemus viros optimos, & de imperio bene meritos, bene merituros. Et tu quo properas, Vitaliane! *Vitalianus*. Scilicet ut adorem te, Princeps, & imperaturo homagium præstem. *Omnes*. Commune omnium votum est. *Hypatius*. Votum intempestivum. Ego capiti patiar coronam imponi ea die, qua Justinus & Justinianus periclitantur de capite! *Vitalianus*. Fulminor! Jam ab Episcopis ergo in proceres se vertit tyranni furor? *Oeniandus*. Patientius Vitaliane! Nondum damnati sunt. *Vitalianus*. Anastasio periclitari & damnari sunt idem. Ah! Princeps! Impera cito! Nam quousque feremus durissimum jugum! *Hypatius*. Moderare vota. Venite mecum, quid agendum sit nobis, conferte consilia. *Oeniandus*. Terror, qui Cæsarem habet, spem omnem bonam probabilem reddit. *Amantius*. Consultate, tanquam ageretis de vestro capite: nam quod non nutat ad Anastasii nutum? *Vitalianus*. Possessor cordis es. Fideliter refer, in quem excoquat bilem. *Amantius*. Fideliter, scilicet in rem meam.

SCENA QUINTA.

Anastasius. Amantius.

Anastasius. NOn sum quietus. Quocunque vertor, mors se objicit oculis; & auribus redit tremenda vox: quatuordecim annos deleo. *Amantius*. Quieto jam esse licet, Auguste! Parricidas tenes, quos somnianti Cœlum prodidit: quid ultra metuis? *Anastasius*. Teneo? *Amantius*. Puto. *Anastasius*. An omnes? *Amantius*. Puto. *Anastasius*. Nomina mihi. *Amantius*. Justinum nomino & Justinianum. Eos animat Vitalianus, & . . Quartum, ut sileam, sine. *Anastasius*. Tu es, nisi nominas. *Amantius*. Tuus Hypatius est. Et quidni quintum dicam Oeniandum? *Anastasius*. Atrox indicium! Pro-

bare potes? *Amantius.* Si auscultasses, Princeps, sermonibus, quos ego audivi, non ambigeres. *Anastasius.* Quid audisti? *Amantius.* Quod cum Justino est actum, reprehenderunt omnes; de liberando cogitant: Vitalianus aperte ausus est vocem seditiosam tollere; quousque feremus durissimum jugum! Et Nepos acceptavit hilaris vota, ut Imperatori jam facta. *Anastasius.* Hoc puer? *Amantius.* Animatus a viris, & spe propinqua promissæ coronæ inflatus. Et quis te, obsecro, Auguste, in hoc consilium malus genius egit, ut transferre coronam vivens in aliud caput velles? *Anastasius.* Malum somnium egit. Consulere sanguini volui, ne me sublato sine liberis, in humeros alienos injiceretur purpura. Nunc ero saltem in Nepote superstes. *Amantius.* In ingrato, degenere, parricida! Magnum solatium! Hoc momento opprimere omnes sine tumultu potes: apud Hypatium consilium habent. *Anastasius.* Aliud placet. Vitalianum ad me voca, tum Justinum & Justinianum ad ipsum, velut ad me adduceres, perduc: arbitrabor colloquium, ex quo forte convinci secure poterunt. *Amantius.* Quanquam en ipse. Te, Cæsar, postulat.

SCENA SEXTA.

Anastasius. Vitalianus. Amantius.

Vitalianus. EGo tibi volebam verbum. *Anastasius.* Tu jussa perage. *Vitalianus.* Impera Princeps! *Anastasius.* Vitaliane, res magna agitur. In tua fide posita est mea salus. Spondes operam? *Vitalianus.* Etiam sanguinem. *Anastasius.* Confido tibi. Justinus & Justinianus suspecti sunt mihi de flagitio infando. *Vitalianus.* Audivi cum gemitu. *Anastasius.* Scio, amicos amas. Neque id improbo: quin ut amicitiam erga homines nunc maxime probes, volo, jubeo. Opto, ut possim suspicione absolvere. Tu potes, ut possim. *Vitalianus.* Heu

Heu perditi sunt. In causa tam delicata reus est, quisquis suspectus est. *Anastasius.* Non ita. Age, quod jubeo: Non est modus evidentior, quo innocentes se probent, si vacant culpa. *Vitalianus.* Jube, Cæsar! quamquam, obsecro, unde vel suspicio criminis tam atrocis potuit in homines tam probos cadere, & tam fideles? *Anastasius.* Suspecti sunt. Huc eos adducet Amantius: tu, cum venerint, te mihi iratum finge ipsorum causa. Quærentur ipsi de injuria: querelas exaggera, ultimum describe periculum, remedium ostende, parricidium suade. Si assensi fuerint, rei sunt: si restiterint, innocentes putabo. Age serio, & ardenter. Ego post siparium stabo, & vel nutuum observans ero. Si timide ages, si dissimulare amicum nescies, reos ambos, & reum te ipsum credam, quippe qui nescire me velis, an rei sint illi. *Vitalianus.* Ego amicos prodam? *Anastasius.* Nisi Cæsarem malis. *Amantius.* Approperant. *Anastasius.* Vide quid agas. * *Amantius.* In Vitalianum incidimus. *Vitalianus.* Vah! Quid loquar!

SCENA SEPTIMA.

Vitalianus. Justinus. Justinianus.

Justinianus. QUæ, malum! Fortuna te huc adduxit, amice ut in periculum te nostrum mitteres? Ocyus de fuga prospice, nisi perire velis. *Justinus.* Qui fit, in nobis, credo, manifestum se tyrannus dabit, cui, non video, quo alio nomine rei simus, nisi quia Catholici. *Vitalianus.* Vultis, ut in libertatem vos asseram? *Justinus.* Potes sine periculo tuo? *Vitalianus.* Amicitia non timet periculum. Audebo facinus gloriosum & dignum annalibus. Hic gladius vos a morte, rempublicam a tyrannide, Ecclesiam ab hæresi liberam

ram

* Occulte arbitratur.

ram faciet. Macti animis, condicite amici, hodie ad inferos tyrannus ibit. *Justinus.* Exhorrent aures atrox facinus, & periculo plenum. *Vitalianus.* Nobile voca, & periculo cassum. Tueri innocentiam natura concedit, necessitas suadet: quid ambigui estis? *Justinianus.* Quis erit modus? *Vitalianus.* Facilis, certus. Populus ad ludos coit: ibo, narrabo, quo in articulo vos crudelitas teneat, jubebo arma corripere, & obsidere palatium. Ibi ego advigilabo: vobis cohortem, cui præsum, intro mittam: excipite, tyrannum invadite, mactate obstantes, ipsum vel vivum, vel mortuum ad nos ejicite, ut spectaculo exhilaratior populus libentius acclamet glorioso facinori. *Justinus.* Vivum trademus saltem, ut tonsus in monachum tempus habeat pœnitentiæ dandum. *Justinianus.* Assentior pietati. Parcamus animæ, ne simus crudeles nimis. Sed tu matura opus, ne præveniat justitiam scelus. *Vitalianus.* Heu me! audivi, audivi atrocem sententiam! Vah! Hoc animo facinus sedet? Tantum flagitium placere potest? Scelesti! Impii! Amicos abdico. Prodi, Auguste, prodi. Reum Majestatis utrumque tenes: lictori trade! *Justinus & Justinianus.* Perfide! Sic tu amicos!

SCENA OCTAVA.

Anastasius. Vitalianus. Amantius. Milites.

Anastasius. IN vincula, miles, utrumque rape, in tetrum carcerem! Hac hora luetis scelus morte, qua sentiatis vos mori.. At tibi, Vitaliane, me debeo: probasti fidem. Tuus sum. *Vitalianus.* Ah! Auguste! egone de Justino & Justiniano vel suspicari potuissem tantum nefas? Pudet fuisse amicum. Transfode cor, Auguste, quod amare hostes potuit tuos! *Anastasius.* Vive mihi! *Vitalianus.* Saltem hoc impera, ut ego obeam carnificis munus, & scelus plectat hæc ipsa manus, quæ

toties

toties porrecta est reis. *Anastasius.* Aliud volo. Populum, quid actum sit, doce, & ne tumultus se moveat, cùm rapientur ad pœnam, cave. Nam statui, palam plectere, ut noscat vulgus, quos habeat duces. *Vitalianus.* Imperium facio. . . Imò non facio. Quis barbarus tyrannus amicos coëgit esse perfidos! At non fui! Probabo fidem. Cum vulpe vulpinandum est: vivetis, amici, vivetis! Quos trusi in carcerem, in solium eveham. Quis sit Vitalianus, nemo novit, præter me, & hoc est satis.

CHORUS I.

Imago Animæ obstinatæ.

In verba meretricis Babyloniæ: *Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* Apoc. 18. *

Personæ. Babylon. Tres Prophetæ. Pseudo-Propheta. Chorus.

Babylon. *Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.*
Puer, porrige poculum! Bibamus proceres! vivamus hilares!

CHORUS.

Vivat Regina! Hoc omnes optamus!
Vivat! Hoc uno clamore clamamus!

Pseudo-Propheta. Sydera noxios
Condite radios! *Chorus.* Vivat!
Saturni aut Martis ne fulgeat lux, *Chorus.* Vivat.
Intempestivos Sol frange calores!
Luna nocivos ne plue humores! *Chorus.* Vivat.

* Aula Meretricis Babyloniæ. Augures ex globo Cœlesti.

Bone tu Mercuri
Junge te Veneri! *Chorus.* Vivat.
Micate, qua nobis est Jupiter Dux! *Chor.* Vivat.

Propheta. 1. Non, non vivet Babylon.
Descende, sede in pulvere Virgo filia Babylon.
Sede in terra!
Non est solium filiæ Chaldæorum!
Quia ultra non vocaberis mollis, & tenera.
Audi Isaiam: *Hæc dicit Dominus;*
Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.
Audi hæc delicata:
Veniet super te repente miseria, quam nescies.

Propheta 2. Heu! Heu! heu! hæc est lamentatio Jeremiæ Prophetæ.
Fugite de medio Babylonis,
Et salvet unusquisque animam suam!
Nolite tacere super iniquitatem ejus,
Quoniam tempus ultionis ejus a Domino,
Vicissitudinem ipse retribuet ei!
Calix aureus Babylon in manu Domini
Inebrians omnem terram:
De vino ejus biberunt omnes gentes,
Et ideo commotæ sunt:
Subito cecidit Babylon, & contrita est!
Ululate super eam!

Propheta 3. *Hæc est Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illis Deus,*
Palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito.
Væ! Væ! Civitas illa magna Babylon!
Civitas illa fortis!
Quoniam una hora venit judicium tuum!
Sustulit unus Angelus fortis lapidem, quasi molarem magnum,
Et misit in mare, dicens:

Hoc impetu mittetur Babylon Civitas illa magna,
Et ultra jam non invenietur.

Babylon. Heu! quis terror me concutit? *
Proceres, sustinete labantem!
Cogitationes meæ conturbant me!
Compages renum solvitur, ita, ut genua collidantur.

Pseudo-Propheta. Regina nihil metue, quod hi canes baubantur.

ARIA.

Quid tibi cum Hebræis?
Non novi Isaiam,
Non vidi Jeremiam:
Apocalypsis græcum est:
Quid velit vox, incertum est:
Tu crede te Chaldæis:
Quid tibi cum Hebræis?

2.

In astris ego legi
Longævam sanitatem,
Et omnem faustitatem
Quam tibi favens aureis
Descripsit Deus lineis:
Hi fraudum sunt strategi:
In astris ego legi.

Babylon. Ah! habeo me pessime.
Pseudo-Propheta. Cito, cito poculum reddite!
Propheta 3. Frustra sunt omnia.

* Patitur deliquium.

Tres Prophetæ.	*Pseudo-Propheta.*
Finis venit, venit finis,	Non, non, non, non erit finis:
Jam nunc finis super te!	Nihil mali metue!
Intra horam eris cinis,	Non caremus medicinis:
Quid agendum: provide:	Bibe! vives optime.

Babylon. Respiro. Redit sensus, & Vigor!
Pseudo-Propheta. Gaudeo! sed ut valetudo sit firmior, suadeo,
Ut ex istorum sanguine conficiatur potio,
Quam si biberis, crede mihi, ebria deliciis,
In Paradiso esse te, tibi imaginaberis.
Babylon. Certe causa mali fuistis. Luctis.
Abripite! occidite!
Propheta 3. Sit sanguis noster super te!
Sit super te! sic valebis optime!
Pseudo-Propheta. Pellendæ propter futura tristitiæ
Non est medicina efficacior, quam Prophetas occidere.
Probatum est.
Babylon. Occidantur, qui malum Babyloni minantur!

A R I A.

Jubilemus! sonent tubæ!
Adhuc cœlum est innube!
Nondum micant fulgura!
Nihil credo plus Prophetis,
Quam credendum est Poëtis:
Ambo amant somnia.

CHORUS REPETIT.

* *Ephebus.* Vive Regina!
Ecce tristia obmutuerunt oracula!

Baby-

* Afferunt capita occisorum.

Babylon. Vah! qui exitium mihi cecinistis,
Et malum ipsi vestrum non prævidistis.
Nunc canite! nunc volo credere!

Pseudo-propheta. Silent. Ego potum propino, Domina,
Quocum bibas longa malorum oblivia!

Babylon. Sapit. Totum ebibo.

Pseudo-propheta. Proficiat. *

ARIA.

Babylon. Est nobilis potus, & fortis..
Delicium pavidi cordis!..
Sentio Dominum:
Gyrat se Cerebrum:
Evohe, Evohe abripis me!
Hei! qualis se aperit scena!
Quam pulchra, jucunda, amœna!
Video, audio,
Quid?.. Nescio.
Non, capio me.

Pseudo-propheta. St! indormiit. Eamus! personam mutamus!
Misera! decipi voluisti:
Decepta es: periisti.

ARIOSE.

Qui credit facile
Quod cupit credere:
In arena labili
Non in petra stabili
Suas male fundat spes.
Quoties expertus es?

** Inebriatur meretrix, & putat ex aula in hortum seduci.

dum experto aularum mores. *Hypatius.* Nec nosse velim. Piget videre sæpius, quæ vidi, aut experiri, quod tibi evenit. *Anastasius.* Experieris, cum imperabis. *Hypatius.* Hoc dico: imperare non lubet: in alium, obsecro, beneficium transfer, quod mihi est grave. *Anastasius.* Iterum recalcitras puer? Unus superes nostræ stirpis surculus: in te arescat? *Hypatius.* Arescet denique. Serius an citius, quid refert? stirps una deficiet, plures surgent. *Anastasius.* Rursum audio Oeniandum loqui.

SCENA TERTIA.

Accedunt Amantius, & Marinus. Hypatius. Ephebi.

Amantius. INfelix dies! ergo nihil hodie, nisi malum, nuntiem? *Anastasius.* Vah! iterum tristem video? *Amantius.* Apertus & vacuus carcer est: custodes nulli. Corruptos credo, cum reis fugisse. *Anastasius.* Quid hoc Amanti? Tene colludere cum hostibus credam? *Amantius.* Id Superi, Auguste, nolint. Da brevem moram: patescet veritas. *Anastasius.* Nempe in meum interitum. *Marinus.* Heu! eripe te furori, Princeps! tota civitas in armis est. Periimus, nisi patet aliqua in fugam rima. Vidi irruere tumultuantium globos, jamque circumdant Regiam: Vitalianus est Dux. *Anastasius.* Scilicet hunc designavit somnium! Vah ut erravi male! Vitalianus est Dux! ergo fidem fefellit latro? *Amantius.* Monueram: utinam dedisses fidem! *Anastasius.* Eccur Oeniandum dimisi? Ille pectus objiceret perduellibus! Vos quid facitis? consilium date. *Amantius.* Quid nisi latebras possum suadere, donec primus impetus detumeat? *Anastasius.* Objicite militem! *Marinus.* Claudimur. *Anastasius.* Vestrûm aliquis populari eloquentia compescat plebem. *Amantius.* Aulicus sum. *Marinus.* Ego miles. *Uterque.* Neuter Rhetor. *Anastasius.* Te verebuntur, Hypati, & innocentem facun-

diam

diam audient. *Hypatius.* Surdus est furor. *Anastasius.* Ah! quis Oeniandum saltem? deserite ignavi vestrum Principem! hoc in vobis præsidium est? Ite in latebras perfidi! ego, ego me objiciam fatis. Agnosco ferientis manum! Deum reveReor! huc pueri mecum!

SCENA QUARTA.

Hypatius. Vitalianus. Justinus. Justinianus. Anastasius.

Vitalianus. Ultra ne ferte pedem. Respondit eventus votis: tenemus Regiam: superest, ut scrutemur latebras, quæ tyrannum occulunt. *Justinus.* Vitaliane, quantum debemus! Eripuisti ex mortis faucibus, quem nos proditorem putavimus. Da veniam errori. *Justinianus.* Quis non errasset in fabula tam intricata? *Vitalianus.* Differte ista; tyrannum petimus. *Anastasius.* Labori parcite! ipse se vobis offert. Videte, quid vos deceat statuere in Principem, quem deseruit Deus. Ego, quæ patior, commerui omnia: quin in me ipso plectam. Ecce coronam & sceptrum posui, regno me abdico, Sacramenti obligatione vos absolvo! imponite decus hoc quam splendens, tam grave, capiti digniori: mihi si vitæ tantillum relinquitis, quantum Deus concedit, ut de me scelerum pœnas exigam, beneficium facitis: beatus sum. *Justinus.* Superi! quæ hæc metamorphosis? *Anastasius.* Illius, qui dispergit superbos mente cordis sui, & deponit potentes de sede, cum lubet. Nihil vobis, nihil armis tribuite! vitam poteratis adimere, haurire sanguinem, lacerare membra Anastasii: huc adigere, ut supplex occurrerem, ut pacem a subditis peterem, ut abjicerem majestatem ad pedes, non poteratis. Omnipotentis hoc prodigium est: ille depressit superbum Spiritum, & insolentem arrogantiam domat. *Vitalianus.* Amici! verbis creditis, quæ ultima necessitas

exprimit? Næ vos male Anastasium noscitis! Statuite supplicium! si verba menti congruunt, patienter feret, quod meruit. *Hypatius.* Amici! parcite Patruo! Ego, quod meruit, luam.

SCENA QUINTA.

Accedit Oeniandus.

Oeniandus. QUid agitis viri? Vix per medios armatos inveni viam: vos duces estis? *Vitalianus.* Tu deeras actui, Pater, qui dignus est, ut spectatores Superos habeat. Tenetur tyrannus quinque lustrorum: exigimus pœnas, quas meruit, imo infra meritum omne. Vitæ parcimus: tonde in monachum! Hæc Christiana vindicta est. *Oeniandus.* Erratis, o boni! hanc Christus vindictam nolit! *Anastasius.* At ego, Pater, etiam graviorem non deprecor. Ulcifscere cœlum injurias illatas tuis! fulmina scelestum caput! Ex Anastasii supplicio tyranni discant, quid sit rebelli spiritu oppugnare Ecclesiam. *Justinus.* Attonitus sum! *Oeniandus.* Video prodigium gratiæ, quale in Saulo fecisti Christe, cum spirantem minas adversum tuos, lumine circumfuso prostrasti! *Justinianus.* Quid facimus? *Oeniandus.* Surge Auguste! & felix impera! *Anastasius.* Non impero! Cui mavis, impone coronam, Pater! qua quisque est dignior. *Oeniandus.* Imo tene imperium! Quem execrati sunt populi peccantem, venerentur in solio pœnitentem, & laudent Deum, qui indomabiles domat, & ex lapidibus filios Abrahæ facit. *Vitalianus.* Pater, Proceres, nihil credite verbis: hypocritam novi! Fer forficem puer! tondeatur! si vere est pœnitens, non erit invitus. *Oeniandus.* Siste Vitaliane, fides servanda est Deo, fides Principi: utrique jurastis. Hic vultus, hæ manus, hic habitus milites loquitur: Christianos non loquitur. Militum est pugnare: Christianorum fortiter pati, quæ fidei causa inferuntur, in-

jurias. Non defendo Anaſtaſium: Imperatorem defendo. Omnis poteſtas a Deo eſt, oportet vereri. Quodſi quis Regum poteſtate accepta abutitur, mediis, quæ noſtram ſanctitatem decent, corrigatur, non violentis, non crudelibus, non propriis barbarorum. Nunquam ſeditioſi motus felicem exitum habuerunt, etſi quandoque principium non videretur ſceleſtum fuiſſe. Alia remedia ſunt, quibus etiam tyranni ſanantur: aut ſi nulla proſunt, preces, preces faciendæ ſunt Deo, ut vel cor durum emolliat, vel hominem obſtinatum tollat e medio. Quid facimus, cum peſtis civitatem affligit? nempe ad Deum refugimus: oramus. Malus Princeps malum publicum eſt, peſtis eſt, qua Deus malos ſubditos punit. Placemus Deum, oremus, ut tollat. Quodſi & preces non audit Cœlum, patientia! ſignum habemus, velle Deum punire quorundam ſocordiam, aliorum probare conſtantiam. Huic vos Divino conſilio acquieſcere decet. Ponite arma! pacem facite! Chriſtus jubet. *Anaſtaſius*. Ah! quid pro impio peroras, Pater! *Vitalianus*. Viciſti Pater! Excuſa militarem ferociam! Credidi obſequium me Deo facere, ſi vindicarem Eccleſiam. Melius per te doctus, primus arma ad pedes Auguſti pono, quæ primus ſtrinxi! Ignoſce Cæſar! *Juſtinus*. Exemplum ſequimur. *Juſtinianus*. Peccatum eſt. *Ambo*. Ignoſce Cæſar! *Anaſtaſius*. Confundor pudore! Chriſte, quantum potes! Oeniande, coronam digniori impone. En nobilem victoriam, qua quisque imperium meruit. Ad pedes jacent, qui acceſſerant occiſuri. *Omnes*. Coronam tene! impera pius. *Anaſtaſius*. Surgite amici! mihi regnatum eſt ſatis. Melior imperet. *Omnes*. Non ſurgimus, donec recipias ſceptrum. *Oeniandus*. Recipe! & jam melior melius utere. Nos renovamus homagium, & fidem juramus. *Omnes*. Juramus. *Anaſtaſius*. Cogitis. Recipite arma! ſit mutua injuriarum oblivio. *Omnes*. Vive felix, impera pius! *Anaſtaſius*. Juro, deteſtor Eutychen, & quidquid hæreſin ſapit! Juro, recipio, & tuebor Chalcedonen-

ſem Synodum, cui quisquis ſe opponet, pro hoſte erit. Juro, quos in exilium Epiſcopos Catholicos expuli, revocabo, & ſuis ſedibus reddam. Juro, cum Eccleſia Romana, & ejus Pontifice perpetuam pacem colam. Quid exigitis amplius. *Oeniandus.* Ut opera verbis addas. *Anaſtaſius.* Obſidem, donec omnia exequar, Hypatium trado, quo nihil eſt in hac vita charius mihi. Veni Nepos! Vitaliano permitte te: tutorem habes. *Juſtinus.* Nihil obſide eſt opus, Cæſar! Imperet Hypatius, quod decreveras, tecum. Coronetur! *Anaſtaſius.* Reſpuit coronam puer ſapientior Patruo. *Juſtinianus.* Adde, quod deeſt gaudio diei hujus: in te vivunt ſpes noſtræ, Princeps! *Vitalianus.* Et florida virtus recreat. *Oeniandus.* Nihil delibera. Votum Patrui & Patriæ idem eſt. Annutum præbe. *Hypatius.* Tecum Auguſte, mutavi me! Accepto coronam, quam offers, ſed ab Oeniando, precor, imponi jube, non a Timotheo. *Oeniandus.* Ah! ut mihi de Timotheo dolorem renovas! Periit infelix, & (quis dubitet) ad pœnas abiit, quæ non habent finem. *Anaſtaſius.* Heu! quo nuntio me percellis? Timotheus jam mortem obiit? *Oeniandus.* Cum inferrem cubili pedem, ille animam cum gemitu expuit horrendum vociferans: perii! actum eſt! *Hypatius.* Funeſta mors! quid jam profuit Patriarcham fuiſſe! & ſcilicet mihi proderit fieri Cæſarem? *Juſtinus.* Proderit, ſi bonus fies. Timotheus, ut vixit, obiit; dignam ſceleribus mercedem habet. *Anaſtaſius.* Et quid me manet! Ah! Pater! prodromum video interitus mei! Ego indignum præfeci Eccleſiæ cum detrimento tot animarum. *Oeniandus.* Grave crimen! ſed tibi pœnitenti tempus Deus concedit, negatum Timotheo. Uti propera. *Juſtinianus.* At populus impatiens expectat reduces. Si per te licet, docemus factum, & reddimus omnes participes gaudii. *Vitalianus.* Gaudium magnum eſt! Timotheus periit! Anaſtaſius ſe mutavit! Hypatius eſt Imperator! *Hypatius.* Et Oeniandus Patriarcha. *Anaſtaſius.* Bonus delicias cumulat Deus. *Oeniandus.*

dus. De me alias. Nunc ſine dilatione ad opus, quod Deus expectat. *Anaſtaſius*. Tecum tranſigam. Vos, amici, nepotem producite populo datæ fidei teſtem: quietem urbi reddite: ludos adornate, quibus coronidem demum Oeniandus imponet, mecum ſuperveniens ad coronandum Nepotem.

SCENA SEXTA.

Marinus. Amantius.

Marinus. JAm vero perimus toti! Audiſti feralem clamorem: coronetur Hypatius! Miſeret me fratris, quem per te credebam ſucceſſurum Juſtino: magis me tui miſeret; quem ſpes omnis deſtituit obtinendi imperii. Infelix dies, quantum malorum acervum congregat! Timotheus periit! Anaſtaſius ſe mutavit, Hypatius eſt Imperator, & Oeniandus ſine dubio Patriarcha. Et quid nos? *Amantius*. Niſi aliquid facimus, nihil. *Marinus*. Quid faciemus? Ego ſum inops conſilii. *Amantius*. Expectamus Auguſtum, donec ad ludos prodeat. *Marinus*. Nempe ut ignaviam exprobret, qua deſeruimus periclitantem? Vah! Me pudet mei! *Amantius*. Ego, mi bone, ſi ſciviſſem, ſic pacifice tumultum finitum iri, non fugiſſem. Si occidiſſent Principem, quo fructu cecidiſſem cum ipſo? pro Principe cadere glorioſum eſt; cum Principe, quid habet laudis? *Marinus*. Tamen crimini fuga dabitur: excidimus gratia. *Amantius*. Eſt modus nos reſtituendi. *Marinus*. Quis ille? *Amantius*. Si in odium reiicimus Vitalianum, & ſocios. *Marinus*. Speras fieri poſſe? *Amantius*. Facile. Imperator in horas eſt varius, & affectibus indulgens ſuis, inter quos maxime imperant ambitio gloriæ, & præceps ira. Jam vidimus, quo illum ultima neceſſitas, & timor mortis adegerit: adgeniculari ſubditis, coronam deferre, ſupplicii ſe reum facere, deprecari flagitia

non erubuit miser. *Marinus.* Intelligo, quid velis. Dedecus exaggerare jubes, quo affecta majestas est. Enimvero divinum consilium! *Amantius.* Demonstrabimus, quam execrabilis audacia sit, Principem sic tumultuose invadi a subditis, & ad desperata consilia adigi. *Marinus.* Dicam, eum posthac non nisi precarium Imperatorem fore, cui exprobrare subditi quotidie possint, quod coronam non suis meritis, non sanguini, non legitimæ electioni, sed ipsorum misericordiæ debeat. *Amantius.* Dicam, eum se exposuisse risui, ac sannis scurrarum, qui, cum audituri sunt factum, absque dubio in compitis, & triviis inter cachinnos & sibilos gloriaturi sint, quantum viribus valeant, quippe Imperatori alias tam formidato formidabiles facti. *Marinus.* Dicam, infamiam æternam fore: dedecus lectum iri in historiis, exhibitum iri in theatris, pueris declamationum materiam fore. *Amantius.* Dicam, quanti referat Principis, læsi honoris illustrem vindictam capere! quam insolescat vulgus, quam crescat audacia, si vel semel triumphasse se videat! quam, si quid posthac imperaturus sit, semper timere debeat, ne vel ex cerdonibus quispiam insurgat in scelus, & sibi similes velut in tyrannum educat in aciem. Non jam Imperatorem, sed mancipium fore, certe nihil diversum a scenico Rege, cui, si pro vero se efferat, vestis detrahitur. *Marinus.* Dicam, exemplum eum dedisse nunquam visum, nunquam auditum. Reges exteros, & posteros indignaturos non tam protervitæ subjectorum ad tantum facimus progredientium, quam ignaviæ Imperatoris, facinus non ausi punire. Credituros, Anastasium aut extreme stupidum, aut misere timidum fuisse, qui vel dedecoris gravitatem non intellexerit, vel plectere tantam insolentiam non potuerit. *Amantius.* Ille vero quo vultu sic loquentes excipiet? *Marinus.* Expallebit iracundia. *Amantius.* Exardebit pudore. *Marinus.* Livebit odio. *Amantius.* Furet vindictæ cupidine. *Marinus.* Tremet horrore dedecoris. *Amantius.*

tius. Tabeſcet triſtitia. *Marinus.* Timore jactabitur. *Amantius.* Audacia efferveſcet. En progreditur. Nunc linguam arma.

SCENA SEPTIMA.

Anaſtaſius. Oeniandus. Marinus. Amantius.

Anaſtaſius. TAndem prorepſiſtis ex cavernis trepidi lepores! *Ambo.* Pudet, Auguſte, & agnoſcimus malum. *Marinus.* Sed inſolentia hominum omne conſilium abſtulit. *Amantius.* Nihil cogitare, niſi fugam potuimus. *Anaſtaſius.* Vides Epiſcope, quantum excuſes facinus! *Oeniandus.* Accuſo, Cæſar, ſed deprecor ultionem. *Anaſtaſius.* Surgite! ego, & vos offenſi ſumus. Vindicabimus probrum. *Ambo.* Jube in tela, & ignes ire. *Oeniandus.* Nihil obtineo? *Anaſtaſius.* Oras, quod fieri non poteſt. Memento, quo projecta majeſtas ſit: *Oeniandus.* Agnoviſti in ſubditis Dei manum! *Anaſtaſius.* Æterna infamia eſt, niſi ſanguine reorum eluo. *Oeniandus.* Pœnam condonaſti! *Anaſtaſius.* In horas novi motus timendi ſunt, niſi terrore frangatur audacia. *Marinus.* Sic eſt, Auguſte, vidimus curvantem coram ſubditis genu, & expavimus demiſſionem. *Amantius.* Vidimus corona & ſceptro ſe abdicantem, &.. *Anaſtaſius.* Silete dedecus meum. Certa eſt ſententia: vindicabo. Vos tum redituros in gratiam credite, ſi ultionem exequemini celerem & ferocem. *Ambo.* Impera modum. *Anaſtaſius.* Hic modus eſt: populus congregatur ad ludos: Hypatius ad coronam paratur. Vos a Vitaliano, Juſtino, & Juſtiniano recipite milites, quibus præſunt: ipſos jubete ex meo imperio proximos in corona procerum Hypatio ſtare. Amanti, tu donationem ducibus ex ærario fac: tu Marine, promiſſa militibus. Tum in medio ludo in turbam irruite, & quotquot poteſtis, mactate. Acerba eſt medicina, ſed neceſſaria malo. *Ambo.*

In-

Intelleximus totum. *Oeniandus*. Vah! Crudelem sententiam! Ergo innoxii cum noxiis luent? *Anastasius*. Duces Rebellium (Vitalianum, Justinum, ac Justinianum intelligo) cum custodia ad me perducite. *Ambo*. bene. *Oeniandus*. Ego te, Princeps, ex manibus tumultuantium rapui: non merui gratiam, ut deprecanti pro reis veniam concedas, cum tanta pompa promissam? *Anastasius*. Gratus sum, qui te hic studiose retinui, ne in periculum cædis venires. *Oeniandus*. Hoc nempe est ludere. *Anastasius*. Cave, ex aula abeas. Custodiam ad portas monete, ne quis exire Episcopum sinat. *Oeniandus*. Heu me! Deceptus sum! Hypocritæ credidi, & optimos viros tyranno tradidi. Superi! Qui hominibus fidem datam non servat, nec vobis servabit. Prospicio redeuntem procellam! Perfidum, perjurum Cæsarem habemus: non Eutychen detestaris, non synodum revereris, non revocabis Episcopos, non pacem cum Pontifice coles! *Anastasius*. Nihil deciperis. Juravi coactus: mens jurandi non fuit. Eutychen tueor, synodum nihil curo, Episcopi in Exilio peribunt: Papa non habet, quod jubeat: nos imperare volumus, imperari non volumus. Hæc justa vindicta est in rebelles Pontificios. *Oeniandus*. Et nihil jam de ferali somnio cogitas, miser! *Anastasius*. Disparuit. Vos me securum facitis. *Ambo*. Facimus. *Oeniandus*. Et nihil movet funesta Timothei mors. *Anastasius*. Abi canis! *Oeniandus*. Abeo, & oro Deum, ut faciat finem malis. Fulminatrix, si nescis, virtus in precibus est: ascendunt, & pro bonis densantur in pluvias, pro malis in grandinem, ac tempestates. *Anastasius*. Minare popa! Minare pueris hæc bruta fulmina! Virum non terres. *Oeniandus*. Non sunt bruta. Senties sero nimis, quid vota servorum valeant apud optimum Dominum. Diu passus est furere Pharaonem: denique precibus, exoratus Ægyptum totam submersit. *Anastasius*. Pharaoni me comparas? *Oeniandus*. Pharaonem loquitur superba vox: nos impe-

imperare volumus, imperari non volumus! velut dixisses: nescio Dominum! Atqui vivit Dominus, in cujus conspectu sto, & ego orabo, ut te auferat de terra cito, ut fias in proverbium omnibus gentibus, & trepident omnes Principes, cum audierint de te. Tabescere me facit zelus meus! & indignatione deficio. *Anastasius*. Ego tibi linguam ex faucibus rapiam, ut orare non possis. *Oeniandus*. Infelix! Cor orat, etiam cum silet lingua. *Anastasius*. Cor eruam! *Oeniandus*. Sanguis clamat in cœlum. *Marinus*. Pro! quanta est patientia Princeps! *Anastasius*. Quiesce placidus, Oeniande! jam nihil efficis. Stat experiri, num sis Propheta. *Oeniandus*. Miseret me! Orare timeo, quia timeo exaudiri: & tamen orare cogor, quia cogor juvare. Experieris fatue! Experieris, quam verum sit illud: Deus non irridetur! At vos ministri scelerum, rapite, quo jussi estis. En præcedo. Quod facitis, cito facite, ut cito impleat mensuram scelerum scelestus Dominus, quem præ Domino Dominorum timetis. Et tu Amanti! Nonne Justino finxisti amicum te? Nunc carnifex eris? *Amantius*. Sum, quod jubeor. *Oeniandus*. Utinam sis, quem jubet te Deus esse! Perfidiam lues. *Marinus*. Ut ardet popa! *Amantius*. Ardeat, non accendet, nisi nos applicemus. Macte! in nostras spes! *Marinus*. Quod felix faustumque sit nobis, hodie multo sanguine pluet! Imber fœcundus erit.

CHORUS II.

Repentinus interitus Animæ obstinatæ. In illa verba: *In una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburentur.* Apoc. 18.

Personæ. Nemesis. Pseudo-Prophetæ in tortores mutati. Joci in præficas. Quatuor Elementa per turmas. *

Nemesis. ** Ad arma! Ad arma! Nunquid semper tacebo? Pugnet mecum orbis terrarum! Ad arma! Ad arma!

ARIOSE.

Dormi! Dormi!
Quæ signat vitæ tempora,
Effluxit nondum Clepsidra:
Sed jam mensura scelerum
Impleta est: supplicium
Non ultra differetur:
Hac hora exigetur.
Dormi! Dormi!

Nemesis. Vos probroso famulatu liberi
Servite posthac Nemesi. Ad arma! Ad arma!
Eja! Quis exequetur, quod statui?

* Theatrum exhibet urbem Babylonem obsessam a quatuor Elementis.
** Ex nubibus descendens ad dormientem in munimentis.

CHO-

CHORUS.

Terra. Ego vadam, abſorbebo!
Aqua. Ego vadam, & delebo!
Aër. Ego vadam, & difflabo!
Ignis. Ego vadam, & cremabo!
Omnes. Ad quæcunque vis tormenta
Prompta habes elementa;
Omnia ſupplicia
Meretrix eſt merita.

Babylon. Heu me! Quid audio? Quid video? Quo fugio?
Amici! Amici! Portas claudite, muros defendite!
Nemeſis. Fruſtra es: nulli jam ſunt amici.
Babylon. Vigilone, an adhuc ſomnio?
Nemeſis. Ecce, nondum evigilavit ſerio.
Infelix ſomniaſti falſa gaudia:
Vera jam ſenties, & acerba ſupplicia.
Claude portas! Oppone mœnia.
Nemeſi nulla via eſt invia.

ARIA.

NOn videor videre,
Et tamen video:
Credor connivere,
Sed non conniveo.

Nullum eſt ſcelus a pœna immune:
Nemo me unquam offendit impune:
Aſcende in Cœlum, & adſum!
Deſcende in Orcum, & adſum!
Transnaviga mare, & adſum!

Serius aut citius
Feriet hic gladius:
Si quæris ex me: quando?
Ajo: aliquando.
Vos jam audite ſententiam:
Quam exequemini contra Babyloniam;
Hac hora *venient plagæ ejus*,
Mors, & luctus, & fames,
Et igne comburetur! Ad arma!
Vallo circumdate, coanguſtate undique!
Nec lapidem ſuper lapidem relinquite!

ARIOSE.

Terra muros ſuccute!
Ignis tecta corripe!
Aër, aqua vigilate!
Fugientes ſuffocate!
Scortum mihi ſiſtite.

Chorus oppugnantium.

Concordibus votis
Et viribus totis
Ulciſcimur Divam offenſam!
Qui Nemeſin habent infenſã!
Infenſos habebunt & nos.
Inutilis metus:
Jam ſerus eſt fletus,
Cum placuit vobis ridere,
Licebat utiliter flere:
Nunc ſcelera opprimunt vos!

Chorus fugientium.

Væ illa magna Civitas! *Apoc. 18.*
Væ illa fortis Civitas!
Una hora deſolata!
Flamis data, deformata!
Væ! Væ Babylonia!
O quæ cavernæ montium
Dant miſeris refugium?
Ah! qua via evademus?
Preces, preces geminemus:
Parce, o Juſtitia! *

Pſeudo-

* Mœnia evertuntur, Meretrix capta rapitur ad rogum, & crematur.

Pseudo-Propheta. Captivam huc trahimus, Diva!
Babylon. Proditor! proditor!

DUETTO.

Babylon. Sic me decepisti! — *Pseudo-propheta.* Quare credidisti?
Nonne omnem fauſtitatem
Et longævam sanitatem
Audax promisisti? — *Pseudo-propheta.* Quare credidisti?
Nonne verum a Chaldæis
Falsum dici a Hebræis
Perfide dixisti? — *Pseudo-propheta.* Quare credidisti?
Non in cœlo te vidisse,
Non in stellis hæc legisse
Mendax crepuisti? — *Pseudo-propheta.* Quare credidisti?
Diva mei miserere,
Quam tam fœde decepêre
Blaterones isti. — *Pseudo-propheta.* Quare credidisti?

Nemesis. Tandem video trepidantem,
Quæ toties risit minantem.
Nihil agis. Per quæ quis peccat, per hæc & puniatur.
Abripite, spoliate, cremate!
Rogum dabunt rudera,
In quæ conciderunt scelerum instrumenta.*

ARIA.

HUc oculis, huc animis
Adeste obstinati!
Quis denique, perpendite!
Quis finis sit peccati.

* Fit rogus.

Quo pes est lentior,
Hoc manus gravior.
Qua non putatis, hora,
Repente, sine mora
Bis acuto gladio
Armata advolo:
Ictus unus duos ferit:
Anima & corpus perit.
Cunctantem etiam
Timete patientiam.

Babylon. Ergo non misereberis amplius?*
Nemesis. Non misereor. *Quantum in deliciis fuit,*
Tantum illi date tormentum, & luctum!

CHORUS.

Urere misera!
Nunquam comburenda!
Lue flagitia!
Nunquam eluenda!
Qui sapit, ex tuo supplicio discat,
Tempori sapere,
Crimina plangere,
Priusquam sub pedibus terra dehiscat.



* Babylon comburitur.

PARS



PARS III.

ANASTASIUS PUNITUS.

SCENA PRIMA.

Hypatius. Oeniandus. *

Oeniandus. ORavi: & nisi me vehementer animus fallit, auditus sum. Væ tibi Anastasi! coire nubes vidi, quæ fulmen excoquunt... ** Intonas magne Deus? .. O murmur grave! . Audite impii! ita Majestas loquitur etiam illis terribilis, qui negant Deum. Quanquam hæc miserentis est lingua, non punientis. Minatur, ut parcat. Utinam intelligeretis! . Sed nimirum juvat aures occludere, juvat minas contemnere, ne obturbent libidini! . O fatuum! nam qui spernis, nonne & ipse sperneris? Deum non audis: nec Deus te audiet: clamabis surdo, & cum infelice Antiocho deprecaberis Dominum, a quo misericordiam consecuturus non es. O Luctus! o dolor meus! Ergo peribis Anastasi! Poteras ingenii gloria, prudentiæ laude, fortitudine animi, potentiæ terrore, indolis comitate, scientiarum cultu, virtutum politicarum omnium possessione esse maximis Principibus major, esse Superis & hominibus charus, esse in utroque sæculo felix: una hæresis corrumpit tot decora! unum vitium abominabilem cœlis & terris, unum infelicem facit in tempore, & æternitate! Hem immanem stultitiam! . Ah! quantum indignor sceleri, tantum miseret miserrimi Principis! Miserescite boni Cœlites, & tandem cor durum mollite! Obstinavit

* Exhibetur aula, & thronus, & pegma ad supplicium reorum.
** Successive tempestas ingruit.

navit se fatuus, ne retractet errorem: & errat semper, ne videatur semel errasse! ita se famæ, ita gloriæ consulere credit! O fatuum! o insanum! Urgebam toties, ut vellet mentem saniorem admittere: & sentiebat se urgeri a te, mi Deus! resiliit semper, & nunc me demum a se ejecit cum sarcasmo: *Scilicet Oeniande, hanc gloriam quæris, ut dicatur de te, quod Anastasium converteris! non habebis. Convertar, cum ego volam, non quando tu.* O fatuum! o insanum! Nam quis ego sum, ut mihi potestatem in cor humanum arrogem? In tua manu, Domine, in tua manu sunt corda Regum! Utinam cerea, utinam saltem tractabilia sint! *Hypatius.* Ah! Pater! quantum malum nuntio! Scilicet per aggesta cadavera in solium evehar! *Oeniandus.* Non feris inscium. Clades facta est: nunquid? *Hypatius.* Clades immanis inter medios ludos, furente milite in inermes, nullo discrimine. Ego quid tanta sævities velit, non intelligo! Subduxi me fuga cum Justiniano, quem continuo Marinus a latere abstraxit in vincula. Ominor omnibus Catholicis necem. Subtrahimus nos furori, Pater! mecum fuge! *Oeniandus.* Imo tu pugna mecum. Quanto est sceleratior Anastasius, tanto est propinquior suo exitio: ne deseramus! Audis Tonantis vocem? *Hypatius.* Assuevit audire. Nisi fortius tonet, non terret. *Oeniandus.* Insinuat se suaviter Orator Deus in exordio colloquii sui! Væ auditori, quem non habet benevolum! Quem non movet oratio, peroratio conteret. Ingredere mecum: verba nostra jungamus voci Numinis: forte habebunt pondus. Quamdiu vivimus, desperandum est de nemine.

SCENA SECUNDA.

Anastasius. Oeniandus. Hypatius.

Hypatius. SUperi! quale se theatrum objicit? Auguste Patrue! hæc pompa paratur mihi? Sic agis diem festam

hære-

hæredi coronæ ſacram? Ferale omen! portentum grave! Multa hominum millia cæſa ſunt: ludus in tragœdiam deſiit: in obvium quemque furit miles: ubiquè gemitus morientium, aut cœſos lugentium, planctus ſonant: mœrore & metu civitas ſquallet: ipſe vix evaſi cædem, inter tumultuantium fremitus ægre ad te elapſus, quem neſcio, Patrem compellem, an judicem! Ah! per dulce fratris nomen, qui te oravit moriens, ut pro filio pupillum ſuſciperes, obteſtor Patrue, quid tantum in te peccavi, ut ſic illudas miſero? Hoccine eſt Imperatorem dicere? hic apparatus decet? *Anaſtaſius.* Hic decet. Surge Nepos! & imperantis ferociam indue. Iſte ſtat tibi thronus! in hunc aſcendes hodie: ex hoc primum fulmen in Vitalianum, Juſtinum, & Juſtinianum dejicies, ac Majeſtatis reos lictori trades. Hic actus primus decet. *Hypatius.* Amicos damnare, hic actus decet? Parce, Imperator, coronam deprecor! nolo purpuram, quam fœdat innoxius ſanguis! *Anaſtaſius.* Amicos, puer, innoxios vocas, quos Anaſtaſius damnat? *Hypatius.* Quos venia donaſti, quos in amicitiam recepiſti innoxios, amicos voco! *Oeniandus.* Generoſe Princeps! Diſſimulat Patruus crimen verum. Proceres Catholici ſunt: hoc ſcelus condonatum non eſt. *Hypatius.* Hoc ſcelus mihi & tibi commune eſt. Paulum ante, Patrue, juraſti fidem, damnaſti Eutychem, Chalcedonenſem Synodum probaſti, revocare Epiſcopos, revereri Pontificem promiſiſti: te ipſum damnas? hæc inconſtantia decet? *Anaſtaſius.* Blatero! tu me doceas? a præceptore didiciſti audaciam!. Exautoratum, Oeniande, jam nunc te ſcias. Male functus es Moderatoris officio, quo te honoravi! Volebam promovere te, volebam ditare: obſtitiſti fortunæ tuæ, & meæ benevolentiæ. Abi! quod non addam: in exilium! hoc gratiæ debes. Abi. *Oeniandus.* Attigit ſummum verticem ſæva crudelitas! *Hypatius.* Ah! Oeniande! *Oeniandus.* Vale Princeps! *Anaſtaſius.* Abi! * *Oeniandus.*

* Tonat.

andus. Audis Imperator, quod sit super te aliquis, qui metuendus est tibi? *Anastasius*. Hac hora peribunt, qui metuendi sunt mihi. Nepos, ama Patruum, qui amat te! Quod factum est, fieri necesse fuit, ut meo honori, & tuæ securitati consulerem. Metuant te, quibus imperas, ne imperent tibi. Felicibus auspiciis coronatur, cui pro acclamationibus suspiria subditorum, & fletus pro plausibus sunt. *Hypatius*. Parce, Patrue, imperium nolo, quod triste obedientibus sit. *Anastasius*. Imperare non vis? ergo obedies imperanti. Triste an lætum imperium sit, perinde est: obedies. Ex hoc solio damnabis rebelles Proceres: ego impero. Obedies? *Hypatius*. Justa impera!

SCENA TERTIA.

Personæ omnes præter Oeniandum. Milites.

Amantius. AUguste, imperium implevimus tuum. Trepidat Majestatem tota civitas! secure imperabis, quod voles. Plus quam trium millium sanguine vindicavimus excitatum tumultum: Auctores in vinculis Marinus trahit. En intrat. *Anastasius*. Hoc me spectaculum recreat! hoc juvat, & decet Nepos. *Marinus*. Vive Auguste, & impera felix! *Omnes*. Vive! * *Marinus*. Sisto scelestam triadem: & militem exhibeo cruore perduellium nobilem! *Anastasius*. Fida cohors! laudo solertiam: præmium te dignum feres! *Omnes*. Vive Auguste, & impera felix! *Anastasius*. At vos homines bardi ac stolidi! credere potuistis, immane facinus vobis impune fore? *Hypatius*. Prô aspectum feralem! *Anastasius*. Submittitis tandem rebelle caput, & agnoscitis Dominum, quem sprevistis? Ubi nunc est ille animus ferox, quo insultastis? ubi audax protervia, qua irruistis? ubi atroces minæ? scilicet jam in monachum totondistis Anastasium? At ego faciam, perditi, ut vos ita tondeat carnifex,

* Tonat.

fex, ut nec pilus boni viri in quoquam superfit. Eja! jam cape sceptrum Vitaliane! impone coronam Justino tuo! Vecors! Tibi amicus præ Cæsare sit! cui jurasti fidem? Justino, an mihi, perfide! en hoc amico solium erexisti: in hoc pegma evehes. Justine, gratias amori debes! exulta! plaude! Primus a consiliis Justinianus stabit individuus comes scelerum. Duumviri nobiles! Imperatori trunco servietis pro manibus, dextram Vitalianus, finistram Justinianus efficiet; ita invictus bello, pace beatus eris. Bella consilia! Adora prudentiam orbis, & gratulare fortunam tibi, quanta est, a sapientissimo regi! Subulce, tu affectare imperium ausis? Credidisti artem eandem esse, porcos & homines regere? *Justinianus.* Quousque insultas miseris? Duci jube! *Justinus.* Imo loqui sine: morituri loquemur verum. *Anastasius.* Scilicet convitia audiam? audiam. Eja omne venenum vomite! Amici! testes impudentiæ este: neque enim quidquam loquentur pacifice, qui scelus amant. Vides, Nepos, quos ames tu? num fatentur culpam? num deprecantur? num dolent saltem? imo nunc, credo, etiam defendent. Audiamus! *Vitalianus.* Verba perdit, qui coram tyranno loquitur. *Anastasius.* Latrat canis. *Vitalianus.* Quidquid dicturi sumus, occidemur: sic enim decretum est. Ego a te deprecor nihil. Vos, amici, oro, Vitaliano ignoscite! in hanc calamitatem ego conjeci vos: erratum est graviter! sed ex tyranni mandato erratum est; ille jussit allicere ad facinus, quod nunc damnat. Ah! nimis obediens fui! non obedissem, periissem solus: vos extra periculum cernerem. Nunc ex hac una causa luctuosa est mors, quod vobiscum communis. * O ut possim pro tribus mori. *Justinus.* Cessa gemitus indignos viro! Culpa, in quam nos pertraxisti, condonata est omnis: audivimus bona verba, gestus amabiles vidimus, juramenta percepimus. Novi nihil peccatum est; vetus est culpa, & omnium eadem; Catholici sumus!, culpa felix!

E e 2

* Tonat vehementius.

lix! gaudete viri! Nemo poteſt glorioſius mori: Ego a porcis ad militiam tranſii: ignobilis ortus fuit, non tamen ignobilis vita. Meis meritis, non Majorum beneficio, non patronorum favori, non pecuniæ, non malis artibus debeo, quidquid ſum: neque in gradum, quem teneo, ſaltu perveni, ſed paſſu, ſemper Imperatori fidelis, ſemper ſtudioſus boni publici, ſemper magnorum facinorum avidus cum contemptu periculorm. Itaque ſic vixi, ut vixiſſe non pudeat. Accedit jam vitæ laudabili mors glorioſa! beata ſors! Debeo tibi, Imperator, pro pluribus beneficiis gratias: pro hoc ultimo omnem gratitudinem debeo. Quid rependam? Sanguinem, ſanguinem, quem pro te toties in acie fudi, nunc omnem Numini pro te offeram, ut emolliat durum cor, & avertat interitum, quem eſt minatus! *Anaſtaſius.* Doloſe Sinon! *Juſtinianus.* Nihil metue dolos. Mens bona eſt nobis, qualem & tibi optamus. Heu! quid juvat, falſum ſcelus prætendere, ut innoxios damnes! Scilicet decipies Judicem Deum, qui tibi cor & renes ſcrutatur! ſemper hypocritam ſuæ artes decipiunt. Intentatas cœlitus minas cupis evadere: ſapienter. Ideo mori nos jubes, velut a nobis impenderet tibi vitæ periculum: inanis eſt ſpes! Occideris nos: nunquid & aliorum ferro ac inſidiis pates? Scilicet in immani clade, qua hodie affectus eſt populus, ceciderunt omnes, quotquot oderunt te? non puto: quin ita exiſtimo, multo ex cæſorum ſanguine plures eſſe naſcituros, qui te averſentur, quam erant heri. Sed demus, perculſos metu omnes, jam nihil in te auſuros atrocius, nunquid etiam Deum percuſſiſti? Eluſi oraculum! O ſpes inanis! quidquid creavit Deus, armare poteſt in tuam necem. Ecce fulgetrum micat! geminantur tonitrua! * Quod fulmen non prorņat, tu, credo, prohibes? Quam celeri morte tuus Timotheus periit! Ejuſdem ſceleris reus es: nec idem ſupplicium times? Viden', ut nihil de

* Tonat iterum.

de nobis solliciti, anxii pro tua salute simus, cujus tu adeo incurius es. Liberos, scio, liberos hoc momento diceres, si adhærere hæresi, si Ecclesiæ Romanæ refragari vellemus. Sed tanti vitam non emimus. Anathema Eutychi! Synodo Chalcedonensi juramus! Catholici morimur! *Vitalianus & Justinus.* * Anathema! &c. &c. *Justinus.* Lictor, obnube caput, ad palum alliga! Vale Hypati Princeps! Et cave Patrui exemplum sequi. *Vitalianus, & Justinus.* Vale, & impera pius! *Anastasius.* Obstinati! . Videtis, ut nemo excusaverit crimen! Deprecatus sit nemo! Quid vobis videtur? *Amantius. Marinus.* Rei sunt mortis. *Hypatius.* Quid? Num isti sunt judices? Paulo ante me nominasti, ut sententiam dicerem in contumaces. *Anastasius.* Acceptas demum? *Hypatius.* Irascor, fuisse lentum. *Anastasius.* Sic places. Tribunal scande, & pœnam pronuntia.. ** Vah! quo ruis, puer? *Hypatius.* Ejusdem amici vobiscum criminis reus sum! Auguste, Catholicus sum! mortis me ipsum damno! O chara capita! *Anastasius.* Insulse, effrons, proterve puer! . Lictor ferrum in reos expedi! Vos abripite puerum! *Hypatius.* Non ego impero? *Anastasius.* Ego spectaculo ex alto fruar. *Vitalianus. Justinus. Justinianus.* Anathema Eutychi! Catholici morimur. *Hypatius.* Vobiscum moriar! *Omnes.* *** Pro fragor horridus! *Marinus.* Sonus, Auguste, vicinam signat labem. Exploro Regiam: miles mecum. *Anastasius.* Lictor! absolve officium! *Vitalianus. Justinus. Justinianus.* Ultor se monstrat Deus! *Omnes.* Heu solium corruit! *Anastasius.* Vah! *Hypatius.* Auguste! *Omnes.* Fugite! Perimus omnes. *Anastasius.* Ignavi! *Hypatius.* Fuge! Aula flammis sulphureis crepat! Viden', qui surgant globi? *Anastasius.* Cœlum ferox!

* Tonat iterum.

** In pegma procurrit.

*** Primum feritur Regia, tum fulmine thronus sternitur.

SCENA QUARTA.

Anastasius. Vitalianus. Justinus. Justinianus. Oenianдus. Amantius.

Vitalianus. Coelum pro nobis pugnat. Actus terrore in fugam lictor fugæ dat nobis locum. *Justinus.* Quam prope a palma absui! *Justinianus.* Nondum Cœlo maturi sumus. Solve vincula! *Vitalianus.* Este liberi. *Justinus.* Tempestas horrida! *Justinianus.* Hem jacet superbi fastus cruenta sedes! *Vitalianus.* Jaceat! Curemus nos. Quid est agendum? *Justinus.* Fugam suadeo. Nemo observat nos. *Justinianus.* Consilium timidum. *Justinus.* At prudens. Ecclesiæ vita nostra prodesse potest: ut fortiter reddenda, cum necessitas poscit, ita non profundenda, cum Deus non urget. *Justinianus.* Ego expecto finem. Nam aut sternet tyrannum fulmen, aut terror expugnabit ferociam. Si peribit, præsentia nostra est opus Hypatio contra affectantes imperium: si metu fit melior, nihil opus est fuga. **Vitalianus.* Ego vero terroribus a cœlo incussis terrores esse addendos a nobis puto, & adigendum hominem, ut se imperio, uti statuit, reipsa abdicet. Aliter non erit quies. *Anastasius.* Pro sævitiem poli! furit per omne palatium flamma, & totam Regiam vorat. Juvate proceres! *Vitalianus.* Hem! Bona verba! Tonare cessas, dum tonat cœlum! Cum detonuerit, redibis ad ingenium: clamabis: lictor, obnube caput! Secures expedi! Disce, vereri subditos. Nemo ita abjectus est, ut non aliquando utilis esse etiam summis possit. *Anastasius.* Parce insultare Principi tuo. Satis miser est, quem Deus odit. ** Heu! Quo me recondo? Insequitur ultrix ubique flamma! *Justinus.* Vitaliane, vincamus

* Tonat. ** Tonat iterum.

mus in bono malum. Sentit iratum Deum: initium salutis habet. *Justinianus.* Recenti clade offensi cives non nisi per nos impellentur, ut conferant operam ad restinguendum incendium. Eo, urgeo. *Vitalianus.* Movetis exemplo. Sequor te. *Justinus.* Ego Anastasium, qua possum, juvo. *Amantius.* Justine, non vidisti hac Augustum ire? *Justinus.* Egregius custos es. *Anastasius.* Nec hic est quies. *Amantius.* Auguste, fuge! Nec civi, nec militi, nec igni fide! Turbantur omnia. *Anastasius.* Quo fugiam! *Amantius.* In cryptam descende, quam Proclus condidit. * *Anastasius.* Vah! Fulgor efferus! Cessa terrere miserum, aut tandem fieri! *Amantius.* Descende cito. Securus lates! Apponam custodes loco. *Anastasius.* Justinus prodet! *Justinus.* Cæsar! Ego custodiam, juro! Ab hominum furore securus es, dum ego vivo: de ira Dei non habeo vadem. *Oeniandus.* Occursus felix! Adhuc vivere Justinum video. Nempe sentit Princeps, quid possit Deus. *Justinus.* Videt, audit, palpat. * Hic latet in Procli specu: Proclus pro Deo est: Hujus confidit arti, velut non etiam petras fulmen scindat. *Oeniandus.* Vidi ardentem Regiam, unde ejecit me! forte nunc felix redeo, & capiet consilium sanum, cum vexatio dat intellectum. **Sine, ut ad ipsum descendam. *Justinus.* Ipse prodit.

SCENA QUINTA.

Oeniandus. Justinus. Anastasius.

Anastasius. NUllibi me tutum video. Oeniande! Ah! Oeniande! O quis Oeniandum ad me! *Oeniandus.* Ecce adsum. Quid me postulas? *Anastasius.* O quis te bonus genius reduxit mihi! Consilium præbe: nunc audiam. Pavor, timor,

* Tonat. ** Tonat iterum.

timor, tremor mentem flagellant undique: undique occurrit scelerum imago torva, & animum laniat: memoriam ferale somnium, oculos umbra infelicis Timothei, aures cruciat sanguis civium, cujus clamori respondet exitium intonans Deus. Qua condam caput latebra? Ubi securus furoris traham elumbem spiritum? *Oeniandus.* Erratum est, Auguste! Tu qua evadas, pœnam, es anxius, & de culpa non cogitas. Non quomodo effugere, sed quomodo placare possis iratum Numen, expendi debet. * *Anastasius.* O aurium tormentum grave!. Recordor, Oeniande, recordor nunc, quæ mala fecerim in Ecclesia! Justum est, agnosco nunc, justum est, subditum esse Deo, & Dei Vicario, & mortalem non paria Deo sentire. Quidquid imperas, faciam. *Oeniandus.* Lunato Deum adora genu! *Anastasius.* Adoro, & pectus contritum plango. Aufer Justine, hoc capitis decus! Tolle purpuram! Alius decet habitus reum. Quæ tu tulisti vincula, ego merui! *Oeniandus.* Sic places, Princeps! *Anastasius.* Cessa superbum nomen! Mancipium voca. Quid adhuc imperas? *Oeniandus.* Retracta scelera! *Anastasius.* Detestor, execror! Parce fatenti Deus! *Oeniandus.* Deprecare prostrata facie, & in flagella paratum offer! *Anastasius.* Flens deprecor! Heu! Quam vitam vixi! Merui, Deus, merui, quidquid suppliciorum aut mundus, aut orcus habet! Sed parce dolenti de commissis, & tuam justitiam trementi: misericordiam, misericordiam suppliciter exoranti! *Oeniandus.* Meliora promitte. *Anastasius.* Hodie me regno abdico, ejuro Eutychem, Papam revereor, satis faciam læsis, scandala corrigam, reliquos vitæ dies privatus & pœnitens in orationibus, jejuniis, & vigiliis agam.**

* Tonat. ** Tonat iterum.

SCE-

SCENA SEXTA.


Accedunt Hypatius. Marinus. Amantius.

Hypatius. O parce Numen! . Quem video? O perge Patrue, instare precibus! Adhuc gravidæ nubes volant, & minis fœtæ. Oeniande, ut animum abjectum erigit aspectus tuus. *Anastasius.* Nondum, ais, detumuit furor! *Hypatius.* Nondum Princeps! *Oeniandus.* Jungamus preces! Urgere vota nos Deus vult! *Omnes.* Misericordiæ memento Deus! & supplici popello parce; *Marinus.* Quid facitis simplices! Heu! Nihil est præsidii in precibus, Princeps! In fuga salus! *Amantius.* Fuge, Auguste, ignis proximum cubile jam vorat: vagatur late! Nullæ vires restinguendo sunt pares. * *Anastasius.* Me miserum! ... Tona, tona superbum, atrox, crudele Numen! Fure furorem contumax, quem gaudes furere. Me inanis pœnitentiæ pœnitet! Nam quousque irridebis Imperatorem jacentem ad pedes tibi? *Oeniandus.* Bone Deus! iterum Anastasius loquitur. *Hypatius.* O vocem diram! *Justinus.* O gravem blasphemiam! *Oeniandus.* Deum provocas amens clamore tam barbaro? *Anastasius.* Nempe quia obsurduit mihi. Quid? Non quidquid jusseras, dixi? feci? Et plus quam jusseras? Num movit efferum tanta submissio tanti Principis? *Hypatius.* Per quidquid est sanctum, Patrue, reverentius de Deo loquere! *Anastasius.* Pudet timuisse! Feriat, si vult ferire, & rabiem saturet! *Oeniandus.* Impatiens moræ se Hypocrisis prodit. Auguste, tibi grave est Deo accidere, & non audiri! Ego tibi accido supplex! Num me audies? *Anastasius.* Scilicet iterum ut supplicem, imperabis? Non supplico. *Oeniandus.* Pessime falleris, si credis, Deum ut homines falli, & simulata

poe-

* Tonat vehementius.


pœnitentia placari posse. *Anastasius.* Quid? Fune circumdatum, nudum purpura, prostratum in faciem, palam confitentem, cum lacrymis detestantem flagitia, jurantem meliora, talem tu dices pœnitentiam simulare? *Oeniandus.* Simulat sane, nisi paratus ad pœnam sit, quamcunque Deus inferat. Pœnitentis serio, hoc esse votum debet: *Deprecor pœnam! Quodsi deprecantem nolit audire Deus, subibo pœnam lubens, ut satis fiat culpæ.* Quid? Hæc tua mens fuit? Prodidisti te per has blasphemias, non sine tacita conditione te peccata retractasse: dixisse: pœnitet peccasse! retracto o Deus, *si tu pœnam non infers, quam merui!* Vah! Quis es tu, ut conditiones pacis præscribere Deo velis? *Anastasius.* Non intelligo te! Sed quod dedeceat Deum tam inhumana durities, hoc intelligo.. *Omnes.* * Prô! horribile tonitru! *Hypatius. Oeniandus. Justinus.* Retracta blasphemiam Princeps, supplex accide! *Anastasius.* Stantem feriat! . Perii! *Amantius. Marinus.* Heu! Heu! *Hypatius. Oeniandus. Justinus.* O misericors Deus! . . *Oeniandus.* O Deus juste!



* Fulminatur.

JERO-

JEROBOAM
TRAGOEDIA
DATÁ
LUDIS AUTUMNALIBUS
ANNO MDCCXXXV.

ARGUMENTUM.

DEus sceleribus Salomonis offensus Jeroboamum decem tribuum, quæ eodem sic ordinante, a Roboamo Salomonis filio defecerant, Regem, atque adeo regni Israelitici Fundatorem constituerat, beneficium perenne fore pollicitus, nisi esset ingratus. At ille (ut meticulosa ambitio est) ne templi Hierosolymitani amore tracti subditi, deserto se, ad Roboamum reverterentur, veritus, idolosatriam regno invexit, vitulos aureos pro Diis proponens, consilio stolidissime politico. Nam *idcirco induxit Dominus mala super domum Jeroboam*, & omnem familiam extinxit. 3. Reg. 14. & 2. Paralip. 13.

NB. NB. De Jeroboami morte dicit scriptura: *Percussit eum Dominus, & mortuus est*, haud dubie, ajunt interpretes, morte violenta per aliquem Justitiæ divinæ ministrum, sive dæmonem, sive Angelum, sive hominem.

2. Nos hic utimur synchronismo, & tempora distincta conjungimus. Nam familiæ totius extirpatio primum duobus annis post mortem Jeroboami contigit per Baasam præfectum militiæ, postea Regi Syriæ confœderatum.

3. Hæc omnia contigerunt, cum in Judæa regnaret Asa, Rex pacis studiosus, & veræ Religionis instaurator in regno suo.

4. Cum filius Jeroboami mortuus sit paulo ante Patrem (ille, qui solus honore sepulchri gavisus est ex fratribus suis) merito credimus, adhuc sub mortem Jeroboami vixisse Ahiam Prophetam, qui hæc omnia illi prædixerat, cum ab uxore ejus de morbo dicti filii (Abiam vocabatur) interrogaretur.

PER-

PERSONÆ.

Abias Propheta.
Jeroboam Rex
Baaſa Præfectus Militiæ.
Nadab, } *Filii Jeroboami.*
Salmon,
Eſron,
Ephrem, } *Fratres Jeroboami.*
Eliphaz,
Nepotes Jeroboami.
Manaſſes a Cubiculis.
Zara familiaris Baaſæ.
Aram Legatus Regis Aſæ.
Ibrahim Legatus Regis Syriæ.
Sadoch a Secretis Legato Aramo.
Tribunus Militum.



PROLOGUS.

Jeroboamicæ Familiæ interitus, & ejus cauſa Symbolice exhibetur.

* PERSONÆ.

Genius Jeroboami. Religio. Ratio ſtatus. Chorus Ephebórum.

** *Genius Jeroboami.* Bene eſt, ſtat arbor firma radice!
Religio Creſcat, & floreat!
Ratio ſtatus. In multa ſæcula ramos exporrigat!

Ff 3 CHO-

* *Theatrum exhibet hortum, cujus portæ ſunt Tabulæ Decalogi. In medio ſtat arbor gentilitia ſtirpis Jeroboam.*

** Jeroboam auctore Deo Rex factus decem tribuum a Roboamo ſecedentium, *l.* 3. *Reg.* 12.

CHORUS.

Arbor felix crefce! flore!
Immortali te decore
Videamus eminere,
Admiremur effulgere
Super omnes arbores!
Radix late explicetur!
Vertex altum fublimetur!
Nulla te putredo tangat!
Nulla vis vel ramum frangat!
Nulla rodat caries!

** Genius Jeroboami.* Placent vota. Sed magis placebunt confilia,
Quibus præftetis, ut vota fint efficacia.

ARIA.

Confilia prudentum,
Sunt primum fundamentum,
Regnorum omnium:
His nixa, ftant, & crefcunt;
Subtractis his, vanefcunt
In primum nihilum.
Itaque docete, quid expediat,
Ut arbor firmetur, alatur, & floreat.

Religio. Deus plantavit, ego rigabo.
Ratio ftatus. Ego incrementum dabo.

Religio.

* Dixit in corde fuo: *nunc revertetur regnum ad Domum David, fi afcenderit populus ifte* (quod fingulis annis fiebat ter) *& faciat facrificia in domo Domini in Jerufalem, & convertetur cor populi hujus ad Dominum fuum Roboam regem Judæ, interficientque me, & revertentur ad eum. Ibidem.*

Religio. Fons aquæ vivæ fluit Hierosolymæ;
Suadeo, ut mittas, qui afferant de frugifero latice,
Sine quo, sicut arbor nasci non potuit,
Ita non potest crescere.

* *Genius Jeroboami.* Probatne status Ratio, quod suadet Religio?

Ratio status. Nec opus est, nec expedit tam procul aquas petere:
Vicina sunt oppida Dan, & Bethel,
Ubi cisternæ inveniuntur limpidissimæ.

Genius Jeroboami. Sic est: ite, quærite!

Religio. Heu! Cisternas quæritis!

Genius Jeroboami. Quid irasceris?

Religio. Quid Deus prohibuerit non legitis?
Hoc est præceptum primum, & maximum:
Ego sum Dominus Deus tuus:
Non habebis Deos alienos coram me,
Nec facies tibi sculptile, ut adores illud.

Ratio status. Subintellige: *nisi expediat aliud.*
Postquam creavit hominem Deus,
Reliquit illum in manu consilii sui:
Ipse vero jam circa cardines coeli perambulat,
Et nostra non considerat:
Sua ergo cuique prudentia Deus est.

Religio. Pro stupidum Deum!
Tu audi consilium meum.

ARIA.

* *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite ultra ascendere in Jerusalem: ecce Dii tui Israël; qui te eduxerunt de terra Ægypti! posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan.* Ibidem.

ARIA.

Te fallit iſta frons,
Non eſt, non eſt prudentia,
Stagnantes aqua fœtida
Ciſternas indagare:
Eſt unus vitæ fons:
A Deo ſolo noſtras ſpes
(Ne dubita, eſt certa res)
Debemus derivare.

Ratio ſtatus. Ridiculum! Quid intereſt Dei, unde aqua affundatur,
Modo arbor, quam plantavit, alatur?
Hieroſolymis aquam petere,
Idem eſt, ac ſe hoſtibus dedere.
Non expedit, non expedit,
Etſi millies præceptum ſit.

ARIA.

Mandatis
A Deo ad homines datis
Tunc, ajo, nos ligari,
Cum commode poſſunt ſervari:
Si damnum afferant,
Non obligant.
Hoc fine
Sunt poſitæ leges divinæ
Ut ſimus beati:
Sumus igitur liberi nati,
Et quidquid expedit,
Licite fit.

Reli-

Religio. Vah! stygia axiomata!
Genius Jeroboami. Ex his tamen mihi placet regnare.
Tu si nostris te consiliis
Non potes accommodare, potes exulare.
Religio. Exulabo: sed mecum abibit felicitas,
Et tu impiam sero damnabis prudentiam.
Ephebus 1. Invenimus aquam,
2. Uberrimam, limpidissimam.
Genius Jeroboami. Eja feliciter! -- Hem! Patent mendacia;
Nihil est fœtoris in aqua: abi vaniloqua!
Etiam, quæ scripsisti, deleo; *
Adeo nihil, quod minata es, timeo.
Ratio status. Ego, quod felix, faustumque sit, arborem irrigo.
Vos mihi concinite!

CHORUS.

Crescat, & floreat
Domus Jeroboam! - - - **

Ratio Status. Vah! quid video!
Genius Jeroboam. Arbor contabuit! heu! luctu deficio!

CHORUS.

Heu! disparuit
Domus Jeroboam!
Quanta spes aruit
In gramine!
Momento floruit:
Momento periit! - - -
Aspicite!

Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, & eversa est, & deleta de superficie terræ. ibidē.

Ipsum vero *percussit Dominus, & mortuus est.* 2. Paralip. 13.

Reli-

* Delet Decalogum. ** Dum rigat arborem, aqua ex cisternis allata, illa repente exarescit.

Religio. Aſpicite! ecce ſic decipitur,
Qui a falſa prudentia regitur.
Pſalm. 36. Veriſſime, *vidi impium ſuperexaltatum,*
Et elevatum ſicut cedros Libani:
Tranſivi, & ecce non erat! non erat!
Nempe ſcripſit oraculum, qui ſcripſit de me:
1. *Reg.* 2. *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum:*
Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

ARIA.

Aſſurgite ferοculi!
Adeſte! Roboramini! ...
In Omnipotentem
Obfirmate mentem!
Spes ſpebus cumulate!
His inædificate,
Et turrim Babylonicam
In Cœlum ducite!

2.

Ridebit inaniſſima
Omnipotens conſilia:
Et uno oris flatu,
In medio conatu
Diſperget, diſſipabit,
Vobiſcum tumulabit
Magnifica ridiculæ
Trophæa gloriæ.

3. At

3.
At ego hoc ad tumulum
Appendam Epitaphium : - - -
Hic jacent, qui jacere
Se posse, nescivêre:
Qui semper quæsiverunt
Et nunquam repererunt
Nomen sine Numine!
Viator conspue!



ACTUS I.

SCENA PRIMA.*

Manasses. Jeroboam. Baasa. Zara.

Baasa. REx! *Jeroboam.* Quis huc irruit non vocatus? Latronem video! arma miles! *Zara.* Per Cœlum! quem feris Rex? *Baasa.* Quis furor est? *Jeroboam.* Teneor! miles arma! *Manasses.* Cito. *Zara.* Amici sumus! *Jeroboam.* Manasses! irrue! retrahe fugitivos! Sistis! *Manasses.* Ignosce! furor oculos tenet! *Jeroboam.* Imo furor infestat aulam, Regius undat cruor, concidit solium, tota in ruinam procumbit domus. Ocyus huc Baasam voca! *Manasses.* En! coram adstat! *Jeroboam.* Prô! ubi sum? in te ferrum, amice, strinxi? *Baasa.* Porro stringe! Qui potuit videri latro, reus est satis. *Jeroboam.* Surge! error furoris fuit. Omnia timeo. Procêres! odit me Deus Israël! totus perii! *Zara.* Moderare luctum, Rex! Serena vultum tandem, admitte cibum, & loqui velis.

 In

* Pompa funerea pro mortuo filio Jeroboami.

In hoc irruimus non vocati, hoc aula postulat, hoc omnis Israël. *Manasses.* Convenerunt Principes tribuum: totus ad fores Regiæ se stitit populus: tu funesto demum aspectu abstine, & ultimos, ut mortuo honores feramus, sine. *Jeroboam.* Sino. Fer nuntium Zara, & pompam instrue. Nadabum mihi adesse jube. *Zara.* Utrumque ago. *Jeroboam.* Tu cum cohorte in Silo perge: ibi Ahias habitat: velit nolit, ad me huc trahe. *Manasses.* Prophetam? *Jeroboam.* Ipsum. *Manasses.* Redire forsan cogitas ad sacra Patrum? *Jeroboam.* Tibine Rex rationem imperii debet? Baasa! Ultima illuxit dies! evaginavit fulgurantem gladium vindex Numen, nec una victima furorem saturat. *Baasa.* Impotens dolor loquitur. Filium rapuit mors: est grave malum! Sed quid facias? Ferri debet: & præteriit. Superstes vivit Nadabus tibi: Salmon & Esron vivunt: vivunt duo fratres, nepotes octo: nondum procubuit domus. *Jeroboam.* Ah! Filius, fratres, nepotes sile! Fuerunt! Hæc vox Tonantis est: fuerunt! Tu credis, unum me lugere malum! Fœta capiti impendet nubes: non dimittetur ne una quidem anima de semine meo! I nunc, & increpa, longum quod luctum traham! *Baasa.* Vanos timores mitte. Quando Principibus imminet grave malum, semper cometa fulget. Nunc una nubecula fuscat diem, quæ filium oculis rapuit: reliquum omne Cœlum ridet suaviter, vultu sereno radians. *Jeroboam.* Tibi ridet: mihi fulmina, & mortes coquit. Ahias vates est. *Baasa.* Regnum Ahias vaticinatus est tibi: memini. *Jeroboam.* Idem nunc interitum canit. Ut ægrotare filius hic meus, Baasa, cœpit, extimui statim, nec ausus sum sperare a vitulis opem. Ita sapere calamitas docet. Uxorem voco, & perge in Silo, inquam, ibi Propheta habitat: consule, quid futurum sit puero. Paret, mutat vestes, ne agnoscatur, abit. Jam audi prodigium. Calcanti limen domus obvius Ahias exit, & quamvis caliget ipse præ senio, quamvis dissimularet se illa esse, quæ erat,

erat, tamen alloquitur prior, & cum ſarcaſmo: ingredere, inquit, uxor Jeroboam! Quare aliam te eſſe ſimulas? Ego autem miſſus ſum ad te durus nuntius. Jam præcipe animo, quidquid horrent aures, non aſſequeris, quod dixit. *Baaſa.* Vel narrans terres. *Jeroboam.* Non eſt locus dubio ſuper: certus interitus eſt. Nam poſtquam exprobravit acerbe beneficia de cœlo collata mihi; poſtquam exaggeravit ad horrorem maleficia, quæ ego reddidi: poſtremo has minas tonuit: vade in domum tuam, & in ipſo introitu pedum tuorum in urbem morietur puer, & planget eum omnis Iſraël, & ſepeliet. Iſte enim ſolus inferetur de Jeroboam in ſepulchrum. Cæteri, qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves Cæli, quia Dominus locutus eſt. *Baaſa.* Superi te ſervent, Rex! *Jeroboam.* Serum eſt votum, & forte nec ſerium tibi. *Baaſa.* Regna diu! Serium votum eſt. Vis, probem ſanguine? *Jeroboam.* Abjectum a Deo Regem quis optet vivere? Addidit, quod maxime terret: conſtituet autem ſibi Dominus Regem ſuper Jſraël, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore. Viden'! nec mora ſupplicii eſt. *Baaſa.* Oraculum atrox! Egone alteri, quam tibi ſerviam? Quis ille? Quem nominavit fatidicus ſenex? Hoc enſe cadet! *Jeroboam.* Nemo nominatus eſt, nempe ut ſit metus gravior, dum omnes timeo. Reſcire tamen latronis nomen adhuc ſum avidus, & ſpero, audiam ex Propheta: ideo accerſivi. *Baaſa.* Eſt proditor, niſi prodat. *Jeroboam.* Nil contra hiſcere eſt auſa infelix mater, minus plura exquirere. Abit, & dum ingreditur limen domus, ecce expirat filius, quod dixit ſenex. Cœpit impleri crudele monitum: quid porro ambigam de futuris? Fratres, nepotes, filii mei! Carnem veſtram vorabunt corvi, & ſanguinem canes bibent. Jam mihi videre videor!.. O horror ſpectaculi fœdi!.. O Iſraël! Populo tot annos regnate mihi! Hunc unum meum ſepulchro con-

condes? Reliquos omnes canibus & corvis dabis? Tremite posteri sortem Regum! . Nec me aliquis juvat? . . Nadabe ades! Patris exemplum sequere! Confringam vitulos, aras profanas destruam, occidam popas, evertam lucos! Forte sic placabo Deum, & intentatum avertam exitium. Pares?

SCENA SECUNDA.

Jeroboam. Baasa. Nadab.

Nadab. REx Pater! Quis te impetus rapit? pœnitere mutati cultus nunc primum incipis? *Jeroboam.* Nunc urget grave imperium cœli. Imus, perdimus inutiles Deos! in pulverem, in cineres eant! Celeris pœnitentia iram Numinis franget. *Nadab.* Consilium Baasa probat? *Baasa.* Rex! Exemplo ad vitulos traxisti nos: exemplo retrahes. Sed tamen quid agas, vide. Ipse das fatis locum. Sesac Ægypti Rex amicus, affinis est: Aris deijci Ægyptios Deos an patiens feret? *Nadab.* A Rege Syriæ præsens in aula Legatus adest: petit fœdus: sponsam offert; probabit sacrilegum factum? *Jeroboam.* Probabit insigne factum Legatus Asæ: hunc suspicio. Ex quo se decem tribus dederunt mihi, nulla fuit unquam a Regibus Judæ quies. Cladibus nos attrivit Roboam: postremo prælio Abias delevit pæne, vastavit oppida, urbes diripuit, pax nulla, dum vixit, fuit. Nunc ultro fœdus poposcit Asa, offert Filiam uxorem tibi, dotis nomine restituet ereptas urbes, erit æterna pax: una conditio ponitur, ut subversis altaribus impiis, redeam ad Deum Israel. Deliberare num convenit? *Nadab.* Asæ filiam ut ego uxorem ducam? Parce Pater! Principi Syræ obstrinxi fidem. *Jeroboam.* Inscio, invito Patre? *Nadab.* Cœpisti hodie invitus esse. *Jeroboam.* Hodie, quid prosit, Superi plectendo docent. *Nadab.* Pœnam interpretaris, quod

casus

casus fuit. Sæpe contigit, mori juvenem. *Jeroboam.* Ah! Nescis, fili! Mortem omnium mors una trahit. I, quid cœlum minetur nobis, ex matre quære. In pace cum Asa salus est. *Baasa.* In bello salus est. Ignosce Princeps, si aperio sensum animi contrarium tibi. *Nadab.* Loquere pro me, Baasa. *Baasa.* Pro Rege, pro Regia domo, pro Regno loquor. Mihi timendus videtur Asa, ne sit is, quem tibi formidabilem Ahias dixit. *Jeroboam.* Timendus Asa, si erit affinis meus? Si pacem colet? *Baasa.* Non erit affinis, non colet pacem. Subdole agit omnia, ut mora consiliis detur. Vides, ut pace, qua frui patimur, utatur provide in rem suam: in perniciem nostram sapienter? Quot urbes ædificat? Quam diligenter munit, muris vallat, turribus roborat? Idem, cur altaria Diis gentium a Patre suo & Avo erepta subvertit? cur fregit statuas, & lucos succidit? Cur de cunctis urbibus Judæ aras & fana abstulit? Cæci sumus, nisi videmus, hac arte subditos tuos ad se pellici. Et habet effectum fraus: prisca religio populum trahit, vilescunt vituli, scindimur, quotidie multi diffluunt ad Asam transfugæ: crescit Asæ potentia, collabitur tua. Asæ ego non fiderem. At pacem petit, fœdus, sponsam, dotem offert? illecebræ sunt. Adjuncta conditio deceptorem animum satis prodit. Deijciendi sunt aurei vituli: cur? Ut Rex Syriæ in fœdus non veniat: ut Rex Ægypti a fœdere resiliat: ut Jeroboam Regi Judæ nudum subito prostituat latus. Præterea videt Asa, fieri non posse sine tumultu mutationem tam repentinam: inveterata viginti & amplius annorum superstitio efferavit plebis animos in pertinaciam non expugnandam facile. Præcipue si a Popis, quorum interest, idola coli, etiam concitetur. Hoc igitur tempus expectat Asa, quo cum Patre propter sponsam committet se filius: quo Proceres studio partium collidentur consiliis: quo plebs in apertos tumultus ibit. Tum utique Regnum in se divisum invadet vafer, & rapiet sibi: tum quid tibi, quid futu-

rum

rum sit tuis, facile concludis. Vereor, ne verax nimis interpres Ahiæ sim. *Nadab.* Nemo potest sapientius loqui. *Jeroboam.* Quo revocas trepidnm? Perspicio, non dici nihil. Inter sacrum & saxum me tenes. Si ruo Deos, Asam timeo; si non ruo, fulmina de Cœlo ruent. *Baasa.* Nondum nubes coiverunt: Asa propinquius nocet. Asam time. *Jeroboam.* Hæc humana prudentia est; num contra decreta Cœli sufficiet? Expectabo Ahiam.

SCENA TERTIA.

Nadab. Baasa.

Nadab. QUantum tibi, amice, debeo pro hoc sermone! Sufflaminavimus ruentem currum: satis est: jam facile sistetur penitus. *Baasa.* Ego gaudeo, Princeps, si quid efficere Baasa potest, unde gaudeas tu. *Nadab.* Quidni gaudeam ego? Teneo votorum summam: Asa rejicitur: mea est sponsa Syra! *Baasa.* Parcius exclama. Ahias si in conspectum Parentis venerit, perdidimus operam, aravimus littus. *Nadab.* Equidem hoc miror, Baasa, Ahiam expectari a Patre. Quid ab illo sperat? *Baasa.* Futura scire, nam Propheta est! reliqua, ut Rex te monuit, ex matre disces. Quanquam scire illa nihil interest tua: hoc interest, ut obsistas, ne ad alloquium Patris vir Dei veniat. Superstitiose est credulus Rex, & ex consilio Prophetæ decernet omnia, qui, cum sit nostris infensus Diis, nihil utique contra Asam, multa suadebit contra nos. *Nadab.* Intelligo te. Sed modum, quo arcendus conspectu erit, ignarum doce. *Baasa.* Tu Regni non hæres modo, sed jam consors es, & collega: & modum nescis, quo, quid velis, agas? Impera, & fiet. En praxin facilem. *Nadab.* Offendo Patrem. *Baasa.* Placatur facile: Pater est, & tu beneficium facis, dum, ne tristiora forsan audiat, ac credat, caves. *Nadab.* Sapis optime.

me. Nunc, si quid me velis ad Syriæ Legatum propero: urgendum est negotium suavo. *Baasa.* Non assistes fraterno funeri? Mox ducent pompam: sic jussit Rex. *Nadab.* Scio: sed ibunt fratres reliqui: me aliæ tenent curæ. Amavi fratrem: sponsam amo.

SCENA QUARTA.

Baasa. Zara.

Baasa. ME amat Cœlum: favet consiliis: regno destinat. Triumphas Baasa! O Superi boni! Quo ego bono hoc merui tantum bonum! Ego, ego sum, o Ahia, si nescis, ego sum, quem constituit Dominus Regem super Israël, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore! Ego sum! Certum est: ita mihi hic animus loquitur. O Spes beata! Per te audacior promoveo, quod cœpi, facinus! Vive Zara! *Zara.* Triumphas, postquam vix evasisti tyranni manum! *Baasa.* Obstupui primum, ut latronis audivi nomen, & stricto ense vidi in me ruentem. Quis me prodidit? Clamabat hic intus aliquid. Sed jam, Zara, securi sumus. Intelligo, quod ille furentis impetus omen fuerit: latrones ut simus, Cœli voluntas est: obsistere nolo. *Zara.* At mihi suspectus Ahias est. Cur vocatur? *Baasa.* Jam cavi. Tu jam funebris pompæ dux, prælude lætus funeribus invisæ stirpis. Tum audies plura. Secedo.

SALTUS.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

Aram. Sadoch.

Aram. AHiam a Rege, ajs, vocatum esse, & verum putas? *Sadoch.* His oculis Manassem vidi cum cohorte properantem in Silo. *Aram.* Cum cohorte? Malum Prophetæ parant? *Sadoch.* Non istud quidem, sed ut renuere accessum nequeat, & possit cogi. *Aram.* Quid movit Regem, Sadoch, ut loqui velit viro, de quo hucusque vix sustinuit loquentem alium? *Sadoch.* Jam triduum in luctu agit, solitarius ad tumbam gemens: debuit salubria meditari: nam quid aliud aspectus tam tristis suggeret? *Aram.* O felix tristitia! O luctus lætus! Nunc spero, Sadoch, nunc tandem aurem æquis Regis nostri petitis Jeroboam dabit! Nunc vertet aras cum ridiculis Diis! Stabit æternum fœdus! Erunt duobus populis duo Reges, sed unus animus, unus Deus. At quid ad hæc Nadabus? Quid sentit? Agit? *Sadoch.* Ne veniat Ahias in Patris conspectum, agit. Ut primum intrabit Regiam, adducetur Nadabo: vult loqui viro Juvenis, ut exploret, famæ num respondeat suæ. *Aram.* Utilis curiositas. Sed ipse prodit. Accessum ad Regem quærimus. *Sadoch.* Sublato funere facilem dabit.

SCENA SECUNDA.

Nadab. Ibrahim.

Nadab. SIc ego te, Ibrahim, consilio pertinacem experiar? Pendente negotio, invito me ut abeas, ego patiar? *Ibrahim.* Urgent jussa Regis mei. Patere, Princeps, ut ultimum

Pr-

Parentem alloquar. Ludimur! Vel ex his, quæ tu mihi, abunde intelligo, ex morte filii alium a se omnino Jeroboamum esse. Subsistam nempe, & testis adstem, dum percutitis cum Asa fœdus, dum frangis datam fidem, dum sponsam Syram abdicas, Judæam eligis, dum abjicitis Deos? Syriam triumphat Asa, & Syriæ Legatus pompæ spectator fit? Parce! Decretum est: abeo. *Nadab.* Per Deos mane! Nihil omnium, quæ times, fiet. Centies dicam? Non sufficio tibi? *Ibrahim.* Aliud Nadabus, aliud Jeroboam loquitur. Prophetha, credo, quem vocavit, docebit Patrem loqui tecum? Princeps, tu hominem jactas non admissurum te ad alloquium Patris: cur igitur non das mandatum, ne adducatur? Cur tu vis loqui? Patrem ne suis ille dementet dolis, metuis: tibi non times? Apertus est animus jam in sensa paterna pronior. *Nadabus.* Deciperis. Virum, qui Patri vaticinatus est regnum, videre sum avidus: curiositas est, quæ te offendit.

SCENA TERTIA.

Nadab. Ibrahim. Manasses.

Manasses. Subsiste miles. *Nadab.* Hem! Manasses. *Manasses.* Ahiam adduco, Princeps, tibi: sic enim jussisse te, excubitor monuit. *Nadab.* Jussi. Quis est vir? Quo habitu? Quo sermone? *Manasses.* Omnia Prophetam spirant. Vultus austerus est, frons verenda, oculi caligantes, corpus erectum, gestus gravis, sermo minax, cor impavidum. *Ibrahim.* Amanda procul! Si pateris loqui, vincet. *Nadab.* Volentem adducitis? *Manasses.* Trahi debuit. Habuimus humaniter tamen, & ut bona loqueretur Regi, sæpe monuimus. *Nadab.* Quid respondit? *Manasses.* Funera, neces, stragem: pacatum nihil. Mihi adhuc aures tinniunt ad viri terribilis vocem. Væ

Jeroboamo, væ tibi, Princeps, væ toti familiæ, si dictis adhibenda est fides. *Nadab.* Tu larvas metuis. Videbo, & audiam hominem. Duc intro mihi. *Ibrahim.* In animos quid possit vel sola species, qualis descriptus est, viri, fors nunquam expertus es, Princeps: secus paruisses consilio. *Nadab.* Tu adsta colloquio: disces melius Nadabum nosse.

SCENA QUARTA.

Nadab. Ibrahim. Abias. Manasses.

Manasses. REgius hic Princeps adstat. Reverentiam exhibe. *Nadab.* Salvum te, vir Dei, volo. *Abias.* Vel irrides, vel vere in Propheta Dei meum & tuum vereris Dominum? Si vir Dei sum, audi miser vocem Domini! Hæc dicit Dominus: post paulum te vorabunt canes! *Nadab.* Canes me? næ tu prodigus Paterfamilias es, qui carnes tam delicatas canibus projicis. *Abias.* Quia projecisti Dominum, proijciet te Dominus Patrem in filio, filium in Patre puniens. Miserande juvenis! quam inanes te inflant spes! Ætate ferox, superbus regali sanguine delicias, nuptias, imperium somnias! Aliud scelera postulant, quibus Patris scelesti æmulus iram Numinis provocas, & immensam patientiam fatigasti. Et adhuc deliberas, an redire ad Deum prosit? An implorare clementiam deceat? Imo non deliberas: deliberat Pater; filius Patrem firmat in scelere! Quis hoc audit, & non exhorret? O sancta Majestas Dei, quousque abjecta es! Illudunt pueri, & Patres probant! Nondum fluxit hora, cum illatus est tumulo frater: & tu non cogitas de simili malo? Erigere tamen, insurge ferocule, insulta Cœlo! Plaude in scelere! ride minas! brevis est risus! ecce constituet sibi Dominus Regem super Israël, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore. *Nadab.* Scis

verum?

verum? *Abias.* Non credis? facis, quod juvenes solent. Experiri miseriam malunt, quam credere. Experieris. *Nadab.* Quid experiar? *Abias.* Quod non credis. *Nadab.* Nunc loquere. *Abias.* Morte truculenta ad stygem perges. *Nadab.* Quis erit necis Auctor? *Abias.* Nomen siluit Cœlum. *Nadab.* Sycophanta atrox!... Et tu bone Senecio, qua morte finies ærumnas vitæ? *Abias.* Morte placida defungar Deo. *Nadab.* Teneo mendacem: hic mucro convincet reum. Jam repete ferale carmen: constituet sibi Dominus Regem super Israël? *Abias.* Constituet. *Nadab.* Quem? *Abias.* Nescio. *Nadab.* Ille percutiet domum Jeroboam? *Abias.* In hac die. *Nadab.* Quis? *Abias.* Nescio. *Nadab.* Aut dices, proditor, aut morte placida non defungeris Deo. *Manasses.* Rex prodit.

SCENA QUINTA.

Jeroboam. Aram. Sadoch. Nadab. Ibrahim. Abias. Manasses.

Jeroboam. Nadabum ad me aliquis. *Nadab.* Adsum, Genitor! injuriam ulciscor tuam. *Aram.* Heu Rex! Ahias feritur. *Jeroboam.* Fili, quod scelus patras? nosti virum? *Nadab.* Hostis est. *Jeroboam.* Propheta est. *Nadab.* Proditor est, qui cladem canit, & silet auctorem cladis. *Jeroboam.* Vir Dei salve! *Abias.* En scelus sceleri accumulat filius, & silet pater? Vir Dei salve! O bona verba! injuriam factis patior. *Jeroboam.* Juvenis meretur veniam: ignoto intulit. Tu perge mecum. Avide loqui cupio, quæ libens audies. *Abias.* Sero audiam. *Nadab.* Quid agitur Aram? *Aram.* Silentium imposuit Rex. *Sadoch.* Peragetur cum Ahia. *Ibrahim.* Intelligo. Princeps vale. *Nadab.* Quo te abripis? *Ibrahim.* Jam ne quidem valedicam Regi. Quod frigus est? quæ cruditas? delirum senem basiat: Legatum Syriæ nec verbo dignatur, nec oculo saltem. Legatus Asæ prætexit

xit præceptum silentii: quid? non loquitur satis, quid sperandum sit mihi? ibo, convasabo. *Nadab.* Quid dicam? quid faciam Manasses? sic mihi sponsa rapitur? *Manasses.* Alia datur æque Regia. *Nadab.* Sed non æque chara. *Manasses.* Quid enim displicet in Asæ filia? *Nadab.* Religio, Patria, Pater. Frater nuper postulabatur: nunc postquam putuit ille, ego placeo. Contemptus sum: & amem? *Manasses.* Ama amore pacis, amore Patris, amore Dei. *Nadab.* Quem tu mihi oggeris Deum? *Manasses.* Quem olim Rex Pater coluit, quem iterum colet, nisi obsistas tu. *Nadab.* Manasses loquitur? non tu mecum immolasti Ægyptiis Diis? *Manasses.* Pœnitet. *Nadab.* Absurda vox! Apage simulator! ex aula, ex regno te proripe, ad Asam transfuge! *Manasses.* Dudum cogitavi. *Nadab.* Etiam insultas? cogitasti dudum? Sic servas Regi fidem? *Manasses.* Pudet violasse juratam Deo! Et sumus plures, Princeps, ejusdem mentis. Cum in Judæa regnavit Roboam, cum sceptrum Abias tenuit, quo fugeremus? Etiam ipsi adorabant gentium Deos. Nunc regnat Asa, & restituit nitorem templo, honorem moribus, Religioni splendorem: nunc lubet fugere, nisi Rex ipse tecum exemplum sequatur Asæ. *Nadab.* Vah! aurium tormentum grave! Et plures sunt ejusdem mentis? *Manasses.* Fateri jam licet palam, quando haud procul abest Rex, ut exemplo firmet animos, quos fovemus. Ah! Princeps! esse velis Asæ gener! ipsa tibi in Asæ filia felicitas nubet! *Nadab.* Facesse amphibium monstrum! quid mihi tecum est? *Manasses.* Doleo claudicasse. Deus in tempore me erexit. Tibi porrigit manum: patere, ut erigat: nisi pateris, feriet. Ahiam audisti!

SCE-

SCENA SEXTA.

Nadab. Baasa. Zara.

Nadab. NOndum abis? . . Jam vero metuere incipio, ne verum Ahias dixerit. Audacter iste fatetur mihi, se meditari transfugium, & plures secum. Quam facile mutabunt mentem, ut pro transfugio meditentur familiæ cædem? & forte eodem duce, qui est Propheta? Ita placebunt Asæ, & credent placere Deo. . . Baasa, perijmus! Ahias cum Rege est. *Baasa.* Scio. Tua est culpa, Princeps, monui. *Nadab.* Quid agam? curiositas vicit me: volui viro loqui. Nunc id fieri video, ut in Asæ partes vel sponte abeat Parens, vel cogatur. *Zara.* Cogi possit? *Nadab.* Asa in aula regnat; Asa coget. Momentum est, cum se Manasses audacter ipse prodidit mihi, asseclas plures jactans, qui, nisi ad sacra Patrum redeamus nos, meditentur ad Asam transfugium. Transfugium vocant: cædem familiæ ne intelligant, metuo, quam Ahias minatur. *Baasa.* Quid? non coactus est Ahias fateri auctorem cladis, quam minatur? *Nadab.* Instabam pugione ad pectus fixo: negavit contumax, scire se: Regem alium constitutum a Cœlo esse, ait, nominatum non esse. *Zara.* Impostor est. Mentiar, nisi Legatus Asæ corruptos plures procerum auro traxerit in suas partes. Per hos turbabit aulam: Princeps cave! Asa imperio imminet. *Nadab.* Scilicet quo consilio caveam? Ecce in vobis spes mea residet: in vestra manu est mea salus. *Baasa.* In armis salus est. Persuade Patri bellum adversus Asam: sic erit domi pax. *Nadab.* Non audiet me, postquam Ahiam audiit. *Zara.* Fratres Regis adfuere funeri; adscisce tibi: conjuncta opera monete periculum, novas turbas docete. *Nadab.* Adibo Patruos. Legatus Syrus quid agit? convasat serio? *Baasa.* Erexi in novam spem: non abibit. *Nadab.* Te amo, Baasa! tu mihi stella es, ad cujus fulgorem felix navigo. Fulgere perge! non errabo, nisi cum tu occides mihi.

SCE-


SCENA SEPTIMA.

Baasa. Zara.

Baasa. EGo oriar, cum te occidam. Zara! jam Rex sum ego. Ut providum cœlum laudo, quod me non prodidit fatidico Seni! Omnia consiliis favent, Ahias, Syrus, Manasses, Asa. Sed in te, Zara, recumbit negotii agendi moles: nec tamen laboris pigeat! Pretium ingens feres, cum ero Rex. *Zara.* Nihil ista memora. Merces hæc erit summa, placuisse. Doce, quid fieri velis. *Baasa.* Adverte pauca. Primum Manassem adi: exprobra, quod improvide Nadabo transfugiendi prodiderit animum: finge eandem esse mentem tibi: expone, quo in periculo versemini, si hæc Nadabus tyranno referat: mone, ut cum complicibus aut fugam adornet cito, aut si placere velit Asæ, in totius familiæ tecum conspiret cædem. *Zara.* Si Rex Ahiam audit, & ex Asæ voto frangit vitulos, neutrum persuadebo Manassi. *Baasa.* Intempestiva hæc cura est. Rex, crede mihi, Ahiam non audiet: nimis amat filium, nimis metuit plebem. Deinde si audiat etiam, faciam, ut mox se mutet. Adibit Nadabus Patrem, accendet fratres, & de Manasse referent: adjungar ego tertius, & accusabo te. Agente me, rapieris in carcerem, traheris ad quæstionem, minabor tormenta, sed metue nihil: velut de facinore glorioso te jacta, quod Regem impium volueris occidere: conscium Manassem nomina, & quos ab illo rescies transfugii avidos: nomina Legatum Asæ, Ahiam nomina: ipsum Asam auctorem fac. Quid futurum sit, vides? *Zara.* Nempe moriendum est pro te mihi! *Baasa.* Imo vives, amice, felix! confide Baasæ! nullum te premet malum! *Zara.* Perge igitur: nihil renuo tibi. *Baasa.* Places. Jam inde sequetur statim decretum bellum adversus Asam; dicetur Baasa Præfectus belli: miles, civis parebit mihi. Tum exequar cætera.

Zara.

Zara. Intellexi. *Baasa.* Nunc ad Syriæ Legatum rursum perge. Doce, quid fieri in his rerum circumstantiis ab ipso velim. Urge furorem hominis: dic, dolere me sortem viri, in aula actum agentis: male habere me &c. Legatum haberi male, vix pro Regio respici, verba dari, & hæc vix bona. Adde: inter proceres Baasam solum ægre ferre injuriam tanti Regis: vindicare velle, si opem promitteret Rex, si fœdus addiceret, si filiam destinatam Nadabo, filio Baasæ sponderet. Scripsit Ibrahim, & quia cupidus est habere Regem generum, scripsit acerbius, quam ego dictaveram. Exarsit Benadad ad Epistolæ argumentum: ultionem commisit mihi: quæ petii, spopondit omnia, denique habiturum Baasæ filium sponsam regiam, si esset Baasa futurus Rex. Vides, ut me omnis felicitas amet? *Zara.* Nunc mysterium capio, cur repente frigidus, & pœne rusticus Ibrahim Nadabo factus sit, quem nuper tantis officiis coluit. Ego suspicio prudentiam tuam: nihil te fugit omnium, quæ facere negotio periculi pleno exitum felicem possint, modo faveat cœlum. *Baasa.* Modo non obsistat cœlum; ut faveat, non est opus. Me Ahias animat. Hoc teste, si cœlum non probat consilii modum, certe eventum probat. Jeroboam a cœlo damnatus ad mortem est: sententiæ executorem ego libenter ago. Optanda est infamia, si nomen carnificis titulus Regis excipit. Dividamur. Age negotium tuum, Ibrahimum primum, tum Manassem adi. *Zara.* Io! Strenue! Magnanimos in ausus prurio. Vive Rex! *Baasa.* Ut me vox ista afficit! Tres litteræ sonum quam gravem faciunt! *REX!* O digna vox, quam omnibus periculis meam faciam!



CHORUS I.

Pseudo-Politicismi impietas.

Percussimus fœdus cum morte, * *& cum inferno fecimus pactum.* ** Ita Isaias c 28. de tribu Ephraim, ex qua fuit Jeroboam. ***

PERSONÆ.

Pseudo-Politicismus. Pluto. Plutonis Ganymedes. Parcæ Clotho, Lachesis, Atropos.

Ganymedes. Deæ severæ! frontem exporrigite hodie: ****
Nova fero novissima, lætissima!
Clotho. Quis te huc jussit intrare?
Ganymedes. Pluto jussit nuntiare.
Missus ab hominibus Legatus descendit ad nos:
Percutere vobiscum fœdus mortales postulant,
Et pactum facere cum inferno desiderant.
Lachesis. Quid Pluto ad hæc?
Ganymedes. Probat, plaudit, jubilat,
Quod suam expeti amicitiam videat,
Rogat, ut vos quoque placidas exhibeatis,
Ne a fœdere homo resiliat ex timore
Consuetæ vobis severitatis.

Atro-

* Ne noceat, ** Ut adjuvet. *** Theatrum exhibet officinam Parcarum.

**** *Pseudo-Politicus, ne illum timor mortis a malis artibus absterreat.*

Atropos. Parcæ, ut possint parcere?
Ut suæ naturæ repugnare?
Ganymedes. Saltem potestis aliquid simulare.
Legatus est ex tribu politica;
Politice cum Politico agite,
Ne videamini, esse Deæ rusticæ.
Omnes tres. Nescimus, quid Politicus sit!
Ganymedes. *Politicus est, qui propter se, omnibus omnia fit.*
Sic audivi describi:
Et talis etiam videtur esse, quem vidi.

A R I A.

Est homo formosus, politus,
Linguarum *multarum* peritus,
Natura facundus,
Ex arte jucundus,
Et qui, ut Proteus, *cum expedit*,
In omnes se formas convertere scit.

2.

Audivi, ut equum hinnire,
Audivi, ut vulpem gannire,
Jam balat, jam mugit,
Jam latrat, jam fugit,
Nempe ut ratio vult temporis:
Versuti est tanta ingenii vis.

Clotho. Curiosa sum, hoc hominis videre prodigium.*
Lachesis. Audire supplicantem, longe erit jucundissimum.
Atropos. Si tamen sapit homo, potestne Plutoni credere?
Potestne Parcis fidere?

* *Insipientissime sibi vitam longam promittit, & seriem posterorum nunquam rumpendam.*

Ganymedes. Sibi ſcilicet ſapit: ſapientibus deſipit omnibus,
Velut larva belle ad ſpeciem tornati Mercurii,
Sed cerebro vacui.
Fatua ſapientia hæret unico principio: *ſic expedit!*
Itaque ſtolide credit,
Quidquid, ut credat, *expedire judicat.*
Omnes tres. Ergo decipi vult?
Adducatur! Decipiatur!
Lachesis. Comamus nos, ſorores! Famuli, nigrorem lavate!
Clotho. Crines criſpate!
Atropos. Ceruſſam, ſtibium, ſpeculum date, *

ARIETTA.

Omnes tres. Cum vulpe vulpinemur!
Quod facit, imitemur!
Clotho. Vultum ad delicias,
Lachesis. Veſtem ad illecebras,
Atropos. Vocem ad blanditias
Omnes tres. Nos juvat fingere.
Clotho. Sic volo comparere:
Lachesis. Sic potero placere:
Atropos. Sic expedit! Sic expedit!
Omnes tres. Sic poſſum fallere.
Ganymedes. Cum Plutone ingreditur hoſpes.
Pluto. Ingredere ſoſpes. Ecce hæc ſunt Numina,
Quæ, ut tibi ſint placida, debes exorare.
Hic eſt, o Divæ, qui vobis vult ſupplicare.
Tres Parcæ. Impetrat omnia, quem Pluto dignatus eſt commendare.

Pluto.

* Ornant ſe.

Pluto. Cessas genuflectere? *
Eja! jam licet vota exponere!

Pseudo-Politicismus. Ignosce, Rex magne Erebi!
Prope absui ab extasi,
In quam me rapuit aspectus Dearum.
Vah! ut mendaces sunt Poëtæ,
Qui Deas tam amabiles
Simplici plebeculæ finxerunt intractabiles!
Ego audacter mentem aperio,
Vota exhibeo.

ARIA.

O formosæ, suaves Deæ,
Vitæ meæ,
Et fortunæ arbitræ!
Quam est hora fortunata,
Quam optata,
Qua vos licet colere.
Date Deæ, corde bono,
Ore prono
Sacros pedes lambere!
Date, opem hic orare,
Et sperare
Radium clementiæ.

2.

Vobis nostra est devota
Tribus tota,
Tota gens politica:
Soli vestra cum pavore
Cum tremore
Reveremur Numina.

Cui soli Pseudo-Politici, ne citò [illegible], vota faciunt, quippe hujus sæculi homines, non futuri.

* *Velut si percussisset fœdus cum morte.*

Hic si cultus quid meretur,
Una detur,
Quàm rogamus gratia:
Longa, Deæ ter amatæ,
Longa date,
Longa vitæ stamina.

Clotho. Sorores! Quid vobis videtur?
Lachesis. Omnem gratiam submissio tanta meretur.
Atropos. Denique hominem vidi dignum hoc nomine! Politici! Non estis sicut cæteri: vivite! vivite!

ARIOSE.

Omnes tres.
O homines humani!
Nec hominum inani
Contenti nomine!
Si possent destinata
Per nos mutari fata,
Essetis immortales! . . . .
Nunc saltem vivite
Securi bona spe!
Ducemus fila aurea
In tempora Nestorea:
Nec ante moriemini,
Quam sitis vitæ saturi:
Securi vivite!

Pseudo-Politicissimus. O Deæ pretiosæ! O argenteæ! O aureæ Deæ! Cor exilit gaudio! Beneficii magnitudinem intelligo, Verba, quibus gratum explicem animum, non invenio.

Pluto.

Pluto. Præ verbis placent opera. In fœdus coëamus. *
Pseudo-Politicismus. Timore mortis liberi, jam nihil recusamus.
Legatus sum cum plena potestate:
Quod vultis imperate.
Pluto. Ergo porrige manum. Vos Divæ, quam facimus,
Este testes amicitiæ. perpetuæ.
Omnes tres. Styge auspice, inviolabile pactum facite! **
Pluto. Respice! Hæc omnia vobis dabo, ***
Si agnoscitis Dominum, si præstatis homagium.
Pseudo-Politicismus. Pro! Quo me abripis?
Pluto. In campis versamur Elysiis.

ARIA.

Cœlo qui laborant,
Vitæ se *futuræ*
Solantur a spe:
Interim laborant,
Et habentur dure,
Dum perimant se.
Ego servis meis
Statim, quod merentur,
Stipendium do:
Et promissis meis,
Quo se profitentur,
In tempore sto.

Hinc omne, quod est in mundo (nempe politico) *concupiscentia oculorum, & superbia vitæ* 1. Jo. 2.

2. De

* *Inde oritur licentia scelerum, & quasi pactum cum inferno fit.*
** *Ex vana spe summæ felicitatis, quam promittit ostentator Diabolus obtinendam per media a se suggesta.*
*** Campi Elysii exhibentur.

2.

De *futuris* bonis
  Sunt promissa mera:
    Nihil est in re!
His te *beo* donis:
  Hæc sunt bona vera;
    His tu fruere.
Quidquid amat *caro*,
  Quidquid *mens*, & bini
    Amant *oculi*;
Habet a me *caro*,
  Habet *mens*, & bini
    Habent *oculi*.

Pseudo-Politicismus. Beatus sum! Agnosco Dominum! Juro obsequium!*

Pluto. Ergo abrenuntias cœli Domino? *Pseudo-Polit.* Abrenuntio!

Pluto. Et omnibus operibus ejus? *Pseudo-Polit.* Abrenuntio!

Pluto. Et omnibus Sanctis ejus? *Pseudo-Polit.* Abrenuntio!

Pluto. Sic places. Vicissim ego manu propria me tibi subscribo!
Et sub consueto sigillo me obligo:
Totus, quantus sum, vester sum Pluto.
En paginam authenticam. Quidquid voletis,
Petite, & accipietis.
Vos fœderi applaudite!

Chorus.


Vivat, & floreat
  Tribus Politica!
Nulla aboleat
  Ætas hæc fœdera! - -
    Æterna sint!

Pseudo-Politicismus. **

Regnet, & faveat
  Domus Plutonia!
Ita nos aurea
  Vivimus sæcula!
    Æterna sint.

* *Ipsoque opere, homo cœlo renuntiat, contentus præsentibus bonis.*
** *Quæ frustra cupit æterna esse, & sic utrisque excidit.*

ACTUS



ACTUS III.

SCENA PRIMA.

Jeroboam. Abias.

Jeroboam. Spem inter, & metum luctor. Tamen si promittere hoc ausis, Ahia, quod sententiam retractaturus sit Deus, si egero poenitentiam, tum ego cremabo vitulos: Asæ exemplum sequar. *Abias.* Dixi: Promittere nihil possum. Peccavit David: poenitenti culpam dimisit Deus, non poenam. Heu! quam multas, quam graves dedit! Sed ad quam ego te hortor, Rex, poenitentia est sine conditione suscipienda, *sine conditione.* Tu semper dicis: agam poenitentiam, si Deus remittat poenam! Non est ista voluntas bona, quæ placet Deum: Non est ista poenitentia digna venia! Poenam, non culpam horret, qui retractare culpam non vult, nisi Deus retractet poenam. Æternam poenam dimittet dolenti Deus, hoc promitto: hoc sufficiat tibi: magna miseratio est. Temporali submitte, Princeps, rebelle caput, & clama: merui! Sic placabis. *Jeroboam.* Morte cruenta cadam! Morte cruenta filii, fratres, nepotes cadent! Sic placabo? Dure! Quam hoc est asperum solatium misero! *Abias.* Solatium tamen, poenas æternas merito. Rex, audi amantem tui! Si tu cum igne devorante, & ardoribus sempiternis habitabis quondam, inclinasse te ferienti in tempore Numini, seris optabis votis. Quamquam quid multis urgeo? Prudens es. Si cedis Deo, æternam certo, temporariam fortasse simul evadis poenam. Si non cedis, certa est utraque, neutram vitabis. Potes ambigere, quid sit agendum? *Jeroboam.* Potenter urges. Sed ... *Abias.* Muliebre suspirium! Rex!

Pensa scelerum gravitatem, & levior poena erit. Comparemus. De medio populi in regale solium te Deus extulit, decem tribuum Dominum fecit, amplam felicitatem, si esses fidelis, promisit: tu beneficio vix accepto in benefactorem abutens, armasti te adversus omnipotentem, bellum intulisti Religioni, conflasti Deos aureos, primus elato impietatis vexillo, populum traduxisti in castra idololatriæ: quanta ingratitudo! Spem felicitatis fundasti in tua prudentia, in mediis vetitis, in consiliis Deo, quo invito felix esse nemo potest, contrariis: quæ insania! Monuit te Deus, ut resipisceres, minis, exemplis, pœnis, prodigiis: audisti Prophetam, qui primum sacrificium vitulis immolanti obstrepuit; sensisti aruisse manum, quam ad necandum virum Dei extenderas; vidisti dissilire altare sacrilegum, cineresque effundi; cladibus affectus es a *Roboamo*, cladibus ab Abia; intellexisti, Deum irasci tibi: scis, in pœnam idololatriæ inglorium misera, & quod timendum est, æterna morte periisse Salomonem cum filio & nepote: merebaris morte simili pridem rapi: at regnas, & secundum jam supra vigesimum annum regnas semper impius, semper contumax: quis est hic incredibilis patientiæ, qua te tolerat Numen, abusus nefarius? Et miraris, succedere pœnam denique, pœnam quereris, de pœna plangis? non est iste veræ pœnitentiæ spiritus, Rex! Peccavi Domino! sic planxit David: de culpa doluit, pœnæ submisit se lubens. Exemplum habe[s], sequere. Si remittere supplicium Deus velit, gratias age: [si] nolit, tolera! Ferre necesse est, non evades: interest, ut pœ[ni]tens malis, quam contumax ferre... Tumultum animi h[oc] triste silentium loquitur. Loquere Rex!.. Ah audiam sal[u]brem vocem: *peccavi*!

SCE-

SCENA SECUNDA.

Jeroboam. Abias. Nadab. Ephrem. Eliphaz.

Nadab. PAter, triste nuntium fero. Saluti consule. *Abias.* O cito, Rex! *Jeroboam.* Ibo in interitum præceps! unde imminet? *Ephrem.* Siste, caveri potest. *Eliphaz.* Doceri patere. *Jeroboam.* Spem fratres facitis? *Ephrem.* Detectus est fons periculi: obstruemus. *Abias.* Fons periculi peccatum est. *Eliphaz.* Sile bubo! nos audi frater! *Nadab.* Quod iste proditor loqui noluit, scimus Auctorem instantis, quod times, mali. *Jeroboam.* Et obsisti potest? *Eliphaz.* Si velis modo. *Nadab.* Triste dixi nuntium, quia grande est scelus, quod, qui minime deberent, parant. *Ephrem.* Intus nos loqui jube, aut istum ejice! *Abias.* O vana spes! *Jeroboam.* Venite! audio. *Abias.* Rex, audi me! *Jeroboam.* Audivi nimis. *Eliphaz.* Cessa baubari canis! aut linguam eruo. *Ephrem.* Cessabis paulo post, cum tortor collum stringet. *Abias.* Quid volunt minæ? O Deus! actum egi! Quam durum est cor humanum! in novum Pharaonem incidi: nihil proficio. Sed hæc justa est Dei pœna: cum impleta est mensura scelerum, induratur cor, nec jam molliunt beneficia, nec pœnæ frangunt: indomabilis obstinatio est. O pœna terribilis, pœna æternæ prodroma. O Jeroboam, proximus ab interitu es! malum times, non doles de malo: errasti graviter! Timor non prodest: dolor prodest. Conferte consilia prudenculi, ut evadatis, quod metuitis, malum! Non est prudentia, non est consilium contra Dominum: a Domino peti, quod prosit, debet.

SCENA TERTIA.

Abias. Manasses. Aram. Sadoch.

Manasses. Solus gemiscit. Alloquimur. *Aram.* Vir Dei! fructum, quem speravi, alloquium tulit tuum? *Abias.* Nullum. *Aram.* At nobis, antequam tu venisti, addixit pacem, promisit cum Rege nostro inire fœdus, accipere Nadabo sponsam, restituere cultum Dei veri, si modo a te audiret, placatum sic iri Deum, & denuntiatam averti cladem: a te pendere tam grande bonum. Forte austere nimis, ex more tuo, locutus es Regi, ut audire patiens non potuerit? *Abias.* Nempe adulari me illi velles, & dulcibus verbis fallere? Semper sceleratis austera est veritas, dicenda tamen, quia mendacio non juvantur. Vis, ut promittam, mitius acturum Deum, si Jeroboam legi submittat se? Quo auctore promittam? Nuntiare pœnam me jussit Deus; pœnæ gratiam non jussit. Fortasse faciet gratiam: sed quod fortasse faciet, non debet dici facturus certo. Itaque quia nolui dicere, quod dicere non potui: ideo profeci nihil. Alia jam audit consilia, quibus se eximat malo, etiam ringente Deo. Tanta prudentia est. *Aram.* Ergo tu nobis consule. Est dubium grave: Manasses dicat. *Manasses.* Hora abiit, cum venit ad me Zara, & audivi, inquit, ex Nadabo, transfugium te cum pluribus meditari ad Asam, nisi Jeroboam acquiescat Ahiæ: admittite comitem: & me tædet diutius flectere vitulis genu. Gaudebam oppido, nam Zaram ego credidi semper pertinaciter adhærere consiliis Baasæ. *Abias.* Superi! quid audivi? de transfugio rescit Nadab? *Manasses.* Dixi, ut terrerem juvenem, & plurium ex proceribus intentato discessu facilius inclinarem in partes Asæ. *Abias.* Improvide actum est. Nunc intelligo, quid subitus Nadabi adventus velit, quid fratrum Regis minæ, quid insultantium jubilus. Intus sunt: proditi estis, & nisi celeri

vos

vos fuga subducitis, perditi. *Manasses.* Idem dicebat Zara. Itaque ut vidit gaudere me de suo adventu, subjunxit audacior: Quanquam quid ignobilem fugam cogitamus? Possumus facinore glorioso memoriam posteritatis mereri. Quid ita? inquam: impii Regis, ait, familia omnis, Deo judice, rea est mortis. Perimamus! Excogitavi facti modum: certus & tutus est: convoca socios, convenite me domi meæ, docebo seriem. Exhorrui paulum: mox facinus visum est dignum animo heroice pio; condico, spondeo de cæteris: ille domum abit: ego mox ad Aramum. *Aram.* Ego vero in re tam gravi nolui decernere aliquid, donec, quid tu sentias, audiam. *Abias.* Hoc deerat, ut in sceleris societatem etiam Propheta vocetur! *Sadoch.* Scelus vocas, quo scelus tollitur? *Abias.* Tollite scelus! Hoc probo. Sceleratum autem tollere vobis cujus exemplo, cujus præcepto, qua potestate est licitum? *Aram.* dubitabam. Jam quia improbas, cedo statim. *Abias.* Et tu? *Manasses.* Absit, ut meo scelere puniam alienum. Eo, & Zaram moneo. *Abias.* mone cito. Fugere licet, & jam necesse est: hoc mone: procella imminet. *Manasses.* Ipse prospicio. *Sadoch.* At ipsa fuga nonne suspectos faciet? *Aram.* Non tamen reos.

SCENA QUARTA.

Jeroboam. Abias. Nadab. Aram. Sadoch. Ephrem. Eliphaz.

Jeroboam. PErspicua dicitis. Ades Legate inclyte! Sic offers pacem? Hoc fœdus postulas? Nota consilia sunt: corrumpis auro proceres, & transfugas emis. Turbas ut cieas, missus es: hoc est negotium tuum. *Aram.* De quo accusas, Rex? *Nadab.* Nempe de Manasse, de sociis audisti nihil? *Aram* Manasses, Princeps, se ipsum prodidit: adeo sine metu est sceleris. *Abias.* Et tu ægre hoc feras, Rex, si a te tui transfugiunt, postquam tu Deo vertisti tergum? *Eliphaz.* Iste, credo, etiam

defendet rebelles, & violatam laudabit fidem. *Ephrem*.. Hic sermo animum prodit. Rex, fugæ tuorum non modo conscios, sed auctores vides. *Jeroboam*. Quid fugæ auctores vocas? Parricidæ sunt. Asam, Propheta belle! nunquid Asam constituit Dominus Regem, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore? O fraudum artifex! Quod optas fieri, pro oraculo vendis, & clamas: Hoc dicit Dominus! cum dicere deberes: hoc optat Ahias! Nunc audi: Hoc dicit Dominus, si ego te cuiquam transfugii fuisse auctorem comperero, morte morieris in hac die, & in hoc tempore. *Ahias*. Insulta, minare, clama! *Jeroboam*. Bellum, Baasa, bellum decretum est; tibi comitto curam: arma para! In Asam imus. *Aram*. Bene est. Discedere igitur per te liceat, & Regem monere meum. *Jeroboam*. Discede, nuntia!

SCENA QUINTA.

Accedit Baasa, & Ibrahim.

Baasa. REx! Tene hominem: mihi reus est mortis. *Aram*. Gentium appello jura. *Baasa*. Qui contra jura naturæ peccas! Immane scelus defero, consilium abominandum, quod mihi Zaræ servus, quem domi teneo, detexit tempori, servus, inquam, Zaræ, quem ego rebar esse amicum mihi, & in paucis fidelem tibi. Zara, Rex, tibi, & omnibus tuis machinatus est necem. *Jeroboam*. *Nadab*. *Ephrem*. *Eliphaz*. Prô! crudele nefas! *Baasa*. Cum Manasse condixit in domum suam. Plures convenient designaturi, quem quisque suo furori destinet. Nomina non tenet servus: isti scient: neque enim est mihi dubium, quin illi nunquam ausuri fuissent tam tetrum facinus, nisi his consciis & consulibus. *Jeroboam*. Hæc me a meis? A Zara? A Manasse? *Ibrahim*. Venerare jam Prophetam Rex? En

vati-

vaticinii nefasti veritas ad solem patet. Nisi tibi cavisset Baasa; jam eveniret etiam, quod iste, auctorem silens, optavit fieri. *Nadab.* O Baasa omnes debemur tibi! *Jeroboam.* Securos præstas? *Baasa.* Præstiti. Missa est cohors, quæ cingat domum, & vinctos pertrahat ad tribunal. Monitus excubitor omnis, ne aut Legatus Asæ, aut Propheta sinatur exire palatio: captivum utrumque tenes; sontem an insontem ego non dicam: dicent ex vinculis rei. *Jeroboam.* Prospectum bene. Ibrahim, cum Rege Syro est foedus. *Ibrahim.* Nisi tenuisset me Baasa, jam abjissem. *Nadab.* Repente beatus fio. *Jeroboam.* Tractemus intus. Tu cœpta perfice. Armentur cives, urbs tota vigilet, tibi pareant omnes, ne quod gravius se malum moveat. *Baasa.* Rex in me confide! *Abias.* O stulta fiducia! Audi Rex! Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam! *Baasa.* Vos sequimini me. *Aram.* Patebit innocentia. *Baasa.* Precor.

SALTUS.

ACTUS. IV.

SCENA PRIMA.

Ibrahim. Jeroboam. Nadab. Ephrem. Eliphaz.

Jeroboam. SUbscripsi. Ratum sit fœdus, & in sæcula Israëli proficuum! *Ibrahim.* Et Syriæ gloriosum! *Nadab.* Per me nexu non solubili constringendum. Vivat amata sponsa! *Ephrem.* Amor est optimus custos fœderis. *Eliphaz.* Amor sit pro sigillo! *Nadab.* Est felix dies, quæ per tot turbas tandem me voti damnat! *Jeroboam.* Quo difficilius est assequi, quod

quod cupis, tanto est majus gaudium, cum tenes. Fruere diu, posteritatis spes prima meæ! dilecte fili! At tu, Legate, excusa moram, qua ire in fœdus distuli. Vetuere ingens luctus, & gravis timor. *Ibrahim.* Idoneæ causæ sunt: nihil te istud angat. Experiere, quanto præ Asa melior socius, Rex meus sit. *Nadab.* Experiatur hoc perfidus Asa; det pœnas fraudum, & cruenti consilii. *Jeroboam.* Tanti Asam sceleris, & indigni Rege, tamen non damno. Audiendi sunt, qui accusantur, ut pateat veritas. Exhaustus tot bellis populus ægre in novum movebitur, nisi cogat extrema necessitas. Intestinas plus turbas metuo, quam bellum non necessarium desidero. *Ibrahim.* Iterum trepidas? Auxilia Syrorum non sufficiunt, ut satis armatum te credas? *Ephrem.* Tota etiam cum Syria Ægyptus militat tibi. *Eliphaz.* Et tui subditi, si audiant execrabiles dolos, quibus in te, in tuos, in regni viscera cruentam Asa intentat rabiem, non ipsi arma rapient? Non vitam, & sanguinem offerent tibi? *Nadab.* Ipsi ultionem urgebunt ferociter, ne suscipere cogantur tyranni infame jugum. En Baasa subit. *Jeroboam.* Tenes parricidas?

SCENA SECUNDA.

Accedit Baasa. Zara. Milites.

Baasa. TEneo. Aramum & Ahiam honesto inclusi carceri: Zaram & Manassem huc vinctos traho: cæteri, qui sint, intelligere ex ipsis necesse est. *Jeroboam.* Audiantur. *Baasa.* Huc Zaram date! Ego si per te licet, quæstionibus urgebo hominem. *Jeroboam.* Age. *Nadab.* Exultat in pœnas animus! *Jeroboam.* Ego ne, Zara, te in vinculis videam? Te perfidum credam? Non est hic animus tibi: non credo. Servus te accusavit: servile testimonium nullum est. Si errore deceptus, si abreptus impe-

impetu dixisti aliquid, quod sceleri verti possit, fatere: clementem habes judicem, si pro causa dicere aliquid probabile queas. *Zara.* Quem præcipiti judicio jam ante damnasti, irrides tyranne! Si servile testimonium nullum est: cur vincula fero? Sed age, quid vis, ut fatear? *Baasa.* Zara, amicum ut te compellem, hoc tempus non patitur. At si quid olim Baasa potuit, nunc pare consilio: modeste loquere; interroganti fatere omnia, nisi velis, ut ad tormenta appellem. *Zara.* Crudelis proditor! *Baasa.* Glorior hoc nomine, quoniam pro Regis salute fero. *Zara.* Modeste ut loquar, postulas? Moriturus adulari non scit. *Ephrem.* Furit homo! Adora Regem! Majestati inclina te! *Jeroboam.* Sine! Furat furorem suum; extremum solatium est. Tu quæstiones promove. *Baasa.* Ergo, quoniam ita audax es, ut mortem non horreas, non negas te conspirasse in Regis exitium? *Zara.* Fateor. *Baasa.* Fateris, machinatum esse interitum toti familiæ regiæ? *Zara.* Feci. *Omnes.* Fulmina cœlum immane scelus! *Baasa.* Regnum Israëlis tradere Regi Judæ voluisse? *Zara.* Glorior! *Omnes.* Absorbeat tartarus proditorem! *Zara!* Quid exclamatis? Meditatus sum facinus annalibus dignum, & quod mihi nomen æternum ferat. Irascor, quod hodie primum occurrerit cogitatio tam utilis patriæ, tam grata Deo! Jactari pridem in imos maris vortices hauriendus debuit, qui navem ipse hauriendam fluctibus in scopulos navarchus egit! Quis placide navigat, dum clavum Jeroboam tenet? Deprœliantes undique jactant venti: semper procellis tumet eversum mare: fatiscit carina late, & gravem admittit aquarum molem. *Nadab.* Quas tu ampullas projicis? *Zara.* Vin', clarius loquar? Rempublicam Jeroboam perditum ivit: dignus est, ut & ipse intereat. Probat sententiam Deus. Impie! Tot annos servire nos coegisti infamibus vitulis: non prospexisti, fore aliquando tempus, quo pudendi mancipatus nos pudeat? Templum, Sacerdotes, Deum rapuisti: mirum est, si

eripere tibi vitam molimur? Occidisti tot animas: non mereris occidi! Heu! Amice Baasa! quam tu es male de Republica meritus, prodendo consilia tam salubria! Mihi quidem moriendum est: morior lætus, quia in conatu tam pulchri facinoris. At te Baasa, te, si quid pristina amicitia valet, si quis calor in venis bullit, quem sustinet amor communis boni, si qua cura est tuæ salutis, gloriæ, animæ, Dei, te oro, ut exequaris, quod ego impedior. Rex esse potes, & es dignus ut sis, eja assurge! *Baasa.* Rex! Jube, ut homini furioso sacrilegam linguam hæc manus ex faucibus trahat! Nam quousque patiens audies hanc rabiem loqui! *Nadab. Ephrem. Eliphaz. Ibrabim.* Rapiatur ad mortem! *Jeroboam.* Imo tu loquere amplius. Edic, placari tu mihi, & tui possunt, si ego revertar ad Deum Israël, si restituo sacra Patrum? *Zara.* Barbare! Quid verbis blandis sævitiem tegis? Prurit animus in cædem procerum: novi dolos: hac arte participes consilii ut prodam, quæris? Despera! Ex me neminem scies. Expellere hanc animam potes, evertere hunc animum non potes. Occide me! Supersunt, qui vindicent: hoc solatium est. *Jeroboam.* Inane solatium est. Scio miser, in quibus fidas. Auctoritatem sceleri Ahias facit, fiduciam Legatus Asæ! Stupide! Quid attonitus hæres? Negare potes? At jam luit uterque scelus: perjerunt. I miser, vindictam spera! *Zara.* O Cœlum! Quid audivi? Ahias occisus est! Hoc de te Propheta optimus meruit? Imo hoc a Cœlo meruit: Martyr est. Præceptum, si nescis, præceptum a Cœlo accepit Ahias, ut Asam concitaret adversum te: Asa Legatum misit, qui proceres averteret a te: uterque pro Cœlo occubuit: beati sunt! *Omnes.* Tenemus auctores sceleris! *Jeroboam.* Satis est. Tribune, in carcerem trahe! Tormentis efficiam, ut nec cæteri lateant. Adducatur Manasses! *Zara.* Occide omnes! Asa superest! Asa nos vindicabit.

SCE-

SCENA TERTIA.

Manasses. Reliqui.

Baasa. PRudenter implicasti improvidum, Rex, ut mortuos Zara crederet, de quibus, si sciret vivere, nihil esset confessus. Nunc manifesta est veritas, de qua toties monui. *Nadab.* Crudele Cœlum hoc Ahiæ præceptum imposuit? *Ibrahim.* Non Cœlum imposuit, sed in Asæ gratiam Ahias finxit. *Eliphaz.* Propheta præclarus! Vaticinatur, quod facit. *Jeroboam.* Et mihi impostor paratragœdiat minas! Vah! Pudet timoris panici! Sed mors filii credibile vaticinium reddidit. *Nadab.* Scilicet ardua res fuit, prædicere, quod moriturus sit æger, cum jam vix spiritum traheret? *Baasa.* Manasses subit. *Jeroboam.* Manasses, de te interrogo nihil: omnis nota est rerum series. De consciis quæro: cætera jam dixit Zara. *Manasses.* Priusquam respondeam, Rex, scire liceat, cur cum tanto strepitu in judicium rapiar. *Nadab.* Impudens! *Manasses.* Si, quia transfugere ad Asam volui: habetis fatentem reum, & ne timide quidem, quoniam sponte filio tuo Principi confessus jam sum. Si, quia cædem machinatus sum Regi, ut jactari audio, premor innocens, & hæ catenæ injuriam faciunt. *Baasa.* Sero negas, quod confessus est Zara. *Manasses.* Zara, Rex, me incitavit ad facinus. Dubitabam assentiri, hoc non nego: nam, an non facerem obsequium Deo per idololatræ cædem, ambiguus fui. Accessi Prophetam: consului. Cum exhorrens ille execratus est scelestum consilium: e vestigio firmavi in transfugio mentem, & ad Zaram rediens, idem suadere cœpi. *Jeroboam.* Astute. At transfugium probavit Propheta? *Manasses.* Nisi tu ad Deum redeas, aut saltem tuos unum, quem Patres coluerunt, Deum colere deinceps sinas, probavit. *Jeroboam.* Violare mihi juratam fidem? *Manasses.*

Probavit, si servare tibi non possim, quin violem Deo. *Jeroboam.* Reus est mortis: quid vobis videtur? *Omnes.* Reus est! *Manasses.* Quis? Ahias reus? Pavido pectus tremuit metu! Ahias reus, & reus per me! *Jeroboam.* Conjuratum est in nostrum caput: Asa regnat! Tu socios perduelles nomina! *Manasses.* Si transfugere a scelere ad virtutem scelus est morte dignum, neminem nomino. Poenitet de Ahia dixisse verbum! Imprudens lingua! At tu Prophetam verere Rex, si Deum times. *Jeroboam.* At tu transfugii comites numera, si amas vivere. *Manasses.* Silere decretum est. *Jeroboam.* Rape in carcerem, miles! Meditandi concedo gratiam. *Manasses.* Inutilis est.

SCENA QUARTA.

Personæ eædem sine Manasse.

Jeroboam. AHia peris! Suasisse cædem alter, alter fatetur probasse transfugium: utrumvis verum sit, perinde est, scelus est. Asa turbavit aulam, primates allicit, me verbis fallit, est certa res. *Baasa.* Gratulare tibi! Surgit post discussas horrentes nubes sereniore Phoebus renidens ore! Vive! Regna! *Jeroboam.* Per te, Baasa, regno, per te vivo! *Nadab.* Tibi se Nadab debet, tibi se domus regia. *Eliphaz.* Tu nostra salus es! *Ephrem.* Tu servator! *Baasa.* Est felix Baasa, si potuit placere. Adhuc pallesco horrore mali, quod vobis canebat bubo: nunc sibi canat. *Nadab.* Placidum vitæ exitum candidus olor sibi cecinit! Falsus est. Hæc fata falsos Prophetas decent. *Jeroboam.* Asa deceptor, sicarius, proditor! Hæc nomina Regem decent? Baasa, bellum in Asam move! Summum imperium tuum est: I, civibus, fac, ut notum decretum sit. Jam avidi corripient arma, spero, in Regis tutelam sui,

si quam atrocibus sim injuriis læsus, ex te intelligant. In lucum evoca Principes: Ipse adsis cum milite, ego sequar, & sacrificium Diis sospitalibus faciam, quorum beneficio hæc domus, hoc regnum stat. Victimas gratas dabo. Fratres cum tota familia adeste mihi: nemo absit vel Nepos, vel filius: omnes prostitimus periculo, omnes sistamus nos gratos pro beneficio. *Eliphaz. Ephrem. Nadab.* Sistemus. *Ibrahim.* Erit id spectaculum lætum mihi. Interim, si per te licet, Rex, adjungo me genero: nostrum cum bello pariter nuntietur fœdus populo, & felix conjugium. *Nadab.* Nuntietur, Pater! audire, cum prodibo, lubet gratulantium voces. *Jeroboam.* Audies. Probo Ibrahim! O quibus unis me, meosque dedo, facite, ut hoc festum, quod extra ordinem celebro, mihi festivum sit, & turbet nihil. *Baasa.* Ex voto erit. *Jeroboam.* Ne, qui latent adhuc proditores nefarii, in novum se arment facinus! *Baasa.* Meus est omnis miles, Rex, ipsi inermes sunt. Securus ibis.

SCENA QUINTA.

Baasa. Ibrahim.

Ibrahim. SAcrificium parat miser! Sacerdotem se putat fore, & erit victima. Poterat cogitari occasio alia nostris votis accommoda magis? Totam ad Sacra familiam vocat: nemo evadet cædem. Regnabis, o gener meus, regnabis! Laudabit Rex meus factum, & suæ majestatis vindicari contemptum exemplo tam memorabili, multis præconiis efferet. Sed Zaræ quid fiet? *Baasa.* Suspicio hominis fidem. Pro me vincula, & carcerem subit, & audisti, qua contentione caussam pro Asa egerit? Jurasses agi serio, & mortem pro Deo Israël in votis esse. *Ibrahim.* Insignis deceptor est. Quid vero? Non

rursum decipietur a te? Jam eo ventum est, ut periculum sit, ne primus victima vitulo cadat. Non liberabis? *Baasa.* Ultima cura est: graviores me premunt: mihi sum propior. Sed jam omnia plana sunt: crede mihi, verum Ahias dixit. Nunc mihi monendi sunt Principes tribuum, quos omnes auro partim, partim promissis emi. Quisque, quos adduxit ad funebrem pompam milites, jam mihi addixit: Cives belli novi nuntio in murmur, & questus ibunt. Hic tu vide, quid possis præstare. *Ibrahim.* Aures vacant. *Baasa.* Per tuos, passim sparsos, rumorem semina: Legatum Asæ, Prophetam Asæ charum, per injuriam occidi: ultro provocari potentem Regem: bellum nulla necessitate novum seri: alium Regem optandum Israëli, & quæ sequuntur. *Ibrahim.* Sum capax satis. Sic irritatus in Regem populus probabit, quod ages facinus. *Baasa.* Rem acu tangis, & orientem vulgus adorat solem, sive novus ille, sive hesternus fulgeat. Quod si gemere aliquis, aut queri ausit, peribit una: unius pœna gemitus omnes premet: succedet plausus. *Ibrahim.* Sic est: mutatur plebs, & servit tempori: hinc nihil metuo. *Baasa.* Prosperum navis cursum agit: tanti est artem regendi nosse. Vitavi scopulos per ambages: jeci anchoram, ne venti rapiant: viarum compendia ex specula vidi: piratarum artes exploravi per socios: ita in portum venio, & plenis velis in littus tot votis expetitum beatus invehor. Eja urgemus remiges. *Ibrahim.* Celeusma cano.

CHO-



CHORUS II.

Pseudo-Politicorum infelicitas.

Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Isa. 28. *

PERSONÆ.

Pseudo-Politicismus. Cretismus, Syncretismus, Pharisaismus, Herodianismus, ejus Ministri a Plutone ex pacto submissi. Prudentius in subselliis ultimus. Præcipitantia concilii Præses-Ganymedes Plutonis.

Pseudo-Politicismus. AMici! Ex orco redeo. Felix fuit legatio: **
Testis est hæc imago, & superscriptio:
Testes isti comites,
Ad omne opus, quod molimini,
Futuri vobis ministri longe peritissimi.

ARIET-

* *Theatrum exhibet consessum hominum ex omni sæculo.*

** *Media, quibus Pseudo-Politicus uti solet pro obtinenda felicitate hujus vitæ, sunt* 1. Cretismus, *seu mendacium, quo suas spes sustentat.* 2. Syncretismus, *seu adulatio, qua sibi Patronos conciliat.* 3. Pharisaismus, *seu hypocrisis, & simulata religio, qua populi affectum trahit.* 4. Herodianismus, *seu astuta crudelitas, qua, quos obstare suis consiliis credit, perdit.*

ARIOSE.

4. *Ministri.*
Cretismus. Ego Architectus sum:
Syncretismus. Ego Hortulanus sum:
Pharisaismus. Ego sum Piscator:
Herodianismus. Ego sum Venator:
Omnes. Servire vobis, omnium
Unum est officium.

1. *Cretismus.*

Ego Architectus sum:
Aëre in medio
Arces celsas fabrico,
Et scio solidare.

2. *Syncretismus.*

Ego Hortulanus sum:
Vastas *solitudines*
Verbo scio, utiles
In *hortos* commutare.

3. *Pharisaismus.*

Ego sum Piscator:
Hæc si laxo *retia*,
Tota traho flumina,
Et *greges* piscium.

4. *Herodianismus.*

Ego sum Venator:
Si cui fodi *foveam*,
Certum traho belluam
In præcipitium.

Da Capo. Ego Architectus sum: &c.

Præcipitantia. Jo! Socii! Laudemus Plutonis humanitatem! *
Prudentius. Sed cur siles de Parcis? Timeo Dearum severitatem.
Pseudo-Politicismus. Sunt Deæ placidissimæ.
Fila aurea in tempora Nestorea promiserunt producere.

ARIET-

* *Consilio sane præcipiti, & contra dictamen prudentiæ.*

ARIETTA.

Præcipitantia. Vivamus ergo hilares,
Et tempore utamur!
Et bonis, nigræ Charites
Quæ dant, dum ſunt, fruamur!

Repetit Chorus. Vivamus &c.

Prudentius. At tu ſubſiſte modicum; verbum audi unicum:
Deciperis, an decipis?

Pſeudo-Politiciſmus. Quæ tua eſt ſuſpicio?

Prudentius. Sine!... Qualis eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? *
Prô! Atrox aſpectus! ...
Pluto Rex Erebi, hoſtis juratus humani generis! ...
Vah! Inſaniam ſtultiſſimi fœderis!
Hoſti jurato creditis?

Pſeudo-Politiciſmus. Ut hoſtis eſſe deſinat!

Prudentius. Ut naturam exuat!

ARIA.

Quis furor excœcavit?
Quis ſtupor dementavit,
Ut per contemptum legum,
Quas poſuit Rex Regum,
Sis auſus a *mancipio*
Viliſſimo, miſerrimo
Auxilium ſperare?

Cum ſperare felicitatem, invito Deo, inſania ſit, eo quod orcus nec juvare poſſit,

Jam

* *Nam conſideratione matura adbibita, nunquam expedit, eſſe impium.*

Theat. Polit. R.P.Neumayr.

Jam fructum sentes dabunt,
In ficus pullulabunt;
In petra crescet seges,
De spinis uvas leges!
Hic vir, hic artificium,
Hic potuit mysterium
Tam grande indagare!
Ridiculi Prophetæ
Prudentiam stupete!
Ex mala bonum arbore
Prædicit fructum crescere...
Et adhuc te *Politicum*,
Magistrum adhuc temporum
Tu ausis te vocare?

Pseudo-Politicismus. Ergo tu de fide confœderatorum incipis dubitare?*

Prudentius. Et tu, stupide, vim argumenti nondum incipis penetrare?
Vah! Cur absente Prudentio, decreta est hæc legatio?
Meum, meum erat expectandum consilium
Ad tanti momenti negotium.
Nunc quid agam? omnia metuo.**
Terret crudelis superscriptio:
A Parcis nulla est, nisi verbo, data promissio:
Missi a Plutone ministri cur veniunt personati?
Venator, Piscator, Architectus, Hortulanus
Quod dentur in orco, ab orco, quis credat, nisi insanus?

Nisi

* *Nec, si permittente Deo possit, juvare velit, nisi ut gravius noceat.*
** *Nam Media probibita, quæ profutura videntur, obsunt,*

Nisi latrones sint, mentiar!
Sed, sic decipimur, cum non expectato Prudentio
Præcipitantia jubetur præesse consilio.

Pseudo-Politicismus. Fatigas me querelis inanibus.

Prudentius. Nunc saltem, ut malum caveant,
Deceptos monebimus...*

Omnes. Pro Superi! quale spectaculum!

Pseudo-Politicismus. Inferi! Ergo deceptus sum! **
Sera lamenta sunt! Evenit, quod metui.

CHORUS.

Præcipitantia cum suis. Heu! *Erravimus!* ...
Desideravimus
Modis illicitis
Fieri beati!
Erravimus! Nos insensati!

Prudentius. Eja! Adhuc nosti homines adeo tibi deditos?
Ecce adulator Achitophel!
Ecce mendacissimus Joab!
Hypocrita Absalon! Crudelis Abimelech!
Tyrannus Pharao! Inobediens Saul!
Sacrilegus Balthasar! Superbus Aman!
Insatiabilis Cyrus! Blasphemus Sennacherib!
Indomitus Macedo! Ambitiosus Cæsar!
Sanguisuga Nero! Julianus Apostata!

 Quid

* Exhibetur clades male pereuntium.
** *Quod docet omnium sæculorum experientia, jam sine velo allegoriæ patentissima.*

Quid numerem Valentes, Copronymos, Zenones,
Nicephoros?
Quid Stilicones, Eutropios, & Belisarios?
Quid alia mille nomina! ....
Omnes cæperunt *ædificare*:
Nullus potuit *consummare*! ...
Cœperunt hortos plantare:
Nulli fructus maturuerunt! ..
Cœperunt piscari, & venari Cœperunt:
Sed ruptum est rete! ..
Et in foveas, quas foderunt,
Ipsi denique ceciderunt! ..
I nunc, & prædica, quibus polles, consilia!
En ut stat *fœdus cum morte*!
Ut *pactum cum inferno* est firmum!

Pseudo-Politicismus. Vah! Quid patior? Sic orbi prostituor!
Deceptor ubique, & proditor audiam! ..
Juvat publicum fugere,
Et mœrore, ac pudore tabescere!

Ganymedes Plutonis. Tollite venti verba inania! ...
Amice, cur tristem aspicio?

Pseudo-Politicismus. Non vides, quod video? *

Ganymedes Plutonis. Averte oculos! Quid juvat aspicere,
Quod potest affligere?

ARIA.

Quid prodest dolere,
Et tristia flere,
Quæ *alios* opprimunt fata?
Tunc dole, cum oppriment te.

2. Vici-

* *Sed Pseudo-Politicus ab hoc consideratione tam utili abstrahit animum & studiose obliviscitur omnium, quæ possent turbare.*

2.

Vicinos ſi quando
In agros ſe grando
Effundit, & proterit Sata:
Cur ego affligar *de me*?

Pſeudo-Politiciſmus Nempe quod video malum aliis contigiſſe,
Intelligo, etiam mihi contingere poſſe.
Itaque terrent veſtigia,
Et cruciat funeſta memoria.

Ganymedes Plutonis. Morbum detexiſti: affero medicinam,
Ex flumine Lethæo potionem divinam.

Pſeudo-Politiciſmus. Enimvero ſitio. Sudorem expreſſit terribilis viſio!
Sed quis es tu?

Ganymedes Plutonis. Pocillatorem Plutonis ut tu non noveris?

Pſeudo-Politiciſmus. Hem! Oculos faſcinavit terribilis viſio! ..
Amicum, an inimicum Plutonem habeo?

Ganymedes Plutonis. Inimicum? Qui fœdus, quod percuſſiſtis, cupit eſſe perpetuum! *
Adſtringendum arctius amicitiæ vinculum
Mittit hoc Nectar ſtygium:
Et mittet toties, quoties indiges.

Pſeudo-Politiciſmus. Ah! Nunc recordor.
Turbavit cerebrum terribilis viſio!

Ganymedes Plutonis. Sudorem abſterget, oculos ſanabit,
Cerebrum exhilarabit hæc potio...
Bibe, bibe æterna malorum, quæ impendent, oblivia! ..

Pſeudo-Politiciſmus. O potio jucundiſſima!.. Dulciſſima!.. Fortiſſima!.. **

 ARIA.

* *Hinc perſeverat in malitia, quæ eſt infelicitas maxima.*
** *Clauditur.*

ARIA.

Plutonem laudemus!
Plutoni debemus
Et hymnos, & preces, & vota:
Per illum, qua fruimur, tota
Felicitas ſtat!
Cum illo in aſtra
Movebimus caſtra!
Felici pugnabimus Marte,
Si utimur *nobili arte*,
Quam Erebus dat.

ACTUS V.

SCENA PRIMA.*

Ibrabim. Abias. Aram. Sadoch. Tribunus. Milites. Cives. Popæ.

Ibrabim. HAnc ſtationem tenete vobis. Ne quis effugiat, hæc veſtra cura ſit. Irruet Baaſa, cum tempus poſcet. *Miles.* Dedimus fidem, nemo effugiet. *Ibrabim.* Et ecce jam ſacrificio feſta præludit tuba **. Cedite. Nos hic Regem expectamus. En ut ſe volvunt fata. Sacrificium ille, velut periculo defunctus, pectore ſoluto parat, & in ipſum ſe imprudens interitum projicit. . . *** Initium, Tribune, tragicum ad pompam facis. *Tribunus.* Triſte miniſterium invitus facio tam inſignibus viris. *Abias.* **** Superi! quo abripitis?
Aram.

* *Theatrum exhibet lucum.* ** *Sonat tuba.* *** *Iterum ſonat tuba.*
**** *Aperitur altare.*

Aram. Hem! Sacrilegium gentis impiæ! *Sadoch.* Vir Dei! patienter intueri hoc nefas potes? *Abias.* Prô miseri cives! Hoc vobis brutum animal Deus est? iste vos vitulus de Ægypto eduxit? iste ex Pharaonis mancipatu eripuit? Sic sapitis? Resurgat Moyses, exardeat zelo, quo exarsit in eos, qui primi vitulo curvarunt genu. Ingrati! Impii! creditis, scelus vobis impune fore? Hæc dicit Dominus: Audi Israel verbum Domini: percutiet Dominus Deus te, sicut moveri solet arundo in aqua, & evellet te de terra bona hac, quam dedit Patribus tuis, & ventilabit vos transflumen, quia fecistis vobis lucos, ut irritaretis Dominum. *Ibrahim.* Tribune, voces seditiosas ut comprimas, tuum est. Nam quid iste blatero pro Propheta se vendit, qui suum ipse exitium sibi non vidit? *Aram.* Insultas Ibrahim morituris! Hæc est humanitas? *Ibrahim.* Insulto proditoribus, & parricidis. *Sadoch.* Calumniam, cives, insontes patimur. Deus testis, & ultor sit! *Ibrahim.* En intrant testes impudentis mendacii.

SCENA SECUNDA.

Accedunt Manasses, & Zara vincti.

Manasses. HEu me! talem ego Ahiam video! Aramum & Sadoch tales! Date veniam, per Deum obsecro: reus sum vestræ mortis. *Zara.* Et ego reus. At ubi Baasa? *Abias.* Non moriemur, filii! Cessate luctum! verax Deus est: non moriemur. Tyrannum, qui per injuriam nos mortis damnat, tyrannum manet mors improvisa: certum est, quia Dominus locutus est. *Aram.* Sperate firmiter! Spes non confundit! *Sadoch.* Momento se vertit scena, cum Deus Choragus est. *Zara.* Quacunque circumspicio, nullus apparet Baasa. Amicum deserit? Ibrahim, ubi Baasa? *Ibrahim.* Amicum tu

Baasam

Baasam credis parricidæ? sile, & morere! *Zara.* Heu me! si mori hodie necesse est! *Manasses.* Zara! cessas muliebres gemitus! Pro Rege mori quoties visum est gloriosum nobis? quoties appetivimus, provocavimus? Et nunc pro Deo mori, difficile sit? Gaudendum est Zara! Non possumus felicius, non gloriosius mori. Ego, Vir Dei, nolo, ut sis Propheta! Nolo, ut vertat scenam Deus! Moriar! Est felix hora! Moriar Deo saltem, qui tyranno tamdiu vixi, tamdiu vitulo, & conflatilibus Diis. O vita turpis! O mors jucunda! *Abias.* O digna vox boni Israëlitæ! *Zara.* Quousque sileo? .. * Pro! Sonum gravem! Ibrahim, huc Baasam siste! Egone sic misere peream! *Ibrabim.* Parricidæ patronus non est. Rex adest! Acclama civis; vivat Rex! *Omnes.* Vivat Rex! *Abias.* Non vives. Constituit Dominus Regem super Israël, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore! Non vives!

SCENA TERTIA.

Accedit Jeroboam, & Fratres, & Filii, & Nepotes, & Principes.

Jeroboam. Nondum detumuit furor? adhuc Regium sanguinem, sceleste, sitis? Tolera parum: moriere præ siti! Principes, cives mei! Quanto ex periculo vobis servatus sum! Ideo solemnitas Domini est: ite in ordines! .. Ecce hi sunt Dii tui Israël! Flecte genu! Adora Numen! *Abias.* O stulti! Et tu, impie, non refugis scelus repetere? *Jeroboam.* Cruciabo oculos odio me habentium! Adeste filii, Nepotes, fratres, date thura! .. Tu es Deus Israël! Et præter te non est alius! *Abias. Manasses. Sadoch. Aram.* Blasphema vox! *Abias.* O Israël! Aliud inter tonitrua locutus est Dominus, aliud

* *Iterum sonat tuba.*

aliud ſuo digito in tabulis ſcripſit! *Jeroboam.* Serva has tibi tabulas! Nobis melior Deus eſt, qui nullas ſcripſit. Morituris ſolve catenas miles! Huic cadetis victimæ, cui procidere in genua renuiſtis. Irrue in Zaram miles! Primus luat, qui peccavit audacius. *Zara.* Rex! *Jeroboam.* Nihil audio. Jugula! *Zara.* Verbum o Rex! Nihil peccavit Zara! Baaſam time! Baaſa conjuravit adverſum te! Ibrahim teſtis eſt. *Jeroboam.* Quid? Ibrahim? *Zara.* Conſcius, particeps. *Jeroboam.* Audis Ibrahim? Ubi eſt! *Tribunus.* Repente ſubduxit ſe. *Jeroboam.* Curre, ex fuga retrahe! Tu eloquere ſcelus. *Zara.* Prodam, qui me prodidit. Quæ dixi, finxi omnia, Rex, auctore Baaſa: Ego conjuravi adverſum te: Baaſa facit inſidias, affectat regnum: Ibrahim juvat, Rex Syriæ favet: iſti ſunt innocentes. *Abias. Aram. Sadoch. Manaſſes.* Viden', ut mutat ſe ſcena? *Nadab.* Pro! Quod hoc eſt ſubitum malum, Pater? Sponſam, regnum, vitam perdo, ſi verum ſceleſtus dicit. *Jeroboam.* Baaſa, adverſum me? Non credo. Moram latro ſupplicio injicit! Occide miles! *Zara.* Si tibi chara eſt tua, & tuorum ſalus, parce, donec Ibrahim retrahatur ex fuga. *Jeroboam.* Rebellis Baaſa! Quo mihi nemo eſt viſus fidelior? Non credo. Macta! *Zara.* Omnem militem ſuum fecit. Mihi crede, jam imminet tibi! *Jeroboam.* Si verum dicis, ſero dicis: ſi falſum, deceptor es; utrinque reus. Miles feri! *Zara.* Jam imminet Baaſa! *Jeroboam.* Evadere vis! Peri! *Zara.* Præibo ad ſtygem tibi! tyranne contumax! ... Me miſerum! Pro Baaſa morior, qui pro Deo poſſem! crudelis Baaſa! *Heu! *Jeroboam.* Luiſti ſcelus! Miles, Manaſſem rape! *Abias.* Nondum ſapis?

* Strangulatur.

SCENA QUARTA.

Tribunus redit.

Tribunus. Rex! Durus nuntius venio. Ibrahimum tuetur armata manus: non potuit ex fuga retrahi; haud procul ingens apparet agmen, citato accelerans gradu: non dubito, vera dixisse Zaram: Baaſa imminet. *Jeroboam.* Ergo vertatur orbis! Ruant in montes flumina! Aretur Cœlum! Redeat antiquum chaos! Rebellat amicus mihi, alter Jeroboam! *Abias.* Perfidiam perfidia Deus punit! *Jeroboam.* Amici, fratres, filii date conſilium! *Tribunus.* Ego conſulo mihi! Ad Baaſam tranſeo. Jo! Vivat Rex novus Baaſa! *Omnes.* Jo! Vivat Rex novus Baaſa! *Eliphaz. Ephrem.* O Frater! *Nadab. Salmon. Eſron.* O Pater! *Octo Nepotes.* O Patrue, quo fugimus! *Jeroboam.* Improbi! Sceleſti! Infames transfugæ! Sic veſtrum Regem colitis! *Abias.* Sicut tuum tu colis Deum. *Jeroboam.* Hæc fides eſt? Hæc religio juramenti? *Abias.* Pœna talionis. *Jeroboam.* Heu! Video ſcelus meum! Dixiſti verum, Ahia! perii! * *Omnes.* Vivat Rex Baaſa! Vivat! *Jeroboam.* Terribile tormentum aurium! *Nadab.* Heu! Pater! Interitus prope eſt! Ego latebras quæro. *Eliphaz. Ephrem.* Nobiſcum fugite! *Salmon. Eſron.* Ah! Pater! Juva! *Jeroboam.* Vir Dei ſuade! Nunc audio! *Omnes.* Vivat Rex Baaſa, vivat! *Abias.* Vel nunc aſcende, & hoc idolum dejice! Forſan adhuc placabis Deum. *Jeroboam.* Irrides? Nam non in ipſo conatu opprimar? *Aram.* Saltem in conatu glorioſo! *Sadoch.* Saltem pœnitens! *Jeroboam.* Solæ me latebræ ſalvant. Ahia! Orare pudet tot injuriis læſum! Oro tamen: O Verbum Regi durum! Ahia oro, hos meos ſerva! Sunt innocentes: alienum fac, ne luant ſcelus. Ego fugio. *Abias.* Ego ſuſcipio. *Salmon. Eſron.* Nos, Pater, deſeris? *Jeroboam.* Hic eſt Pater. Valete amores mei! Nunc dolor maximus! *Salmon. Eſron.* Cum Patre fugimus. *Jeroboam.* Manete, Jubeo.

* Intra ſcenam.

SCE-

SCENA QUINTA.

Baasa cum suis.

Salmon. Esron. DUrum imperium! *Manasses.* Tutiores estis in isto sinu. *Omnes.* Vivat Rex Baasa! Vivat! *Abias.* Mei ego vos objectu corporis tegam. *Aram.* O Rector orbis! quam nulla est in consiliis humanis fides! *Sadoch.* Minus in sceleratis, in quibus tamen tam multi ponunt fundamentum votorum suorum, velut si sperari felicitas posset aliqua, invito te! *Aram.* Et luunt sæpe insontes filii peccata Patrum. *Abias.* Luunt, ne similiter ut Patres peccent. *Jeroboam.* Heu! Immane vulnus! Telum atrox! *Salmon.* Superi! Hæc vox Parentis est! *Esron.* Ah! Pater moritur! Curramus frater! *Manasses.* Hem! Qualis occurrit! *Salmon. Esron.* O terribilis species! *Jeroboam.* Emissum nescio cujus manu ferale telum cum stridore perrupit pectus: diffregi lignum: cuspis fatalis hæret? Valete! morior! *Salmon. Esron.* O si quis potest, juvate Patrem! *Manasses.* Patere ligari vulnus, Rex! *Jeroboam.* Vos hoc officium! *Aram.* Utinam salutare! *Jeroboam.* Ah! Actum est! *Abias.* Manus Omnipotentis sic ferit, Rex. Agnosce manum! Verere tandem. *Jeroboam.* Sentio manum gravem! *Abias.* Et graves offensas doles? *Jeroboam.* Vulnus doleo! Regnum, amicos, filios, vitam amitti doleo! Cessate inane obsequium. Jam viscera turbat mors. Conspuo inutiles Deos, exitii fontem mei! Amici! Omnia perdidimus! Habe tibi exosam animam vindex Numen! Habe! Crucia! ... *Abias.* Miserere! *Salmon. Esron.* Heu! Heu! *Aram.* Expiravit. *Sadoch.* Finiit vitam. *Abias.* Non finiit pœnas. *Manasses.* O triste funus vel inimici! *Omnes.* Vivat Rex Baasa, vivat! *Abias.* O res humanæ! Huic acclamant vitam, dum iste moritur! *Baasa.* Undique miles cinxit sylvam: Crede Ibrahim! nulla evadet præda. *Ibrahim.*

rahim. En reliquiæ furoris ultimi! *Abias.* Salve flagellum Dei! quousque sævies? *Baasa.* Vos nihil metuite vobis. Odi, quem Deus odit; illum persequor. *Aram.* Jam illum percussit Dominus, & mortuus est. Viden', ut grandi vulnere hiet pectus? *Baasa.* Lætum spectaculum! *Ibrahim.* Applaudite sylvæ! *Omnes.* Vivat Rex Baasa! Vivat! *Baasa.* Quod hoc cadaver? *Manasses.* Miseri Zaræ! *Baasa.* Zara jaces! .. Pro me es mortuus: honorem habes. Tribune, procedit venatio?

SCENA SEXTA.

Omnis Familia. *

Tribunus. AGitantur catuli! Omnes sub ictum venient. *Omnes.* Vivat Rex Baasa! Vivat! *Miles.* Non evadis! *Ephrem.* O mei filii! *Nepos I.mus* O vulnus grave! *Nepos II.dus* At hic saltem asylum erit? *Baasa.* Sistis? Præcipita! asylum nullum. *Nepos III.tius IV.tus V.tus VI.tus* Crudeles! impii! *VII.mus VIII.vus Nepos.* Heu! & hac occurrunt! *Baasa.* Nulli parcite! *Eliphaz.* Ilia perfodit miles. Vale Nadab! *Nadab.* Prô! te video Pater! scindere in partes pectus! *Miles.* Morere! *Baasa.* Cessa! Iste debetur mihi! *Nadab.* En obvium pectus fero! Satia furorem ferox! *Esron.* Heu! feritur frater! *Baasa.* Habet. *Nadab.* Vah! *Baasa.* Accede comes! *Abias.* O cessa tandem! *Baasa.* evadit puer! succede tu! *Salmon.* Obsecro! *Baasa.* Quot numeras Ibrahim? *Ibrahim.* Quindecim funera. *Baasa.* Bis septem volui. Cadaver Zaræ honorem sepulchri habeat: cætera canibus & corvis cedant. Nunc triumpho. In Urbem redeo. Uxor, filiæ, Neptes, & quidquid superest de tyranni sanguine, exitu pari pereant. *Omnes.* Vivat Rex Baasa, vivat! *Abias.* Impletum est oraculum triste! *Manasses. Sadoch. Aram.* Horrenda strages! *Abias.* Sapite aspectu stulti, qui contra Deum sapitis! neminem scelus felicem facit.

* Plerique post scenam cadunt.

CON-

CONSTANTIA
ORTHODOXA
AB
IMPERATORE CONSTANTIO
CHLORO
SAPIENTER HONORATA
TRAGOEDIA
DATA
LUDIS AUTUMNALIBUS
ANNO MDCCXXXVI.



ARGUMENTUM.

Constantium Chlorum, Constantini Magni Patrem, adhuc Ethnicum, cum sciret, multos in aula sua Christianos occulte versari, aliquando cupido incessit, experiendi, qua demum constantia singuli Christum colerent. Ergo solenne Sacrificium Jovi faciendum indicitur, jubentur adesse Proceres, & Duces omnes; si quis obstreperet, *denuntiatur* exilium. Hic, qui Deum minus, quam Cæsarem *metuebant*, abjecta fide, imperata fecerunt: at alii, quibus potior erat Numinis, quam hominis gratia, negaverunt, tanti sibi aulam esse, ut non illa mallent, quam Cœlo excludi. Jamque abibant, cum Cæsar fictione depositâ, laudare constantiam instituit, virosque fortissimos multo cum honore retinens sibi, imbelles illos homulos, quos Sacramentum Christo dictum tam leviter violare non puduit, amandavit a se, sapienter conjectans, facile infideles Principi fore, qui Deo suo fideles non essent. *Baronius ex Eusebio in vita Constantii.* L. 2. cap. 48.

Observationes ex Eusebio, Eutropio, Sozomeno, Baronio, & Forestio.

1. Constat, fuisse Constantium semper Christianis optime affectum; quin affirmant Auctores citati, ipsum ante obitum suscepisse baptismum, & cum Constantinum Successorem nominaret, dixisse: jam libenter morior, quia filium Imperatorem relinquo, qui Christianorum lachrymas absterget.

2. Veri-

2. Verisimile est, hanc Procerum probationem ideo susceptam fuisse, ut Constantino provideret de aulicis, quorum fidei secure posset confidere.

3. Contigisse hoc fingimus eo tempore, quo Constantinus, qui in aula Galerii Romæ educabatur, fuga elapsus ad Patrem se contulit, elusis Tyranni, Juvenem jam tum magnum timentis, insidiis, quas passus est propterea, quod visus sit Christianis patrocinari.

4. Authores, qui dicunt Constantinum fuisse primum Imperatorem Christianum tunc conversum, cum crucem in aëre vidit, nostris Authoribus non sunt contrarii, & facilè conciliantur, si dicamus, quod primus singulari cum cura rem Christianam promoverit, illa visione novum incitamentum addente, & fervorem stimulante.

PERSONÆ.

Constantius Imperator.
Constantinus Filius.
Procopius Constantini Romæ Moderator.
Terentianus Ethnicus, postea Martyr.
Volusianus, Adocetus, } *Christiani occulti.*
Severus, Marius, } *in fide lapsi.*
Joannes, Paulus, } *Filii Procopii.*

PRO-



PROLOGUS.

Genius Romani Imperii a Tyrannis vexati ex indole Constantini Magni adhuc pueri in spes magnas erectus de optimis aulæ Ministris illi mature providet.

PERSONÆ.

Providentia. Genius Romani Imperii. Britannia. * *Ministri.* **

CHORUS

O Tempora funesta!
O strages populorum
Gementium infesta
Sub mole Tyrannorum!
Ah tandem pia sydera
Amœnius lucete!
Pellantur atra nubila!
Disspareant Cometæ!

Genius Roman. Imperii. Tu esto Lucifer, chara Britannia!
In filio tui Constantii
Spes omnis micat reliqua.
Suspicio Juvenis indolem;
Si annuis, vocabo ad regimen.

Britan-

* S. Helena Mater Constantini fuit Brittanna.
** Exhibentur illorum temporum calamitates.

Britannia. Honoras me . . . Sed rogo te,
Festina de bonis Ministris Constantino prospicere,
Ne spes præclaræ suffocentur in gramine.

Genius Rom. Imper. Memorem mones. Scio, quanti referat Principis,
Ut bonis cinctus sit aulicis.

ARIETTA.

Quod capiti sunt oculi,
Quod manus, pedes, corpori,
Hoc Aulici sunt Principi,
Qui in Republica
Est anima

2.

Fac anima sit optima:
Distorta si sunt Organa,
In lippis lippa oculis,
In pede claudo debilis,
In manu arida
Est arida infelix anima.

3.

Sic boni sæpe Principes
De se conceptas fallunt spes,
Si malos habent Proceres,
Quos nempe consulunt,
Quos audiunt.

Sed hoc tu de me noli metuere:
* Ecce! habeo Ministros optimos in omni genere.
Eja! vestra deferte obsequia! . . .
Vin' Politicos? Vin' Milites? Vin' Oeconomos? selige.

Miles.

* Theatrum exhibet armamentarium, & curiam, & ærarium.

Miles. Ecce me! Minister optimus est miles magnanimus.
Politicus. Melior est prudens Politicus: ecce me!
Oeconomus. Ambobus potior est bonus Oeconomus: ecce me!

ARIOSE.

Oeconomus. Ego, ego Principem
Facio amabilem,
Politicus. Ego venerabilem,
Miles. Ego formidabilem.
Oeconomus. Per me dives,
Politicus. Per me felix,
Miles. Per me gloriosus est.
Omnes. Per me Princeps, Princeps est.

2.

Oeconomus. Verba vana sine re!
Quid potestis sine me?
Arma & ingenia
Acuit pecunia?
Ubi fulgor,
Ibi Vigor:
Florent Castra, curia,
Aula, forum, omnia.

3.

Miles. Arma, Arma regiam
Fulciunt potentiam:
Arma pingunt purpuram,
Arma ferunt gloriam:
Quid sunt opes,
Quid decreta,
Nisi illas tueor,
Nisi ista exequor?

4. *Poli-*

4.

Politicus. Quæ jactatis ſinguli,
Solus dabo Principi:
* Hic, hic eſt ærarium,
Hic armamentarium;
Hinc nummorum,
Hinc telorum
Summa in inopia,
Subito eſt copia.

Da capo.

Ego, ego Principem &c.

Gen. Rom. Placet amicum certamen: litem dirimo.
Imper. Nolite dividi animo!
Novo Domino ſimul omnes ſervietis:
Sic opera unanimi Conſtantinum MAGNUM facietis.
Britannia. Ignoſce! Verba placent: rem exigo.
Sintne omnes futuri fideles, interrogo?
Gen. Rom. Imper. Quid ſuſpicaris, & cur?
Britannia. Quid fiet, ſi Miles ſit proditor?
Si Politicus adulator?
Si Oeconomus fur?
Heu! omnia metuo.

* Deſignat cerebrum.

ARIA.

1.

Quis hominum corda ſcrutetur?
Quis angulos mentis rimetur?
Qui ſævius lædunt,
Larvati incedunt:
Eſt aulicæ prima prudentiæ lex:
Sic ſtude ſervire,
Ut putet, ſe ſcire,
Et tamen, quis vere ſis, neſciat Rex.

2.

Hæc, ajunt, eſt ſumma: *placere,*
Et Regem faventem habere:
Nil refert, quid jura,
Quid poſcat natura,
Quid populi bonum, quid gloriæ ſpes:
Rex audit libenter:
Loquamur ardenter!
Si ſuadeo, placeo: Salva eſt res!

3.

O Reges, ſi forte putatis,
Ab his vos amari, erratis:
Ipſimet, quod ſerunt,
Ut inferant, quærunt.
Nil credite verbis; mendacia ſunt!
Frons, oculi, vultus,
Submiſſio, cultus,
Si etiam jurent, mendacia ſunt.

Gen.

Gen. Rom.	Non nego, ita esse, ut dicis: sed quid facias!
Imper.	Prospicere non possumus omnes fallacias.
Britannia.	Hinc est, quod te obsecro, ne præcipitetur electio.
	In tanti momenti Negotio Cœlum consulamus,
	Signum petamus,
	In quo Ministros fideles a perfidis dignoscamus.
Genius.	Probo consilium. * Age templum intremus,
	Interrogemus Oraculum.
Genius & Britannia.	Superi! Quale spectaculum!
	Quæ ruina? Quis Cometa? Quam terribilis crux!
Providentia ex nubibus.	Amabilis, aurea crux! . . .
	Curarum desinite! meus est Constantinus!
	Ego MAGNUM faciam.
	Quid velim, legite, intelligite!

ARIA.

Ego architecta sum,
Quæ in his ruinis
Constantino splendidum
Molior palatium:
Vos fundamento lapides,
Non luteos, non fragiles,
Non molles, non friabiles
Sed solidos requirite,
Et fortiter duratos,
Quos crucis hac imagine
Videritis signatos,
Et prius Numini,
Quam Principi,
Perspicue sacratos,

* *Exhibetur eversum delubrum, & crux in nubibus cum Epigraphe:* In hoc signo. *Item Palatium gloriæ Constantino destinatum.*

2.

His nixa ſtabit fabrica,
Et ſtellis propinquabit:
Et nec procellas nubium,
Nec impetum torrentium
Impulſa formidabit.
Non vento furente,
Non terra tremente
Succuſſa trepidabit:
Nil agent hoſtes machinis,
Nil arte, nil cuniculis:
Fundata in cruce
In gloriæ luce
Æternum perdurabit.

Genius, & *Britannia*. Io! amant Superi Conſtantinum!

Britannia. Beata ſum!
Solutum jam eſt dubium:
Aſſentior; ſit Imperator!...
Sed tu obedi monitis Cælitum,
Nec deſtina Miniſtros alios,
Quam quos probavero ſyncere Catholicos.

Genius. Me mihi rapuit jucundiſſima Viſio:

Imp. Rom. Obedio. In ſigno crucis fiat electio.
Imus! ſignatos requirimus.


ARIA.

ARIA.


Hucusque ego animum,
Induſtriam, Conſilium
In aulicis laudavi:
Plus non deſideravi...
Erravi!
Dos prima eſt Religio,
Quam ego non curavi..
Erravi!

2.

Religio, Religio
Me ſola facit tutum,
Ut ſciam, cui Domino
Stet ſubditus ad nutum.
Non fallit me, qui fallere
Se ſcit non poſſe Deum:
Qui timet, ne, ſi fallat me,
Divino coram Judice
Accuſem olim reum.



PARS



PARS I.

Constantia Orthodoxa tentata.

SCENA PRIMA.

Constantius. Constantinus. Procopius. Joannes. Paulus. Terentianus. Severus. Marius. Volusianus. Adoeetus.

Constantius. O Dies aureo signandus calculo mihi! Te, fili, teneo ereptum tyranni fraudibus felici fuga! Applaudite Proceres! Festus hic dies eat. *Omnes.* Vivite Cæsares uterque felix! *Constantinus.* Procopio me debes, Auguste Parens! Procopius sapiente consilio juventam rexit, & circumspecta prudentia elusit cruentos dolos. Adsum ex mortis faucibus tibi redditus: recipe redivivum, & patrio amplexu stringe. *Constantius.* Totus irrue! o quantus redis! Pericula, quibus objecit te immanis latro, suscepta fortiter, superata feliciter, de te conceptas confirmant spes. Vive! Insiste cœptis, Constantinum te magnum fac! At tu, Procopi, dignum his curis præmium a me spera. Docebo Principes, quantum Ministris debeant, quorum fidei se, ac suos debent. *Procopius.* Auguste, tuus me beat favor. Abunde felix sum, si fidem probavi tibi. *Constantius.* Scio, magna virtus maximum est præmium suum: sed tu, ut etiam virtutem exerceat Cæsar, & gaudio tuo gaudeat, vide, quid tibi, quid filiis petas: quidquid petieris, dabo. *Joannes.* Ego, Cæsar, ut Patri gratulor favores tuos, sic mihi mereri cupio non alienis precibus, sed labore meo. *Paulus.* Idem scio, a me exposcit Pater, infelix nimium, si pro degenere supplicaret. *Constantius.* Sic

Sic placetis; cumulate merita, cumulabo favores: ornamentis meis & suis gloriosa Procopii domus inclytum in longam seriem posteris transmittet nomen. Nunc vos, amici, studiis paribus me & filium ulcisci juvate. Filium, quem honoris causâ, & amicitiæ titulo reliqueram alendum Romæ, scitis, quam sæpe repetierim: num obtinui? Pro obside tyrannus tenuit, pro captivo habuit, insidias vitæ struxit, &, nisi obstitisset Procopius, fraudibus circumventum necasset scelestus: Quid sentitis? Non est digna ultione injuria? Meum haurire sanguinem voluisse Galerium, inultus feram? *Terentianus.* Non est ferendum. Transfer ab innoxiis barbaris in perfidum tyrannun arma: dudum Romani gemunt sub jugo fessi, & expetunt Principem, qui prementem ferociam opprimat. Filium da ducem, Cæsar, nos sanguinem nostrum dabimus, in quo suffocetur bellua, quæ tuum sitiit! Armis plectatur dolus! Justa vindicta est, & bello pio favebunt Superi! *Omnes.* Justa vindicta est, & bello pio favebunt Superi. *Constantius.* Bene est. Ergo placentur Superi, ut auspicatum consilium sit. Filj, tu hodie atlanti fesso commodabis humeros recentes æmulus Herculis: eris imperii collega mei.. Sic redi Romam: intelligat Galerius, quem fecerit hostem imprudens sibi. *Constantinus.* Meus sit labor, Auguste Parens, honor tuus. Te auspice, vindictam illustrem expetam. *Constantius.* Sic decet me, & te. Ite omnes: totis hæc jussa vulgentur castris: solennem exercitus totus pompam apparet! Hic tibi, Terentiane, incumbit labor. Insuper hæc cura esto: Flamines mone, Sacrificium ut parent Jovi: ipse adero, & mecum, quotquot me amant, mei. Solennis gaudii hoc initium sacremus Cœlo: nemo absit! Commune beneficium est, communis sit actio gratiarum. *Terentianus.* At hoc tamen, Cæsar, inutile imperium est: invalescit in dies numerus spernentium Deos, & nescio quem Christum, te indulgente, colentium. Isti ut sacrificent Jovi?

Constantius. Ut vero ausint se mihi opponere? Dissimulavi hactenus hoc sectæ genus, non approbavi. *Terentianus.* Conniventia audaces fecit, & major, quam credis, est multitudo. Experieris, quanti se opposituri imperio sint. *Constantius.* Sic est, experiar hodie. Mandatum repeto, & addo pœnas. Quisquis hodie ex proceribus abfuerit sacrificio, posthac exesto aula, & qua volet, exulet. Non patior contumacem. Ite! Procopi, tu tuis fruere. *Procopius.* Si prius liceat ad te verbum. *Constantius.* Loquere. Turbatum video per hanc sententiam: num Christum colis? *Joannes.* Pater, fateri dubitas? *Paulus.* Christum, Auguste, nos ambo colimus, & nobiscum Pater. *Constantius.* Hem! Ut audaces pueri sunt! *Procopius.* Discedite! Pater jubet.

SCENA SECUNDA.

Constantius. Constantinus. Procopius.

Procopius. Nihil ego tribuo meritis meis, Cæsar, sed gloria mansuetudinis tuæ animat, ut ad te dicere audeam contra te. Quæro, num diem tam felicem nefastam velis? Video innatare te gaudiis, & in luctu intempestivo aulam submergis? Constantine Princeps, hoc tu patieris? Nec intercedes decreto tam lugubri, die tam festa? *Constantius.* Nam quid affligit te? Quid statui adversum tibi? *Constantinus.* Penetrasti sensum viri: promulgatum Sacrificium male habet. *Constantius.* Eccur autem? Num Christo tu forte jurasti fidem? *Procopius.* Vulnus tangis: quanquam non mihi doleo: Christo, & tibi doleo. Ignosce exulaturo, si loquar liberius: Nam ex quo Christum didici, didici, Ministri fidelis hoc primum officium esse, quod alii in postremis habent, dicere Principi veritatem, cum res postulat, & tempus admittit. *Constantius.*

Mihi

Mihi hoc novum est, te Christianum esse. Audio tamen, quia, ut amen, obstrinxisti me tibi. Loquere fortiter; non sum osor veritatis, quam vir sapiens loquitur. Hoc primum declara: potuitne in aula sua cultorem Christi Galerius ferre? *Procopius.* Hoc primum queror: apud Galerium latere potui, nunquam imperatum sacrificium est: apud Constantium, ipsa, qua filium reduxi, hora prodere me ipsum cogor, & exilii audire sententiam. O tristem reditum! Pœne me huc adigis, Cæsar, ut optem adhuc cum Galerio esse. O spem fallacem! Reduxi filium, ut a parente disceret, quanti facienda sit Religio Principi sapienti, quam videbat a rudi tyranno Romæ tot modis affligi: quid experior? Dum advenio, extra Romam invenio Galerium, Constantium non reperio. Auguste, obsecro, quid displicuit tam repente in cultoribus Christi, aut quid in ipso cultu? Cultum exhibemus homini, qui, quod sit Deus, vitæ sanctitate, doctrinæ eminentia, prodigiorum gloria abunde demonstravit. Tu loquere Princeps, quid audiveris Romæ, quid oculis videris, utique argumenta certissima, quod vera sint, quæ de Christo narrantur, cum prope paria in Christi discipulis admiremur. *Constantinus.* Nihil auget Procopius, Auguste parens! Christi cultus facit homines in omni virtutum genere admirandos. Præcepta tenent tam consentanea rationi, ut ex Philosophis nemo vel unum impugnare sit ausus: tam conformia Reipublicæ bono regimini, ut, si serventur, & populus & Princeps necessario felices sint: tam exacta ad normam honestatis, ut vel cogitare de re turpi sit nefas. *Procopius.* Et addunt præceptis consilia, quibus se plurimi promovent in apicem altissimæ perfectionis, unde despiciant cæteros, & velut terræ fungos misereantur. Quid jam de summis Mysteriis loquar, quorum illi fidem quotidianis prodigiis adstruunt? Deum esse unum natura, in personis trinum, alteram ex illis hominem factum, pro nobis mortuum, resurrexisse, venturum judicem,

: quæ ſunt ejusmodi omnem intelligentiæ noſtræ facultatem ıccedentia ita illi prædicant imperterrite, ut nec ſuperbiam egum ſibi obſtrepentium, nec argutias Sophorum contra diıutantium, nec faſtidium hominum animalium ad hæc tam ıiritualia ſe non attollentium revereantur. *Conſtantinus.* Quos ı ſententiis, quæ ſuperant rationem, vincere rationibus non oſſunt, vincunt prodigiis: ad verbum, quo in nomine Chriſti nperant, cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leroſi mundantur, mortui reſurgunt. *Procopius.* Sed quod omia prodigia ſuperat, fortitudo eſt, qua, quod docent verbis, onfirmant ſanguine. *Conſtantinus.* Hic vero, Auguſte, ſtuenda vidiſſes ſpectacula, quæ Galerius exhibuit mihi, ut cruelitate tyranni infamia, ita patientium virtute admiranda. ıdhuc liqueſcit animus cogitatione heroum in tormentis luentium. *Conſtantius.* Vera memorari, negare non poſſum: ıulta, quæ memoraſtis, ipſe conſpexi exempla ſub Maximis, t Diocletianis Cæſaribus: atque idcirco nunquam ſuſtinui perıqui cultores Chriſti: ut tamen probarem cultum unius Chriſti, ondum convictus ſum. *Procopius.* Si non diſplicent cultores Chriſti, cur cultus diſplicet, qui tales facit? Cæſar, tua intereſt, ut laudes etiam. Fideles, ut habeas ſubditos, maxime roceres, non neſcis, quanti referat: non eſt quies animi, non ſt ſalutis fiducia, non Reipublicæ cura felix, cum es ambiguus, n qui te adjuvant, ſervent juratam fidem: Se an te in conſiliis ıuærant: ſolertiam in negotiis imperatis adhibeant: cum hoibus non colludant: non adulentur, ut placeant: non meuant diſplicere, ut proſint: non quæſtui magis ſuo, quam ommodis ſubditorum proſpiciant, in miſerorum ſudore, ac anguine helluantes. Hæc, Auguſte, quam raro deprehendes ıuod fiant: quam raro audebis punire, ſi fiant, niſi certus de ide tuorum ſis? Unde vero ſis certus? Corda non licet ſcruari: deferentium querelas metus aut ſpes ſuffocant: tacent.

At

At nempe jurarunt! Ah! Jurarunt, per Deos ſcilicet, quorum origo commenta ſunt, quorum cultus ſimulatio, quorum laudes fœda facinora, quorum æſtimatio poteſtatis diviſa in multos, ſibique contrarios, ita; ut ſi offenderis unum, opem ab altero ſperes. O miſerum juramentum, invocationi tam inutilis Dei innixum! *Conſtantius.* Patiens ſum: ſed vide, ne Diis opprobrium dicas. *Procopius.* Ultimus ſermo eſt, quo finito in exilium eo. Niſi te diligerem, Cæſar, non loquerer tam audacter: malo id meo facio, ſed bono tuo. Nunc tu juramenta noſtra cum juramentis tuorum compara. Per Deum juramus non ligneum, imbellem, mutabilem, mollem, ſed cujus credimus potentiam invictam eſſe, ſapientiam omniſciam, juſtitiam formidandam: per Deum, quem nemo latere poteſt, cum peccat, nemo effugere, cum peccavit, nemo placare, cum judicabit: per Deum, ex cujus unius favore, ac gratia ſalus & omnis noſtra felicitas pendet præſens æque, ac ſempiterna. Talem credimus Deum nos, qui ſolus vivit, & regnat ſufficiens ſibi, nullius indigus, immortalis, unus Dominus, cujus ad nutum tremit orbis terrarum: talem, talem credimus, per talem vobis juramus, Principes! poſſumusne in oculis tanti Dei fidem fallere? Vivere ſcelerati? Vivere, ut vivunt alii, qui aliud credunt? non poſſumus, Auguſte, niſi fidem abjicimus, non poſſumus male vivere. Et tu decreviſti cogere tuos, ut abjiciant fidem hanc, quæ eſt tam ſancta, & ſanctos facit? Obſecro; conſule ſapientiam tuam, nec a te abige homines, qui neque male de te ſunt meriti, neque, ne aliquando male mereantur, timendi. A præteritis criminationibus innocentes nos probat, a futuris ſceleribus immunes nos ſervat lex, quam profitemur. *Conſtantius.* Præclara oratio, ſed quam ego una interrogatione univerſam confutem. Hanc adeo ſanctam legem, quam ore profitemini, num etiam ſervatis opere? Quod lingua dicitis, num omnes corde ſyncero creditis? Quid humeros contrahis? I nunc,

donec occurrat quid respondeas. Mihi agendum est tecum, fili, quem video mihi aut Christianum rediisse Roma, aut Christianis affinem nimis. *Procopius.* Tuere causam, Princeps, quam Deus jubet. *Constantinus.* Et te tuebor: confide mihi.

SCENA TERTIA.

Procopius. Joannes. Paulus.

Procopius. Dubius hæret animus, quid effecerim. Certum convitium est, quod lingua dicimus, non omnes corde syncero credimus, & legem, quam profitemur ore, non omnes servamus opere. *Joannes.* Pater longum alloquium fuit, num æque utile? Non tibi hæsit lingua terrore Majestatis perculsa? Heu! Si forte timidius locutus es Cæsari, nec pro auctoritatis tuæ gravitate Christi causam es tuitus? *Paulus.* Certe visus es nobis ad exilii sententiam palluisse, quin adhuc pallere videris, quod præter spem evenerit tibi, Constantium fuisse mutatum. Nobis non est improvisa mutatio: instigante Galerio, jam diu urgent inimici Christi: ut inimicum nobis Cæsarem faciant. *Procopius.* Nondum inimicus videtur, imo, nisi me vehementer decipio, idem, qui olim, Constantius est, & eodem affectu. Christi legem non improbat: Christi legem se profiteri jactantium quorundam mores improbat. Ego tanto tempore ab aula procul, nescio, quæ sit vobis vitæ ratio. Docete me, quid observastis? *Paulus.* Tria hominum genera hæc habet aula: aliqui christiani sunt, & non videntur, alii videntur Christiani, & non sunt, alii denique neque sunt Christiani, neque videntur. *Procopius.* Satis dixisti: jam nunc penetro mentem Cæsaris: quartum vult nôsse genus ex illis constans, qui veri Christiani sunt, & videri etiam glorientur. Ergo jam non est latendi tempus: prodeamus in aciem: pugnandum est. *Joannes.* Nihil igitur effecisti? Obstinavit se

Cæsar,

Cæſar, & niſi ſacrificemus, eſt exulandum? *Procopius.* Eſt exulandum. Ceſſiſſe querelis videtur Conſtantius, & vult amandare cultores Chriſti: ne tamen cogatur ejicere multos nimis, ſacrificium imperavit, ut ſynceri diſcernantur a fictis: & metuo, ne obtineat finem, ac pauci exilium ferant. Non vincent periculum, niſi in quibus fides vehementius ardet. Semi-mortua flamma pallentis faculæ non ſuſtinet furentis Boreæ ferocem vim. In Conſtantino ſpes micat aliqua: de illo ſcite, abeſſe parum, quin Chriſti ſit. *Joannes.* Quam magnum narras bonum! Conſtantinus Chriſto hæret! *Paulus.* Salvi ſumus! Reſcindet precibus decretum impium: vincet Patrem. *Procopius.* Aut a Patre vincetur. Spem & metum habeo. *Paulus.* Recenti beneficio, & tam grandi obſtrictus eſt tibi Cæſar, & tu metuis? *Procopius.* Vos hinc concludite, quanti ſit aulæ gloria: vappa, fumus, bulla, inflatum nihil. Ecce dies una Procopium magnum & nullum videt. Quanquam non poſſum fieri major, quam ſi propter te nullus fiam, propter te, Chriſte, qui propter me factus es opprobrium hominum, & abjectio plebis. Habetis imaginem, quam Romam abiens utrinque dedi? *Paulus.* Ex collo pendet. *Joannes.* Ecce Pater! *Procopius.* Promite palam: ſic exigit honor Chriſti, ſic ſalus noſtra, ſic proximi bonum: jam ſine ſcelere non licet latere. *Joannes.* Sed irritabimus Cæſarem: inſultare nos credet ſibi, atrocius furet? *Procopius.* Metuis tibi, cum res agitur? Verba fortia crepabas ante, facta exhibe. Aut utique Jovi ſacrificabis, ne Cæſar inſultare te ſibi putet? Hem falſum me! Tales educavit vos mater, cui tantillos tam ſollicite commendavi, ut curam maſculam in id intenderet, ut a cunis diſceretis pro Chriſto expetere, etiam ſi ſit opus, cruenta certamina? *Joannes.* Quieſce Parens: non defuit officio mater. Qua volet Chriſtus, ferar, vel ſi in ferrum & ignes volet. Nec mea vox timentis fuit: cavebam tibi. *Paulus.* Nempe quia occultare nos Chri-

ſtus

stus non prohibet. Prodibimus in publicum, cum erit necesse. Ordinem tragœdiæ turbat, qui in theatrum prodit, priusquam Choragus jubet. *Procopius.* Nunc jubet Deus. Quid agent milites, si nemo sit dux? Aut exula, aut sacrifica! Est gravis tentatio: quam pauci vincent, nisi exemplum vincentis videant? Videant nos: trahemus cohortes Martyrum, si trahere volumus. Signa tollite! Sequentur nos! *Paulus.* Moves Pater! Pro Christi gloria, pro animarum bono, pro salute mea hoc signum palam affigo pectori. *Joannes.* O signum felix! Pater, sic sentio incendi animum, ut etsi sacrificares idolo tu: si idem frater, & mater facerent, resisterem solus, & verterem tergum Jovi. *Procopius.* Sic places equidem. Tamen metue tibi: non es fortior illo Apostolo, qui eadem pœne jactabat verba: sed cum tentatio præsens fuit, negavit Christum miser, & panico prostratus metu commisit, quod horruit, scelus. Omne a Deo auxilium venit: de nobis speremus nihil, pro nobis omnia, sic vincemus. Quodsi, ut homines sumus, aliquando trepidat cor, prehendite crucem: crucifixus solatium, exemplum, auxilium feret.

SCENA QUARTA.

Accedunt Volusianus. Adocetus. Marius. Severus.

Volusianus. Adocetus. O Jucundum spectaculum! Ergo Procopius Christum colit! Quantum es præsidium nobis! *Marius. Severus.* Et quantum decus! *Marius.* Vidimus, quibus tu præsidiis tuos præpares ad instans prælium. *Severus.* Jucundum spectaculum fuit. Amat nos Deus, qui tantum nobis in tantis periculis misit virum. *Volusianus.* Tu nobis consilio adsis, & filum porrige, quo evadamus ex his erroribus. *Adocetus.* Tu es navita, qui regat fluctuan-

ctuantem inter scopulos ratim. *Procopius.* Si Christum colitis, in eadem jactor vobiscum navi. *Volusianus.* Colimus, quousque licet. Ut semper liceat, tu efficere potenti eloquio potes. *Procopius.* Laboravi: non audit Cæsar. Alio vertenda sunt vela: a precibus ad consilia, a consiliis ad patientiam. Unde venitis? Quo tenditis? *Volusianus.* Auditum est ferale præconium: stat ara Jovi in mediis erecta castris: jam victimæ ornantur, jam Flamines se accingunt scelesto operi: inter Ethnicos plausus est, inter Christianos murmur varium. Nam qui latebant hactenus, jam timent prodi: & qui nihil dissimulanter colebant Christum, timent adigi, ut abjurent: hinc varia consilia, discordes sententiæ. *Adocetus.* Aliis fuga placet, aliis semet sistendi Cæsari cupido flagrat, alios mœror, & horror in desperationis consilia projicit, non nullos solatur spes edicti mitigandi, reposita in Constantino, quem putant Christianis non male velle. *Severus.* Nos ad illum accessum quærimus, supplices futuri, ut saltem executioni moram a Patre impetret: defervet flumen, & frangitur ad obicem fluctus. *Procopius.* Recte speratis patronum juvenem; magnus animus, & indoles placida pronum ad opem spondent, si potest ferre. Sed mihi occurrit aliud, quod juvet suadere insuper. *Marius.* Oracula loqueris, Suade, loquere. *Procopius.* Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Ergo si vultis servare, concordes este: si tueri integram Christo juratam fidem, discordiam fugite: cor unum sit, & una anima, mens una omnium: *Nolo sacrificare.* Atque ut id constet palam, hanc quisque admotam pectori imaginem ferat: nemo, quis sit, dissimulet. Sic quisque se, sic quisque suos conformet nobis. Hoc si consilium placet, ducem me vobis in omnem eventum offero. *Volusianus.* Ah! Nimis audax consilium est: quid hinc speremus? *Procopius.* Alterutrum: vel ut glorioso damnemur exilio omnes simul, vel ut Constantius tot, ac tanto-

rum commotus constantia, urgere imperium cesset, & cœpta persequi. Videtis, ut omnis salus sit in concordia? Ut tot ac tantis se Cæsar una die spoliet viris, tam de se bene meritis, & bene mериturіs? Quid? Non est hoc facinus indignum fide? Sapiens Princeps est, gratus est, bonus est: non potest admittere tam stultum, tam crudele, tam noxium sibimet consilium. Facite tamen fieri, quod fieri non potest, scilicet beati sumus: eadem omnes manet pro Christo sors, gloriosum exilium. *Joannes. Paulus.* Læta sors! *Volusianus. Adocetus.* Dura tamen, & quam natura horret. *Severus.* Ego hanc sortem amo. Vincenda natura est, & urgenda in cautes arduas, ubi virtus palatium posuit. *Adocetus.* Sed quam facile præcipitamur. Videmur sæpe in fastigio stare, cum repente rotans vertigo caput in ima devolvit miseros, contusos undique, & semianimes. *Procopius.* Nisi fallor, amici, isti nutant. Fratres, firmate animos: forti viro ubique est patria. *Marius.* Imo Christiano in terris nulla. In ipsa aula exilium est. *Severus.* Ego impatiens ultimam expecto sententiam. *Volusianus.* Ah! Ista conjuratio in exitium præcipites agit. Quantumvis multi sumus, quadruplo tamen major est numerus Ethnicorum: obruimur. *Adocetus.* Et nescitis, quoties priores Cæsares clade una, cum ducibus milites centenos & millenos in odium Christi jusserint circumfuso exercitu cingi, & telis configi? *Joannes.* Et tu non invides hanc suam istis felicitatem? Pugnans pro Cæsare, spectante Cæsare, occumbis gaudens, si miles es: & moriens pro Christo, spectante Christo mœrere ausis, querulari, gemere! O pectus molle! O virum fœminam! *Paulus.* Non ita ego, quanquam ætate tenerior, & minor robore. Sit mihi cœlum testis: idem est mihi animus, qui olim pueris babyloniis fuit: ardere vivus malo, quam Jovi tantillum granulum thuris dare. *Marius.* Erubescite viri! *Procopius.* Aut dicite saltem, blanditiæ Principis, an minæ terrent? Promittat opes, favorem,

titu-

titulos: nugæ! Hodie fruar, cras moriar: quid mihi hæ ineptiæ prosunt? Minetur exilium, tormenta crepet, mortem intentet: terriculamenta! Nam Deus nempe leviores intentat poenas? Minus, credo, ulcisci potest contemptum sui? Ah! Si quid timendum est, amici, Deum, Deum timeamus! Pellatur timore timor: agnovimus Christum, quid prodest, si non confitemur? Si nobis est gratia Constantii, quam Dei potior? Si ira tyranni, quam Dei formidabilior? Eja! Date nomina! En pugillares! Quem scribam? Catalogus offerendus Principibus est, ut sciant, quos debeant persequi. *Marius.* Ego me dicto. *Severus.* Ego socius sim. Adde Volusianum. *Volusianus.* Siste. Deliberabo, quid faciendum. *Paulus.* Misereſcite Superi! Iste deliberat, sitne Deus deserendus, an Cæsar! *Omnes.* Misereſcite Superi! *Volusianus.* Averte hoc malum Deus, ut deseram te. Promptus est spiritus, sed caro infirma. *Adocetus.* Me pudet mei! Heroës Christi orate pro me! *Joannes.* Orate! Orate! Orantibus robur cordis de coelo venit. *Procopius.* Perstemus; exemplo magis, quam verbis movebimus. Vos, viri fortes, dividite vos: per castra hinc cum vestris ite, nos isthinc ibimus, & quotquot possumus, hortabimur ad constantiam viros, nominaque referemus in pugillares, ex quibus deinde descripta Principibus offeram. Deus eventum, quem volet, dabit. *Marius.* Consilium vere divinum est: ad unguem exequar. *Severus.* Animo altissimis desideriis pleno. *Joannes.* Nos tibi hæremus Pater, quocunque ieris. *Paulus.* In Exilium, in tormenta, in mortem. *Procopius.* In Coelum.

SCENA QUINTA.

Marius. Severus.

Marius. FRater, potuitne fortunatior nobis venire præ ista dies? Tot votis optata se ultro offert occasio emergendi in lucem, & ponendi sedem nobilem in nube vicina Soli. *Severus.* Micat amœna spes: sed nisi cauti sumus, potest illa dissolvi nubes, & in lachrymas fluere. *Marius.* Omnia favent, excepto Christo, quem quidem haud lubens desero: sed quid agam? Necessitas cogit, & honoris, spei, ac familiæ ratio: aliter me non extrico. *Severus.* Nullum est dubium: nam Procopius firmabit exemplo plurimos, qui sine ipso defecissent: & horum nos officia, dignitas, bona manent, si obedimus. Constantinus me tamen terret: nam si, quod ajunt, Christicolis favet, an favebit deserentibus Christum? *Marius.* Justa facto asserenda est causa. Catalogus, quem meditatur Procopius, conjurationis speciem exhibet: utilis explicatio est, cui Terentianus pro suo in Christum odio facile pondus addet. Unde accedendus est ipse prior, & ante Cæsaren. *Severus.* Diceres aliquid, nisi nostrum etiam nomen in Procopii catalogo foret. *Marius.* Umbram metuis: debuimus simulare constantiam, ut essemus consiliorum participes, quæ celasset nos utique, si esset suspicatus apostatas. Sed properatione est opus, ne Volusianus & Adocetus præveniant. *Severus.* Accurate providus es. Certe illi vehementer dubitant, quo se acclinent. Nisi festinamus, priores ad Cæsarem venient, submittent Imperio caput, præripient speratos honores nobis: nam magna est Principum, & studiose affectata lætitia, si certare videant proceres, quis prior obsequium faciat. Imus. *Marius.* Audi: Una tamen se opponit anxietas, & cor meum me exprobrat mihi: quantum est facinus, quod committis? *Severus.* Scrupulus est. *Marinus.* Hypocrisis, Apostasia, perjurium, calumnia, homi-

homicidium est. *Severus.* Sed expedit. *Marius.* Alios per fortitudinis simulationem forte confirmavimus in sancta fide, & nos a Deo recedimus perfidi? *Severus.* Modo expediat. *Marius.* In Principis gratiam abdicamus nos jure Cœli! *Severus.* Servimus tempori. Quamdiu expedivit, servivimus Deo; nunc cùm expedit servire Principi potiùs, noli credere, ægre ferre Deum, deseri se. Bonus est, amat nos: non exigit igitur, ut propter ipsum negligamus nos; non audis clamantem Christum, expedit vobis, ut ego vadam! Quid interest verò, ipse, cum expedit nobis, a nobis abeat, an nos ab ipso? Nunc occasio est, per aliorum casum nos evehendi, quæ si elabitur, quando se offeret alia? Occasio redeundi ad Deum multiplex veniet. Potest se mutare Constantius, & sicut hactenus Christianis favit, ita aliquando ipse ad Christum converti: & tum revertemur cum ipso in viam. Potest Constantinus, cum erit successor, Patris decreta abrogare, & restituere fidei libertatem; en nova pœnitendi occasio: denique quid quid futurum est, nunquam futurum est, ut me non possit hujus perfidiæ pudere, & pigere. *Marius.* At nempe non quid quid fieri potest, futurum est etiam. *Severus.* Fortasse tamen. *Marius.* Fortasse non. *Severus.* Cessa has argutias. Quod decrevimus, scelus est, sed scelus utile; fruamur, dum prodest. Cum cessabit esse utile, tum execrabimur, & salvi erimus. *Marius.* Prope invitum trahis. Si malum nostra consilia sortientur exitum, tua sit culpa. *Severus.* Mea sit. Faciamus hodie, quod placet Principi: quod Deo placet, satis mature fiet, si fiet olim. *Marius.* Heus o bone, ita loqueris, velut nihil audisses unquam de lege Christi: horror est vel audire. *Severus.* Delicatas tu habes aures: sed audies suavius, cum assueveris sono. Audacter opprime latrantem cerberum: audaces fortuna juvat: neque primi sumus, neque postremi erimus, qui per hanc viam ad alta gradimur: trita est satis. Quod si te consilii pœnitet, vale,

ſolus ibo, quo beata me vocat ſpes. Tu vero in exilium ibis, ubi quid te cum tuis expectet, attende diligentius. Nempe aut fodere debebis, aut mendicare, quid reſolvis? *Marius.* Utrumque difficile nimis, & dedecoris plenum: neutrum poſſum: jacta eſt alea, ſequor te. *Severus.* Sic te amo. Ad Terentianum cito; doceri debet, quid fiat. *Marius.* Miſerere mei Deus! me uxoris, filiorum, mei ipſius miſeret: cogor hoc malum facere. *Severus.* Eſt malum bonum.



CHORUS I.

Pœna Principis maxima, Miniſter improbus, demonſtrata in Rege Achabo, quem Deus in pœnam ſcelerum malis Miniſtris decipiendum permittit. *

PERSONÆ.

Michæas. Angelus Dei Judicis Vicarius. Spiritus mendax. Nuntius. Chorus Angelorum percutientium. Præcones.

Præcones. Ad judicium! Ad judicium!
Michæas. Heu! Quo rapior? ubi ſum?
Præcones. De Achabo ſumendum eſt ſupplicium!
Adeſte Angeli vindices!
Quid quid malorum aut tellus, aut orcus parturit, congerite!
Ad judicium! Ad ſupplicium!...

Ange-

* *Theatrum exhibet ſolitudinem, in qua Michæas Propheta in extaſi. Ejus viſio* 3. Reg. 22. *Sic narratur. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum Cœli aſſiſtentem ei a dextris, & a ſiniſtris.*

Angelus Vicarius. Fidele satellitium! *
Decretum est, non ultra parcere.
Quem mittam: & quis ibit,
Qui impium percutiat? qui perimat?

CHORUS.

Ecce ego! mitte me!
Ego vindicabo te!
Nutu jube! Prompti stamus,
Verbum oris adoramus!
Dicis: vade! Vadimus!
Dicis: fac hoc! facimus

Angelus Vicarius. Placet obedientia
Sed pœna decreta est longe atrocissima:
Putatis, quod sufficiat aliquis vestrûm, ut exequatur,
Quod rigidissima
Exposcit justitia?

ARIOSE.

Angelus percutiens. 1. Quid? . . . Si, qui olim Sodomam
Combussi, nunc Samariam
In cinere sepeliam?

Angelus Vicarius. Non est par pœna sceleri:
Atrociorem statui.

Angelus percutiens. 2. Si ego nubes auferam,
Et nullam fundam pluviam? *Vicarius.* Non!

Ange-

* *Et ait Dominus: quis decipiet Achab Regem Israël, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galaad?*

Angelus per- Si ego ripas tranſeo
cutiens. 3. Effuſo cum diluvio? *Vicarius.* Non!
Angelus per- Si ego urbes diruo,
cutiens. 4. Et ſumma imis miſceo? *Vicarius.* Non!
Non eſt par pœna ſceleri;
Atrociorem ſtatui!
Angelus per- Ergo ego me jactabo:
cutiens. 5. Fame regnum devaſtabo. *Vicarius.* Non
Angelus per- Ego peſtem inferam! *Vicarius.* Non!
cutiens. 6.
Angelus per- Ego bellum faciam! *Vicarius.* Non!
cutiens. 7.
Non eſt par Pœna ſceleri:
Atrociorem ſtatui!
Angelus per- Nos vero triumphabimus! ...
cutiens. 8. Dum corpus cruciabimus! ...
Angelus per- Renes urat calculus!
cutiens. 9.
Angelus per- Exta rodat volvulus!
cutiens. 10.
11. Pedes liget Podagra!
12. Carnem vorent ulcera!
13. Febris pectus torreat!
14. Pulmo tabe putreat!
15. Cibus gravet ſtomachum!
Omnes. Nullum ſit remedium!
Angelus Vi- Non!
carius. Non eſt par pœna ſceleri:
Atrociorem ſtatui!
Omnes. Ergo Ægyptiacas
Plagas repetamus!

Ange-

Angel, percut. 1. Meridiem in tenebras
Cimerias vertamus!
2.*dus* Fontes, lacus, flumina
In ſanguinem mutemus!
3.*tius* Muſcarum mille genera
Ex aëre creemus!
4.*tus* Ex terra adſint ſciniphes!
Locuſtæ producantur!
Omnes. De Cœlo ruant grandines,
Et fulmina labantur!
Necentur Primogeniti!
Sic eſt par pœna ſceleri!
Angel. Vicarius. Non eſt par pœna ſceleri:
Atrociorem ſtatui! ....
Quieſcite! Et quid velim, intelligite!

ARIA.

Sunt graves iſtæ pœnæ,
Sed adhuc melle plenæ:
Sic punio, cum moneo,
Et diligo, cum punio:
Eſt pœna medicina,
Quam Bonitas divina
Propinat ægris animis,
Ac nondum deſperatis:
In fundo latet calicis
Spes certa ſanitatis.

2.

Sed aliæ ſunt pœnæ
Occulto felle plenæ:
Cum plecto, & qui plectitur,
Se plecti non aſſequitur:

Cum desero peccantem:
Nec corrigo errantem:
Cum sino ut consiliis
Se suis ipse regat:
Aut impiorum placitis
Conformem vitam degat.

3.

Hæc pœna est horrenda,
Hæc una metuenda:
Sic punio, ut puniam,
Et non, ut reum corrigam:
Sic miser lætus erit,
Qua ipsa hora perit.
Sic solent ante tonitru
Jam fulmina ferire:
Et perit absque strepitu,
Quem volo sic perire.

Et hæc est pœna, ad quam condemno Regem impium,
Quem projeci a facie mea, velut miserationis indignum:
Puniatur! . . . .
Sed ut non sentiat se puniri, decipiatur,
Ne forte convertatur.

CHORUS.

Terribile judicium! . . .
Sed justum est supplicium! . . .
Decipiatur!
Ne forte convertatur!

Angel.

Angel. Vicar. At jam, quis decipiet, ut ascendat,
Et cadat in Ramoth Galaad?
Permitto potestatem: do plenam facultatem!
Spiritus mendax. * Ego decipiam illum, Ego, Ego!
Angel. Vicar. In quo decipies?
Spirit. mend. Egrediar, & ero spiritus mendax
In ore omnium Prophetarum ejus.
Promittent illi contra Syros victoriam: credet!
Veriora dicentem non audiet: cadet!

ARIA.

Sat exploratam habeo
Naturam Principis:
Non erit opus studio,
Est falli facilis.
Superbus est, & credulus,
Ac sui Capitis:
Cupido, spes, ac impetus
Sunt a consiliis.
Quod optat, credit fore:
Quod credit, uno ore
Ministri omnes approbant,
Et suis vota animant
Insana calculis:
Est falli facilis.

Angel. Vicar. ** Video, Aula Achabi est tibi nota penitius:
Decipies, & prævalebis! Egredere, & fac ita.

* Egressus est autem Spiritus, & stetit coram Domino, & ait: ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait: agrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.

** Et dixit Dominus: decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.

CHORUS.

Terribile judicium!
Sed justum est supplicium:
Decipiatur!
Ne forte convertatur!

Michaeas. Heu triste oraculum! Princeps miserabilis! . . . .
Decipiatur, ne forte convertatur!
Sententia terribilis! . . .

Nuntius. *Michæa! Rex meus te jubet venire:
Si vis, in gratiam potes redire.
Oravit pro te Rex Juda Josaphat,
Qui cum ipso descendet contra Syriam
In Ramoth Galaad.

Michaeas. Et quid a me postulatur?

Nuntius. Oraculum, quo victoria promittatur.
Ecce! Sermones Prophetarum ore uno
Regi bona prædicant;
Sit ergo sermo
Tuus similis eorum,
Et loquere bona.

Michaeas. *Vivit Dominus,*
Quia, quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.
Præcede: ego sequar te.

ARIA.

O Deus! terribilis Deus! . . .
Turbatus est animus meus! . . .
Mysterium horribile!
Cum parcis, punis maxime! . . .
Timendus es præcipue,
Quo non timeris tempore:

Et

*Nuntius, qui ierat, ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens &c.

Et virga quem non flexeris,
Rompheæ virum subjicis
Domine!
Ab hac Misericordia
O Domine! me libera!

2.

Sed bene! meretur perire,
Qui grata a suis
Quam vera a tuis
Ministris malebat audire! ...
Posteri sapite!
Deum metuite!
Felices vos esse putatis,
Cum Deus connivet, erratis! ...
Si subtrahit bona monentes,
Nec abstrahit mala suadentes,
Exitio proximi statis.



PARS II.

Constantia Orthodoxa probata.

SCENA PRIMA.

Constantius. Constantinus.

Constantinus. ITA, Auguste Genitor, explicavi me tibi totum, quoniam sic urgebas. Hoc habe breviter: Roma, parum abest, quin Christianum me fecerit: itaque amo homines, & ne persequi velis, iterum oro. Si audiri non mereor, abdica filium; grave est, sine Procopio vivere, in exilium cum illo ibo. *Constantius.* Video te fervere, Confide,

magna voluptas est mihi, audisse te, & qui sis, jam penitus nosse. Roma pœne Christianum te fecit! Admiror potentiam Christi! Nam ego toties te mihi reducem volui, non tam ut facerem collegam imperii, quam quod metuerem, ne odisse Christianos in consortio tyranni disceres. Didicisti amare: laus Christo sit, & post Christum Procopio, cui præter cætera, non dubito, quin hoc etiam beneficium debeas. *Constantinus.* Beneficium vocas, & benefactorem expellis? Ah! Illudor! *Constantius.* Diffidere Patri cessa: explicasti te mihi, explicabo me tibi. Audi solers. Hoc primum scito: si tibi est animus Christum sequi, nil me oppono, probo insuper, quin & præibo. *Constantinus.* Sic sperabam equidem: sed aliud hæc jussa probant. *Constantius.* Non possis patiens audire me? Crede fili, plures uno, non credo Deos: unum adoro: nam uni me soli totum debeo, scio. *Constantinus.* O Superi, quod gaudium audio! *Constantius.* Non sum ita insipiens, ut opinari hoc possim, quod me pluribus debeam. Quod enim signum, quæ ratio est, quæ saltem species argumenti? Ut sim, quod sum, potuit unus facere: certe. Aut si non potuit, apage miserabilem Deum! Si vero me facere unus potuit, utique unus fecit: nam qua prudentia adscivisset alios in societatem operis, quod poterat solus facere? Forte, ut citius, ut sapientius, ut facilius faceret? Indigna homine cogitatio. Ego sic persuasus sum: qui Deus est, unus sufficit ad omne opus, & qui non sufficit, non est Deus, proinde aut nullus est Deus, aut unus solus. *Constantinus.* Quam me recreas hoc sermone! Si tamen sentis, ut loqueris, quare, quem credis unum, unum non profiteris? Cur dividis in ea cultum, quæ non sunt Deus? *Constantius.* Absit, ut faciam, quod me arguis. Jam diu nostris nullum exhibui cultum Diis: ut alii colerent, toleravi. Nam ut aris dejicerem, quo fructu tentarem in tanta multitudine devotorum? Tibi reservatur hæc glo-

ria,

ria: tu, nisi me animus hic tuus fallit, primus eris Imperator, qui eversis profanorum Numinum delubris, templa Dei unius consecrata honoribus ubique terrarum substitues. O cresce in spes altissimas, in quas es natus. *Constantinus.* Utinam vates sis! Sed quis sum ego, ut tanto operi me putes parem? *Constantius.* Solus non eris par: cum tuis eris, sed scilicet cum selectis. Nescis, quid possit Princeps cinctus selectis proceribus. *Constantinus.* Auguste, quo evagaris? Scilicet ut distrahas mentem in curas alias, & a cura Procopii avoces? Ah! Si tanti momenti est, selectos habere proceres, cur aufers hodie? Tune meliorem Procopio dabis? *Constantius.* Aut ipsum, aut meliorem. Per Ambages deducendus es in penetralia paternæ mentis, ut via planiore pervenias. Perge ire. Selectis cum proceribus prope omnipotens Princeps est: nihil est illi difficile, quia nunquam deesse possunt, qui suppeditent media: nunquam, qui feliciter applicent. Hoc unum est difficile Principi, ut hæc selectio, quanti momenti est, tanta cum cura fiat. Ego duo tibi Præcepta trado. Inter Ethnicos & Catholicos aliquamdiu vivendum est tibi: Ethnicos noli offendere, hoc primum est: Catholicos stude colere, hoc est alterum. Ethnici ad fidem invitandi sunt, non pertrahendi: patientia! Exemplo, promissis, benevolos facies, ut tractabiles sint ad salutem. Quod si Catholicos præcipuo honore colis: si præ aliis evehis: si familiarius uteris: quantos viros superstitionibus subtrahes, primum quidem illectos spe bonorum, quæ ostentas: sed mox percepta legis Christi dulcedine, non ficta fide adhæsuros Deo, quem colis. Atque hac arte efficies, ut ex utraque gente optimi quique ipsi se seligant, & certent adjungi tibi. *Constantinus.* Sed jam in ipso certamine difficultas se ingeret, ut optimos discernam a reliquis: nam & illud occurrit, fieri posse, ut optimos putem, qui pessimi sunt. *Constantius.* Tangis punctum: adverte igitur. Tres ego in Ministro

nistro dotes requiro: sit peritus in negotiis officii, quod ei committis: sit industrius in executione imperii, quod imponis: sit prudens, possitque sibi & tibi consulere in eventibus non prævisis. Tales omnino nautas sapiens gubernator seligit, nisi velit a turba remigum in syrtes & scopulos trahi. *Constantinus*. Experimenta peritiæ, prudentiæ, industriæ ut ego capiam, priusquam seligam, quo modo id fiet? *Constantius*. Nempe documenta a puero dederint, aut aliorum testimoniis credes: utrumque obnoxium fallaciæ est. Itaque tribus his, ut addatur dos quarta, curabis, nempe fidelitas: fidelis qui est Principi, neque acceptabit officium, ad quod est ineptus; neque si acceptavit, fungetur neglectim. Nunc propius in nostram rem. Si infidelis minister sit, etsi cæteris dotibus polleat, quam sit perniciosus, satis, opinor, ipse intelligis. *Constantinus*. Satis, omnino. Quin quo quis officii peritior est, eo tutius fallet: quo prudentior, eo nequius consulet: quo magis industrius, eo cautius laborabit pro se. Sed quid agas? Ut scirem judicare de fidelitate hominis, cor inspicere deberem, & Deus esse. *Constantius*. Aliud est medium super. Quanquam si eligis Ethnicos, fateor, nulla te documenta securum fidelitatis præstabunt: mutantur etiam constantissimi, si nihil est intus, quod tenet. Hinc monui, ut vel Catholicos eligeres, vel faceres. Huc igitur, si vis optimos, huc confer industriam, & experimenta applica, ut scias, num syncere in Christum credant. Si mores exhibent vix diversos ab Ethnicis; si fidem venalem habent, parati mutare, cum expedit statui: hos tu scito, cane pejus & angue vitandos esse. Neque enim sapienter credere potes, illos tecum verecundius agere, quam agant cum Deo. Jurant fidem tibi: per quem jurant? Per Deum nempe. Ergo si Deo non servant fidem, per quem jurant, num credendi sunt servaturi tibi, cui jurant? *Constantinus*. Penetro argumenti vim. Vis igitur, ut, an fideles sint

mihi,

mihi, ex moribus arguam: si timent Deum, si horrent offendere, si plus reverentur, quam me: his me tradam, his tuto utar: secus a me pro perfidis abigam. *Constantius.* Prorsus ita ut sit hæc tua in observandis Ministris regula: *Non est fidelis Principi, qui non est Deo.* Jam hoc ut scias, an teneant Deo fidem, interdum tentandi sunt. Modum exemplo doceo. Nondum probas? *Constantinus.* Sacrificium intelligis? *Constantius.* Ipsum. Si sacrificat Ethnicus: tolera: nunquam juravit fidem: si Christianus, violavit juratam fidem: ejice! Novo Cæsari novos proceres adjungi ex optimis volo: hic modus noscendi est. Placet tandem? *Constantinus.* Suspicio sapientiam, & curam paternam æstimo. Sed heu me! Si victus exilii metu Procopius sacrificet Jovi! Illumne a me dimittam? *Constantius.* Frustra times. Si Procopius dignus est, ut ametur, Christo servabit fidem: si non est dignus, amare cessa. Hodie documentum dabit. Tu confirma te, compone vultum, urge imperium: quo eris magis serius, hoc gloriosior est Procopius *Constantinus.* Confido virtuti viri. Quid tu petis Terentiane? Tempus sacrificii est?

SCENA SECUNDA.

Constantius. Constantinus. Terentianus. Severus. Marius.

Terentianus. TEmpus est: parata sunt omnia, Cæsares, præter illos, qui deberent peragere. Atque hoc questum venio. Imperium totis castris insonuit præco: nuntiatus est adventus Principis: promulgata denuntiatio belli inferendi tyranno, & decreta electio in collegam imperii: applausum est clamore concordi. Verum ut sacrificium indictum est, cum intentata se subtrahentibus exilii pœna: varium murmur fuit, & scilicet, quod prædicebam, tumultuatum est,

laudantibus aliis, aliis non obscure reprehendentibus religiosum imperium. Ex cujusque vultu conspexissetis, quis Diis, quis Christo addictus esset: tantum repente discrimen fuit. Et abibant catervatim dejectis oculis, corrugata fronte, inter se mussitantes, & conferentes capita, in nescio quale consilium. Admonui duces, ut caverent, ne quid turbaretur: sed nec ab his quidem eodem oris habitu auditus fui. Ergo propere ad vos redeo: hic audio novum malum: Procopium etiam cum Christianis sentire. Expallui ad viri nomen, nam & affinis est meus, & amicus olim in paucis charissimus. Gemui, & mecum tacitus: qua res evadet, ajo: Procopius Christianis favet! Quantus vir! Verbo, exemplo animat, ne obediant Cæsari! Heu! Ducem habent: quid restat, nisi ut habeant Cæsarem etiam! Ita dum queror, subjungitur mihi: & habent Cæsarem, nam Constantinus (ignosce Princeps, audita narro) Constantinus a Procopio perversus odit Deos, Christum amat. *Constantinus.* Hoc de me? Quis? *Terentianus.* Marius & Severus omnia. *Constantius.* Marius & Severus non & ipsi adhærent Romanis sacris? *Terentianus.* Puto, adhæsisse. Pœnitere videntur: nam ab illis tota narratio est. Audire ipsosmet placet? Avide expetunt: expectant, dum vocentur. *Constantius.* Voca. Fili, nosse animosincipe: en se produnt. *Marius.* Prostrati ad sacros pedes rogamus veniam diri criminis, cujus nos sistimus sponte reos, sed pœnitentes. *Severus.* Et execrantes temerarium facinus, quamquam ab invitis commissum. *Constantius.* Clementes habebis judices, si narratis fideliter, & syncere damnatis. *Marius.* Damnamus! Hæc causa impulit, ut ausi simus sperare veniam, quia pœnitet facti. *Constantinus.* Cujus, & a quo facti? *Severus.* Conjuratum est. *Constantius.* Conjuratum? Ubi? quando? adversum quem? Quo auctore? *Marius.* Narro seriem. Colebamus cum pluribus Christum, non ita pertinaciter tamen, ut vellemus nos opponere Cæsari. Itaque cum promulgatum sacrifi-

cium

cium est, & murmurarent alii adversum vos, agitarentque consilia Majestati periculosa, clam a turba discessimus, ne involveremur maligno consortio. Vitavimus charybdim, incidimus in scyllam: euntibus obvius Procopius cum filiis fuit: pendebat singulis ad pectus crux, & animabat filios Pater ad fortem contumaciam. Stupuimus: nec enim scivimus antea Procopium Christianis favere, cum ille ad nos conversus, voce imperiosa, Christiani estis, inquit: inquietum animum ex vultu colligo: turbavit edictum Cæsaris. Nos siluimus, nec enim negare licuit, quod frons, oculi, tota facies garriebat. Ergo instare ille, animare ad pugnam, hortari ad constantiam, institit tamdiu, ut tandem victas dederimus manus, & promiserimus audire consilium. *Severus*. Sed ficta promissio fuit, ore facta, non mente, ne crederet, a nobis proditum iri, quod molitetur. Continuo, quid vellet, exposuit: castrorum partem, qua circuiremus, designavit: alteram jam circum cursat ipse, ut quotquot potest, firmet in cultu Christi. Singulorum nomina collecta vobis deferet, credo, ut multitudine se opponentium territi cessetis urgere imperium. Vos an non hic aliud malum lateat, attendite Cæsares: vir potens est, & amatur. Nostrum hoc scelus unum est, quod in rebellium catalogo post Procopium passi simus, nos primos scribi. *Marius*. Aboleat hanc culpam pœnitentia celeris, quam videtis nos primos agere. *Severus*. Tenete iram, cum legetis nomina deprecantium scelus. Nos fidem servamus vobis. *Constantius*. Simulata pœnitentia est. Si vultis, ut credam vobis, sacrificandum est Jovi. *Marius*. *Severus*. Sacrificabimus! *Constantinus*. Sacrificabitis exilii metu, Jovi ad speciem, revera Christo. Nam, quod qui serio semel juravit Christo, & fidem tenuit, abjuret serio, Auguste Pater, ego non credo. *Marius*. *Severus*. Per Jovem juramus serio, non credimus Christum Deum, non colimus Dominum. *Constantinus*. Jurastis cultores esse,

Marius. Severus. Pœnitet. *Constantinus.* Cur pœnitet? Malum aliquod Christus fecit? *Severus.* Nullum fecit: faceret, nisi ab ipso deficientes rediremus ad Jovem, faceret enimvero grande malum, cum exulare a vobis cogeret. *Constantius.* Si tamen credidistis, Christum Deum esse, defectionem ne vindicet, non metuitis? *Marius.* Deum credidimus, non credimus modo! *Constantinus.* Eccur credere jam cessastis? *Severus.* Quia non expedit credere, cum prohibet Cæsar. *Constantius.* Plus ergo me timetis, quam vestrum Christum? *Marius.* Et plus amamus. *Constantinus.* Sed audio, pænas æternas intentari deserentibus Christum; non timetis? *Marius.* Cum desinimus Christum credere, etiam credere infernum desinimus: nullus est. *Constantinus.* si tamen est infernus, num ideo cessabit esse, quia vos cessatis credere? *Severus.* Equidem si est, non cessabit esse: sed nos tamen cessamus timere. *Marius.* Urgere parcite Cæsares, recipite supplices: tantus est amor vobis servire, ut, si propterea carendum sit cœlo, & ardendum in inferno, eligere malimus utrumque, quam vestra gratia, & hoc aula excludi. *Constantius.* Magnus amor est: sed nondum facitis plenam fidem. Credam vero, si, donec veniamus ad sacrificii locum, dissimuletis hanc vestram defectionem, ac tum primi omnium dabitis thura Jovi. Spes est, plures posse exemplo trahi. In omni actione difficili arduum est primum esse: primum sequuntur plures. *Severus.* Sic fiet, Cæsares, trahemus exemplo plures. *Marius.* Trahemus omnes. *Constantinus.* Potestis mereri gratiam. *Constantius.* Tu accerse Procopium: quousque progressus sit ex ipso sciam. Venire si gravetur, gravius reus est: prætoriam cohortem adhibe, & ad tribunal trahe. *Constantinus.* Magna sunt viri merita; sed ut impune contumax Cæsaribus sit, non excusant. *Terentianus.* Imperium facio. *Severus.* Cave nos Procopio prodere. *Terentianus.* Audivi præceptum. Dissimulate vos.

SCE-

SCENA TERTIA.

Marius. Severus. Volusianus. Adocetus.

Severus. Marius. VIvite o nostri Dii! beati sumus! *Marius.* Jam ego mihi videor paludatus incedere, & trahere ducale syrma tanto cupitum ambitu. Quod tot laboribus, per tot pericula, toties fuso sanguine comparare non potui, jam pro uno thuris granulo meum erit. *Severus.* Strenue promovimus navem: portus vicinus est. Unus superest labor, ut confirmemus nutantes, ne, si quis nobiscum deficiat, præ nobis proficiat. Splendeat hoc signum foris, & oculos simplicium mentito fulgore fascinet. Sic triumpho. *Marius.* Exemplum sequor. Fingamus strenue: instar cautis te immotum in fide exhibe. Hæc ars est artium, vel sagacissimos fallere. Veniunt. Salvete fratres, & gratulamini nobis! *Volusianus.* Gratulemur? Præco extremum imperium sonuit: hac hora est convasandum. Aliud vobis innotuit bonum? *Severus.* Bonum optimum, triumphat Christus. *Adocetus.* Triumphat Christus! Beati Cœlites, quod gaudium audio? Narrate avidis, quid acciderit novi. *Marius.* Audite, quanto nos robore, & quam feliciter iniverimus pugnam. Terentianus ex cruce agnitos traxit ad Cæsarem. Hic sensimus verum, quod Christus promisit: cum ad Reges & Præsides ducemini, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Stupete fortitudinem animi, qua tunc nos induit ex alto Deus. Ego prior, Cæsares, inquiebam, quanta ego vos hactenus veneratione colui: tanta, ignoscite, tanta jam cogor execratione abominari, quando vos video ex imperatoribus degenerare in tyrannos, nec jam corporum contentos imperio, etiam imperare conscientiis velle. *Volusianus.* Heu! tali exordio non poteras benevolos facere,

cere. *Marius.* Neque volui. Exacerbare potius desiderium fuit, & concitare, ut atrocius furerent, quo nobis obtingeret illustrior corona Martyrii. *Severus.* Subjeci ego stupentibus audaciam nostram, & jam per rabiem mordentibus labra: quid cessatis? Exilium destinatis non sacrificantibus sacrilego Jovi: parum est! Rogos, enses, rotas expedite, immittite belluas, tortores armate! Juvat pro Christo mori. Mox spiritu incitatior dissolvi vestes, nudavi collum, pectus obtuli, porrexi brachia, &, eja, clamabam, quod placet membrum? tyranne feri! Fode ungues, articulos trunca, linguam exscinde, suffoca guttur, oculos erue! aures & nares mutila! Quid petis amplius! Feri, & quem petis, cruorem hauri! *Adocetus.* Prô! Quæ est hæc stultissima fortitudo! Per hanc insaniam rem Christianam omnem pessumdedistis. *Marius.* Quid tu loqueris? Ecce frater, quam bonus sit Deus! Præter tyranni rabiem hoc nostro decori addit Deus, quod a fratribus pejus quam ab hostibus habeamur. Stulti, insani sumus: Io! Stulti propter Christum! Te Deum laudamus! *Severus.* Ita animales homines non percipiunt, quæ sunt spiritus, & sapientia Christi stultitia est sapientibus secundum carnem. O stulti, & tardi corde! Vos scilicet vestra trepidatione, vestro metu, vestro puerili fletu rem christianam sustentabitis? Canes muti non valentes latrare, sic ovile Christi custoditis? *Volusianus.* Parcius sancti Martyres, parcius ista viris! Nam & nos scimus, quid deceat. Loqui decet, cum fides in periculo est, sed in loco, in tempore, cum decore, fortiter, ita est, fortiter, sed prudenter. *Adocetus.* Sic loqui, ut vos locuti estis, non est loqui; sed furere. Prudentes Principes, qualis est noster, non sunt impatientes veritatis, si, qui loquitur, prudens est. Aut cui putabatis vos loqui? Nesciebatis Constantium virum esse utique dissimilem Galerio, homini rustico, & ex hara in solium imperiale evecto? Galerio,

lerio, Galerio si sic essetis locuti, excusarem factum, quia spes non erat, ratione duci illam belluam posse. At Constantius tantæ sapientiæ, tantæ moderationis, tantæ mansuetudinis Princeps, quam facile poterat permoveri, primum ut differret executionem decreti forte per impetum facti: deinde vinci rationibus opportune propositis, ut etiam revocaret. *Marius*. Eleganter. Vide hic frater religiosum politicum! Et quorsum abiit Evangelicum illud: nolite timere eos, qui occidunt corpus? *Volusianus*. Et ubi est politicum illud: Estote prudentes, sicut serpentes? Qui cavet, non ideo timet malum. *Severus*. Quid vultis? Audite totum, & tum de prudentia judicate. Ecce nihil evenit mali. Attonuit Tyrannum hæc fortitudo, coëgit laudare nos, & liberos, ac illæsos dimittere. *Adocetus*. Nempe plus sapuit, & miseruit illum insaniæ vestræ, cui si vos relinqueret, credidit, abunde punitos esse. Sed jam spes omnis periit faventis auræ! Submersa est Religio Christi per istos Deicidas: non potest placari Cæsar! Eamus, paremus iter. *Volusianus*. Iratus es: non decet discedere offensum fratribus: in quo peccârunt, imprudentia, non scelus fuit; hac Deus utitur, ut ad coronam vocet. *Adocetus*. Verum loqueris: & idem sentio, cùm spes evanuit vitandi malum, succedere fortitudinem tolerandi. Ut trepidat ante prælium miles, quem videas cinctum hostibus ardere totum, & provocare pugnando mortem; sic mihi lapsus animus in pectus rediit, cum video non posse pugnam effugi. Ignoscite propero Zelo: fratres sumus, pugnemus simul! *Marius*. O verbum jucundum, pugnemus simul! Vix lacrymas lætitiæ testes teneo! *Severus*. Vivite fratres! Hæc una hactenus nos cura pressit, ne vos cadatis. Beastis nos! Pugnemus simul! En pugnæ ducem.

SCENA QUARTA.

Accedunt Procopius. Joannes. Paulus. Terentianus.

Terentianus. ITa me cogis odisse te. At vos urgete fortius virum, si amatis, ut tandem Cæsaribus pareat. Audivi minas Principis: magna sunt viri merita dixit: sed ut impune sit contumax, non excusant. *Procopius.* Terentiane, talia inimico suade, si placet, tuo: ego scio, quid mihi prosit. Tu multo es miserior me, & ego exul esse, quam cæcus malo. *Terentianus.* Fiat tibi, sicut vis. At me pœne vitæ piget, quod auctor primum, & jam minister etiam sim tanti mali. Veniam da! Nunquam sic meus arsisset in Christi *cultores* furor, si te scivissem unum ex illis esse. *Procopius.* Hæc cessa queri, & a Christo deprecare injuriam! Ego felix sum, & opto, ut possim ejusdem te mecum reddere felicitatis participem! Sed mone Cæsarem, adesse me, & suprema expectare mandata, paratum exequi, quidquid non jusserit contra Christum. Amici, gratulamini Christo! Magnus est numerus cultorum ejus. Catalogum scripsi! Legat Cæsar, quot & quantos amittat viros, si Christianos ejiciat. Vos nullos scripsistis? *Marius.* Ah! In opere tam præclaro occupatos Terentianus ad Cæsares traxit. Irati ambo nostris conatibus, abire ex conspectu jusserunt, nec nisi sacrificio peracto redire. Obstinaverunt se, exulandum est. *Procopius.* Irati ambo! Etiam Constantinus? Ah Constantinus unus est, qui mihi difficile exilium facit. Quam parum absit a regno Dei, ego novi. Galerio te subtraxi, o anima nobilis! Galerio nocentior Pater est: pœne me beneficii pœnitet. Nam quid est factu pronius, quam ut filium pervertat Pater, nisi, quod videtur, jam nunc perverterit. *Volusianus.* Spes omnis concidit. Nostri te misereat, quorum, o dedecus, adhuc in hoc catalogo non extat nomen.

Ado-

Adocetus. Adſcribe, obſecro! Sero ſiſtimur, ſerio pugnaturi. *Procopius.* Sat cito, ſi ſat bene. Preces audio; ſcribo nomen. Deus vos auro ſcribat in libro vitæ. Ultimos inſero: Primi fervore eſte! *Voluſianus. Adocetus.* Conatu erimus. *Procopius.* Ergo ite in caſtra omnes, & ne quid mei cauſa turbetur abſente me, habete curam. Tentabo ultima, ut ad meliora conſilia Cæſares moveam. Si ad vota ſuccedit conatus, laudabimus Deum: Sin minus, laudabimus iterum. Nunc hoc agendum, ne quis de noſtris loquatur aut agat aliquid, quo in reverentiam Cæſaribus debitam peccatum fiat. Hoc cavete. *Omnes.* Erit hæc noſtra cura. *Procopius.* Innocentes nos decet pati. Chriſtum infamamus, ſi diſcedimus exules cum infamia. Una exilii cauſa Chriſtus ſit: ſi accedit culpa, miſeri ſumus. *Omnes.* Una exilii cauſa Chriſtus ſit! Dividamur.

SCENA QUINTA.

Accedit Conſtantinus.

Procopius. DA verba, Chriſte, quibus pertinaciam frangam. In tua manu ſunt corda Regum: flecte tibi! Doma Conſtantium, Conſtantinum ſerva! Filii, ſat fortes eſtis? Nunc res agenda! Juvate me, reverenter quidem, fortiter tamen dicite, quidquid loqui exiget honor Chriſti. Alta ſapite! Surſum corda! Nulla pectus promiſſa moveant, nullæ quatiant minæ: ad Cœlum nati eſtis. *Joannes.* Nihil metue nobis, Pater, nunquam videbis degeneres tibi. *Paulus.* Provocare hoſtem auſim, & animus in victoriam prurit. Vis, ut impia palam execrer ſacra, & infame ſimulacrum Jovis ex ara turbem? Ruo, quo tot heroum exempla trahunt. *Joannes.* Et ſi hoc facinore efferatus Cæſar exilium in mortem mutet:

an vita tanti est? Moriamur! Eja! Probas consilium, Pater? *Procopius.* Fervorem laudo: temperatum velim tamen, donec, ut sese totus exerat, poscat tempus. En Cæsar prodit. *Constantinus.* Procopi! Majora sunt tua in me merita, quam ut offensa una possint obliterari. Sequestrum me pacis tibi apud Parentem offero, si admittis consilium. Quod tu cum tuis oblucteris imperio, vix toleraret alius Principum, etiam qui regnum deberet tibi: neque enim qui Regi utile servitium præstitit, ideo servus esse cessavit. Nunc cum audivit Cæsar, id insuper a te agi, ut ab obedientia etiam alios abstrahas: quod circumiveris castra, confirmaveris dubios, obstinationis consilium affixa ad pectus cruce palam jactaveris: quo (nam tu ipse judica) quo animo potest hanc audaciam subditi Imperator sufferre? Per ego te illum amorem obsecro, quo te, *velut si Pater esses*, prosecutus sum semper, cede aliquid de illa tua religione austera nimis. Quid diem tam felicem mihi, aspero vultu temeras? Obsequere semel, aut saltem te obsequi simula: mitescet genitor, & paulatim in tua uterque vota lubentes ibimus. Nihil est præcipiti consilio nocivum magis: illustre facinus mora perficit. Qua ego mente in Christum sim, nosti satis, & ausim Patrem eodem trahere, nisi tu obicem ponas. Vide, quam tibi, & mihi noceas. *Procopius.* Princeps, non oportet me respondere ad ista tibi, quia cum Deus imperat, nullus audiendus est Imperator. Nihil omnium, quæ feci, pœnitet: accipe, quos numero, propositi sancti socios. Catalogum scripsi, porrige Cæsari: videat, quantum beneficium faciam repugnando, nunc fidelis maxime, cum contumax sum. Quid enim hac circumcursatione volui? Quis animus fuit, nisi, ut consilium tam noxium vobis, quod improbare alius nemo est ausus, efficaciter dissuaderem, quod mihi visus sum non posse agi felicius, quam si palam omnes, ore, signis, & calamo se proderent, qui Christi essent. Sic enim, & non aliter evi-

den-

dentius cognoscitis, quot & quanti viri uno edicto damnentur. Quodsi tanta vos nihil jactura moveat, juvat ire, quo Christus vocat. Te ego, Princeps, miseror, quem abeunte me, video relinqui sibi, & recta in interitum ire. O quis te error fascinat? Patrem revereris præ Deo! Quis magis est Pater, & a quo certior tibi felicitas venit? Ah! Si quid olim de te bene Procopius meruit, ne exue animum Christo affectum bene! Cogita, quos audisti, quos ipse tyrannos nosti, qui contra Christum sanguineo feroces vexillo moverunt bellum, quis tenuit feliciter sceptrum? Quis placide vitam finiit! Quis non documenta hostibus Christi formidanda de se reliquit? Et ego te videam in hæc vestigia ruere? Nam quid ex his initiis arguam? Non audes Patris decreto vel per preces obsistere, & exemplo audebis? Primo aspectu victus te hostis nostri arbitrio tradis, tot cinctus heroibus, quot Christiani in castris sunt: & his ejectis, solus & unus pugnabis Patri, ex prima victoria magis ferocienti? Ah! Non pugnabis, video, non pugnabis. O miserum juvenem! O spes fallaces! O infelices labores meos! O Princeps, gaudens aulam desero, gemens te! Timeo... *Joannes.* En verba abrumpit dolor! *Paulus.* Et talem a te dimittes? *Constantinus.* Facite, ut cedat, & simulet saltem. *Joannes.* Ah! Quid loqueris? Video, nondum satis est nota tibi sanctitas nostræ legis. Ut fictionem adeo turpem Christus ferat? Apage! Nihil pejus, quam mendacium odit, qui veritas est. Ecce qui tibi ex cruce pendens languere, & torpere totus, & frigere videtur: vivit, si nescis, vivit, & regnat in Cœlo, unde venturus est in fulminea nube, ut damnet eos, qui hanc nuditatem erubescentes, non ausi sunt coram hominibus confiteri filium Dei. *Paulus.* Hic tu metue tibi, Princeps, tu, quem Christiana mater in lucem edidit: qui tot vidisti Romæ prodigia fieri: tot simulacra sterni: tot viros claros pro Christo mori: cui Procopius tot monitis institit: tot argumenta

attulit: tot dubia dissolvit. Noli huic tuæ, quam ego venerabundus exosculor, purpuræ fidere: cum ad Judicem veneris, ista non proteget. Vide, obsecro, quam nihil pro nobis, toti pro te solliciti simus. Miserere tui! *Joannes.* Miserere tui! *Constantinus.* Terentiane, quid tu existimas? Verene aliquid a Christo timendum est mihi? *Terentianus.* Ego, quid possit, nescio. Posse aliquid nunc primum suadet hujus viri autoritas. Princeps, juva! Eximantur Christiani, ne sacrificio adesse debeant, ipse rogo. *Constantinus.* Non licet. Egi omnia apud Patrem; Urget. Quia tamen te amant, Procopi, voluit, ut ego loquerer tibi, ratus, fore, ut facilius persuaderem, ne nihil cederes. Redibo igitur infecta re? Insuper catalogum feram obstrepentium sibi? Apud subditos nihil impetro, apud Patrem sperem? Quod tu credebas remedium esse, obstaculum est: ipsa multitudo hominum, quam jactatis, irritavit, ut sacrificium urgeat: sperat minorem numerum fore, cum videbunt rem agi serio. Sic enim comparati sumus: multi sunt fortes ante pugnam, qui, cum pugnandum est, terga vertunt. *Procopius.* Neque saltem ultimum alloqui Cæsarem licet? *Constantinus.* Nisi feram a te responsum modestius, non licet. *Procopius.* Bene est. Ergo accingamur itineri. Princeps vale! Audiat Coelum, & gratuletur! Servivi Principi propter Deum: ejicior, quia servire nolui contra Deum: utrinque beatus sum! Beatissimus nunc, cum incipio servire soli Deo, propter se. *Constantinus.* Abis? Heu! Quo adigis me? Deseris? *Procopius.* Ne deseram Deum. *Constantinus.* Rupes es! Nihil te movet? *Procopius.* Nihil. *Constantinus.* Bene est: abi, si potes. Totus non abibis. Ego filios mihi teneo. Terentiane, tua custodia sit. *Procopius.* Filios a Patre abstrahis? *Constantinus.* Ut retineam Patrem. *Joannes.* Heu! Mactas nos, Princeps, atroci consilio! Sic odisti? quid offendimus enim, ut esse captivos velis? *Constanti-*

ti-

tinus. Captivos volo, ne exules sitis. Sic amo. *Paulus*. Nos Patrem sequimur. *Constantinus*. Me veta nes. *Paulus*. Filii sumus. *Constantinus*. Non sum Domi Procopi, etiam hic te oppones? *Procopius*. Quid dica naris, an licentiam petis? si primum, patior: si alter *Constantinus*. Negas amanti? *Procopius*. Vel ideo no *stantinus*. Mihi ut sint a cubiculis, volo. *Procopiu* eant. *Terentianus*. Sic ego certarem, si filium tib Princeps, meum? Amice, quantam, & cujus tu gr nis? *Procopius*. Ne Dei gratiam amittant filii. Sus rem, Princeps, intelligo, quanti Procopium quem sic honoras. Sed qui honoras servu ques Patrem. Parce, obsecro, nec me a me ip *Constantinus*. Tu te dividis. *Procopius*. Heu! Initiar sinent Jovi! Hoc ferat Pater? *Joannes*. Hoc metuis ter, sic noti sumus? *Paulus*. Hoc scito, Princeps, vertas, retines, inani te palpas spe! Ante ego arde quam per me granum thuris minimum fumet Jovi. *Joa* ego discerptis sanguinem spargam membris, quam s nu futilibus Diis. *Constantinus*. Non istud agitur: t trem per vos est animus: si dividi vos ægre fertis, ut sacrificet. *Joannes*. Horruerunt aures! ut suad scelus, quod ego execror? I, perge Pater, in ul Thulen abripe! Opto, ut nunquam te videam iteru redeas, votum Christo faciam. *Paulus*. At ego a nibus gratiam exilii peto: possumne per patris me missus? *Constantinus*. Abstrahite. *Joannes*. *Paulus*. P hil metue nobis: auferre te nobis possunt, Christum sunt. Vale, & consta tibi! *Terentianus*. Princeps, ego tale spectaculum vidi. *Constantinus*. Ego sæpe. est sacrificio destinata. Procopi, sentis te homin Delibera cito! Mihi ignosce amicam vim: cogit am

SCENA SEXTA.

Procopius solus.

Procopius. CRudelis amor. Enimvero sentio me hominem esse: nam quantus se movet modo, tantus nunquam fuit tumultus cordis. Trepidat constricta utrinque pietas formidine sceleris. Christum desero! Scelus est: *filios* desero! Scelus est: & non est medium: alterutrum ut eligam est necesse. O cujus causa hoc tantum tormentum fero, suggere consilium Christe, quod me expediat tam gravi malo! Ah! Filios relinquam; Pater, agnos in medio luporum deseram? ut forti sunt animo satis, tamen juvenes sunt: & quantillum sufficit, ut se juvenis mutet! Infelicium omnium infelicissimus ego sum, si alteruter se Diis mancipet, deserto te! Quos ego Romæ vidi pro te ad necem rapi, ibant gaudentes! Merito, nam aut carebant filiis, aut cum illis ibant. At ego. . . . Quid angar tamen? Scilicet ego ille sum, qui filiis constantiam dabo? Hem metum vanum! nempe ut sic emolliat paternum cor, hoc mihi malum fingit malignus Sathan. Tibi, Christe, dicavi filios: in tua cura sunto, a te est robur: quid a me sperent? Tu illis sufficis. Pudet trepidasse! Securus exulo.

CHO-

CHORUS II.

Achab ab improbis Ministris male deceptus, misere perit. *

PERSONÆ.

Michæas Minister probus. Sedecias coriphæus inter improbos. Joram, & Ochozias Filii Achab. Ephebi. Sacrificuli. Milites. Aula. Cives.

Joramus. Non me decipis, Sedecia?
Certa est de Syris Victoria?
Sedecias. Certa est, nisi credis mentiri oracula. . . .
Audite incolæ, Cives Samariæ; audite!
Hac Hora reducem videbitis Regem:
Victori plaudite!
Victoriæ auctorem Deum laudate! Io! Laudate!

Chorus Sacrificulorum & Civium.

Io! Io! Triumphum cantate!
Victori pœana clamate! . . .
Periit Syria!
Plaude Samaria! . . .
Baal vicit! Baal Regem protexit!
Baali Syria herbam porrexit!

Michæas irridens.

Io! Io! Triumphum cantate!
Victori pœana clamate! . . .
Periit Syria!
Plaude Samaria!
Baal vicit! Baal Regem protexit!
Baali Syria herbam porrexit!

Joannes.

* Theatrum exhibet lucum, quem urbs Samaria terminat. Ad dextram ara Baalis.

Joram. Adhuc obmurmuras stolide ? . . . Rapite !
Plectatur pertinacia ! . . . Hic pro Victoria,
Ut primum redierit Pater,
Deo, quem despicis, cades victima.

Michæas. O misera conditio Principis,
Qui jam a puero decipi gaudet jucundis mendaciis !
Iorame ! si Achab redierit in pace (*audiat omnis populus.*)
Non est locutus ex me Dominus !

Sedecias. * Mihi, mihi locutus est Dominus ! non tibi, . . .
Princeps ! Nihil metue verba inania !
Cultrum præpara !
Tua manu decet, ut Baali immoletur hæc hostia.

A R I A.

Assuesce Prophetas ridere,
Qui Principes gaudent terrere :
Qui nuntiant tibi,
Nec sciunt, quod sibi
Immineat malum a te.

2.

Sunt homines crudi, audaces,
Verbosi, superbi, fallaces :
Si audis, inflantur,
Per aulam bacchantur,
Imperium trahunt ad se.

2. Spe-

* Michæas rapitur immolandus.

3.

Spelæa bubonum sunt ædes;
In Regia nulla sit sedes:
Quas alis, sint aves,
Jocosæ, & suaves,
Quæ canant, quod recreet te.

*Michæas.** Præceptum hoc est Musici, non Aulici!
Sed hem! quem vides ingredi?
Joram. Io! Vive frater mi!
Ochozias. Heu! Heu! frater mi!
Vix manus Syrorum cum his paucis evasi!
Et tu ades, Propheta mendacissime!
Quem ego. . .
Cito, cito miles, fugientem persequere!
O Michæa! Tibi oportuit credere! . . .
Vincula, jubeo, vincula solvite! . . .
Joram. Quid loqueris? Quid jubes metuere?
Ochozias. Periimus, frater charissime!
Sedecias. Parcite! Ah parcite!
Ochozias Tenete! Confodite! *Sedecias.* Parcite! Obs
Ochozias. Perimite! *Sedecias.* Heu! Heu! Heu me!
Joram. Prô! Atrox spectaculum!
Michæas. Jam nempe, quod dixi, impletur oraculum.
Ochozias. Eheu! Impletum est!
Joram. O Cœlum! Patrem, asseris, esse mortuum?
Ochozias. Propinquat triste feretrum!

* Liberat eum Ochozias ex acie fugiens, & mendacem Se
trucidat, quod ei Michæas non obscure prædixerat.

Joram. O me infelicissimum!
Occurro! Forte adhuc Pater trahit anhelitum!
Forte obtutu ultimo dignabitur filium!

Ochozias. Sera vota sunt. Cives properate,
Ultimos Regi vestro honores date.

CHORUS.

Vah! . . . Hæc illa splendida
Sunt tandem vaticinia!
Sic redit Victor Rex!

Michæas. * Dispersum vidi populum
Ut solet spargi ovium,
Pastore cæso, grex.

Ochozias. Vir Dei! Tibi Pater non credidit:
Peccavit! Ah peccavit!

ARIA.

O cæcas Regentium mentes!
Sic scilicet sumus prudentes! . . .
Habemus, quos consulimus:
Quid consulant, præscribimus,
Sic consulunt, quod volumus:
Quid hoc est, quam jubere,
Ut velint imperantibus
Parere,
Non suadere.

2. Sic

* Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem. 3. *Reg.* 22.

O Cœlum ! O providum Cœlum !
Quam bene damnâsti hoc bellum ! . . .
Sed tamen quid Pater peccavit,
Cum Syros se contra armavit ?
Credere facilis,
Credidit perfidis ! . . . .
Et tibi pœna sit
Tanta crudelitas
Quam simplex meruit
Credulitas ?

Ochozias. Inutilia desine, frater, lamenta ! . . . Procedimus !
Sepulchro Majorum corpus inferimus.
Joram. Tœdet vivere ! Procedite !
Eodem cum Patre tumulo Joramum condite.
Michæas. Ego precabor Dominum *
Ne filios involvat Patris supplicium ! . . .
Quamquam, o quale mihi animus canit præsagium!
Stirpem invisam Superis extremum manet excidium. . .
Ibunt filii in Parentis vestigia:
Deos alienos non deserent,
Paria ab impiis consilia audient:
Par igitur omnes feriet, & disperdet sententia.

A R I A.

Hic finis est: Sic pereunt
Osores veritatis!
Inflati sunt, dissiliunt
Tumore vanitatis! O

* Jehu deinde jubente Deo 70. Achabi filios necavit, & totam stirpem excidit. 4. *Reg.* 10.

O ſtultæ ſpes! O digna res
Torrente Lachrymarum,
Quod *ſcelerati* proceres
Columnæ ſint aularum.

2.

Ah! niſi domum Dominus
In petra ſolidet;
Eſt labor omnis irritus
Repente concidet.
Columnæ arundineæ
Medulla vacuæ
Repente fatiſcent,
In rimas dehiſcent,
Frangentur, corruent:
Et ſibi innitentes
Ruina oppriment.



PARS III.

Conſtantia Orthodoxa Honorata.

SCENA PRIMA.

Conſtantinus. Terentianus. Joannes. Paulus. Severus. Mari

Conſtantinus. QUid ſit deliberatum Procopio, expecto imp tiens. I Terentiane, reſponſum exige. *J annes.* Quouſque inanem, Princeps, alis ſpem? Mutare ſe n poteſt Pater: Chriſtum amat. *Paulus.* Et exilium præ au amat, in qua amare Chriſtum vetatur ſibi. *Terentianus.* Et eg Princeps, ſuſpicio conſtantiam viri. Si Cæſar eſſem, non

mitterem: placeret hæc contumacia, quæ animum fortem arguit, atque tenacem recti. Nam sic existimo, Deum, cui vir tantus tanta cum pertinacia se addixit, non posse esse indignum cultu. *Paulus.* Hem! Triumphas Christe! Quanta vis est veritatis! Linguas adeo inimicas adigit in laudem sui. *Constantinus.* Fallor, an te edicti fuisse auctorem pœnitet? Cessasti odisse cultores Christi? *Terentianus.* Certe incipio admirari. *Joannes.* Macte animo! Sic te Christus diligat, & faciat suum. *Constantinus.* Nunc imperata fac. Præco sacrificium insona!.. * *Joannes.* Pro! Sonum auribus piis gravem! *Paulus.* Et coges, ut hos oculos cruciemus spectaculo tam atroce! Sic amas? *Joannes.* O sine, obsecro, Patrem sequi! *Constantinus.* Parete mihi! Ego sim vobis parens. Mox Cæsarem me creabit Augustus; non jurabitis fidem? *Severus.* Ad primum tubæ sonum adsumus, Princeps, ut promptos ad imperium videas. Utinam exemplum sequantur, quos verbis potuimus nullis trahere. *Marius.* Ex omni numero, præter nos, paret Cæsaribus nemo, ut Christum abdicet. Sic animos obstinavit Procopius. *Joannes.* Superi! Quod audio malum? *Paulus.* Vos abdicatis? *Marius. Severus.* Cæsaribus obedire nos decet. *Constantinus.* Digna vos obedientiæ tam celeris merces manet. *Severus.* Nullam mercedem vir bonus exigit: sufficit placuisse. *Joannes.* O vox indigna viro! Cæsar, avem ex cantu noscis? Hoc tibi placet tetrum facinus? sacrilegam tu perfidiam probes? *Paulus.* Tu, qui Romæ toties laudasti Martyres? Cui Tyrannis Galerii tam invisa fuit? *Constantinus.* Nunc aliud Pater imperat. *Severus.* Imperat jure suo, & imperanti nos decet obsequi. Vos qui estis, qui tantis Dominis effrontem spiritum audetis opponere, & per impudentiam non ferendam jubentibus dicere: *Non obedio!* *Paulus.* Vos qui estis, qui audetis præcipientis hominis vocem plus vereri, quam prohibentis Dei majestatem, pro-

* Sonat tuba.

didicerimus ex Christi lege concludere. Nobis hoc axioma inculcavit parens: sic studete placere Principi, ut nunquam Deo displiceatis: a Deo, non a Principe omnis felicitas pendet hujus vitæ, & futuræ. *Severus.* Ejice ex aula, Princeps, tum sentient, unde felices sint, & quid ista de Deo garrulitas profit. Mihi in hac vita Cæsar pro Deo est. *Joannes.* Egregie! Exulta, Princeps! Iste ex te idolum facit. . . . * En præco insonat! Age, deturba Jovem, Constantinum *impone aris*! Nam qui a Christo defecisti, quid interest, si etiam a Jove deficias? Adulator putide! Si placere vis, Heliogabalo, vel Caligulæ loquere, non Constantino. *Marius.* Princeps, ego stupeo patientiam. Te tacite ferre decet hoc impudens os? *Constantinus.* Mihi non faciunt male: vos videritis. Quid tu vultu novum lætiore præfers?

SCENA SECUNDA.

Accedunt Procopius. Volusianus. Adocetus. Socii.

Terentianus. Vicisti Princeps! Inveni Procopium hominem! Servatus est amicus mihi! Sacrificabit. *Joannes. Paulus.* Prô tonitru grave! *Marius. Severus.* Procopius? *Constantinus.* Rem incredibilem narras. *Terentianus.* Ex ore viri. Unum rogat, ut non assistere modo liceat, sed etiam sacerdotis officio fungi. *Constantinus.* Mecum ad Cæsarem perge. *Joannes. Paulus.* Nisi decipimur, ut tali nos mendacio in scelus pertrahant. *Joannes.* Ruenti occurrimus. *Severus.* Sic ex portu in medios ejicimur fluctus. Nam si mentem mutavit Procopius, haud dubium est, quin traxerit socios: ita spes omnes nostræ naufragio mersæ sunt. *Marius.* Me aliud angit præterea. Vidisti, ut frigeat Constantinus? Ut petulantiam pue-

* Sonat tuba.

puerorum non modo tulerit, sed probaverit etiam? Ut auditam mutationem Procopii obstupuerit? An signum læti dedit? An potius animi turbati indicia in vultu, & serm notasti? Prorsus velut defecisse doleret. Metuo, ne totus Christum transierit. *Severus.* Sic deserentes se deseret De ut solet. Trepidus in hanc cogitationem delabor: repente cidissemus simul utraque gratia Dei & Cæsaris: qua quæ po cogitari miseria major? *Marius.* Concutior totis artubus. quis vero tanti mihi esset auctor futurus mali, præter te? Et t scelesté, ita per stygem juro, aut consilium felicius, aut sang nem dabis. . . . * *Severus.* Jacta est alea: ad Jovem fugio. Viden' ut hæc majestas blanditur nobis, terret æmulos? Su alis aquilæ feremur in Solis thronum. *Procopius.* Hoc de filii credunt? *Paulus.* Pater! Hoc de istis quis credidisset? fecerunt, ut jam nihil incredibile sit. *Procopius.* Ade miseri transfugæ! Huc splendida illa verba, huc jurata fid huc magnifica promissa reciderunt? *Severus.* Exprobras, qu facis tu, quod omnes tui? *Marius.* Superbus novo titulo Sac dos Jovis! *Procopius.* Ah! Ut falsi estis! Jam abiissemus exul nisi malum nos vestrum torqueret. Detestor Jovem! Christu adoro, num facio fidem? *Omnes.* Pereat Jupiter, Christus regn *Joannes.* Hæc vox me recreat. *Paulus.* Ignosce credulis! Dece sumus. *Procopius.* Nihil mutavi me! Vos ut mutetis male mut tam mentem, amici, per quidquid est charum rogamus vo Ex tantis vos esse solos, qui abjiciant fidem, hoc vestrum sa guinem decet? Hoc Christus meruit? Qua spe transfugitis? A Quid prodest homini, si mundum universum lucretur? si pe anima, quid non perit? *Volusianus.* Creditis, invito, inimi Christo vos posse felices esse? *Adocetus.* Quodsi sinat Christ sperato per scelus potiri bono, cogitate, quamdiu illud erit? quid deinde? *Procopius.* Sed exemplo suadeamus, quod dece Cæsar adest.

* Sonat tuba, ** Ara Jovis prostat.

SCENA TERTIA.

Accedit Constantius. Aula. Milites.

Constantius. TAndem, ut audio, dedisti te: sacrificabis! Sacerdos esse vis? Cujus victimæ? *Procopius.** Hæc est victima: honores, titulos, amicos, filios, me ipsum sacrifico Christo, & pro te Cæsar, & pro filio tuo sacrifico: ille Deus, qui regnat solus, & in cujus unius *manu rotantur* fata Principum, hoc sacrificio placatus tibi, sic faveat, ut totus in cultum unius eas. Hoc si exoro, impetravi, quod implet vota. *Omnes.* Hæc vota omnes facimus. *Terentianus.* Hem! Decepisti me igitur ambiguis verbis! *Procopius.* Recipite, quæ dedistis, honorum insignia! Volentes deponimus ad sacros pedes: vos credite, nunquam honoratos nos esse magis, quam cum Christi causa honores exuimus. Circumspicite, Cæsares, quem videtis pallere? Quis tremit horrore exilii? Quis non exundantis lætitiæ, qua cor afficitur, signa in vultu circumfert? Augusti, si male conscii nobis, si præstiti ignave servitii rei, si nostra culpa indigni gratia pelleremur, scilicet pudore dejecti, tristitia absorpti, desperatione oppressi abiremus cum gemitu: nunc, quando una exilii causa Christus est, imus lætantes, neque de bonis, quæ amittimus, anxii, neque de malis, quæ expectamus solliciti, quoniam Christi gratia sufficit nobis. Tanti est, non quid patiaris, sed cur! Ecce de magno numero nemo deterreri se passus est a Christi fide, nisi duo isti miseri transfugæ, quorum perfidia, nescio, an etiam vobis placeat: estis enim sapientes, nec potestis probare, ut in gratiam mortalis Domini Dominus immortalis deseratur. Sed abrumpendus est sermo: valete Cæsares! Vivite felices, Victores, Patres! Addat ad cumulum felicitatis misericors Numen, ut uterque se Christo jungat. *Omnes.* Valete &c. *Procopius.* Ultimas his votis, si quid unquam merui, liceat preces addere, quarum causa huc nos contulimus. Nolite admittere, ut quis-

* Insignia reddit.

quisquam ex nostro numero abeuntibus desit. Liceat Mario & Severo confidentius loqui, ut revertantur: & mihi filios liceat auferre mecum, quanquam non tam mei, quam Christi sint. Admovete vos genibus, charissimi, & vestram vobis libertatem a Dominis exorate: si verba deerunt, perorent lacrymæ: evincetis. *Joannes*. Augusti, quo nostro merito nos sic odistis, ut a patre velitis abstractos? Si scelus est, Christum colere, rei ejusdem sceleris cum patre sumus: nec deprecamur, nec pœnitet etiam: Christum colimus! Christus Deus est, & unus Deus! *Paulus*. Christus Deus est, & unus Deus! Quid? Non meremur hac publica professione exilium! Ah! Liceat exulare! Quod si non licet, timete Cæsares juvenilem audaciam: possumus vindicare nos de vestris Diis, & erit occasio. *Constantius*. Masculos habent animos pueri. *Procopius*. En! Moveri videntur Principes! Severe, Mari, urgete cœpta: invitat Christus ad reditum: Cæsares dabunt exulandi licentiam: nunquid transfugii pœnitet? Quid resistitis? Porta ad gratiam patet: ultimum per nos loquitur Christus vobis! Si non auditis, claudetur janua, sero clamabitis: utinam rediissem! Rumpite moram! En responsum expectant Cæsares! Per si quid de vobis Christus meruit, Christum colite! *Omnes*. Per si quid &c. *Severus*. Irascor Cæsares, audaciæ hominum! In oculis tuis nos audent invitare ad contumaciam! Nos obedimus vobis! Colimus Jovem! Christum non novimus! *Marius*. Colimus Jovem! Christum non novimus! *Omnes*. Blasphemia gravis! O Cœlum! Quanta patientia perfidos toleras! *Constantinus*. Auguste genitor! Non ultra me teneo. Huc usque processum sit satis. *Constantius*. Satis est. Amici, sacrificet Jovi, qui vult: non tollo vobis antiquos ritus, sed nec exigo mihi. Hæc virorum constantia præ omni sacrificio est: omen capio, favet Deus! Secure ad filii electionem procedo. Terentiane, amicum tibi Procopium reddo. Tu cessa Christum persequi. *Terentianus*. Didici hodie æstimare. Sed quid fiet denique? *Constantinus*. Vicistis amici! Et vicit in

vobis Chriſtus: recipite honores poſitos: mei eſtis, & ego veſter! *Conſtantius.* Ex hac die liberam omnibus promulgo facultatem profitendi Chriſtum. Nemo cuiquam moleſtus ſit Chriſti cauſa: nemo obicem ponat legi, quam Imperator non improbat. Abſcedat ſtupor! Fictio fuit, quidquid feci adverſum vos! Non odi Chriſtum: parum abeſt, etiam colo. Periclitari conſtantiam lubuit, ut ex fidei firmitate erga Deum intelligerem, *quos potiſſimum* novo imperii mei collegæ Miniſtros legerem, *quibus ille* ſe poſſit tuto confidere. *Procopius.* Triumphat Chriſtus: vivite Cæſares! Totus jam veſter Procopius erit: totus Conſtantii, totus Conſtantini. *Omnes.* O grande prodigium Chriſti! O admiranda mutatio! Vivite Cæſares! *Conſtantius.* Huc inſignia imperii: Filio jurabitis fidem. *Terentianus.* Jurabimus. Gaudio implêſti omnes, cum Procopium ſervas. *Severus.* Quid ita? Coronabitur Filius, neque ante ſacrificium fiet? *Conſtantinus.* Factum eſt a Procopio magnificum ſatis. Quid ad te? *Conſtantius.* Palam eſt modo animus veſter; convictus ſum, dignos eſſe, quos filius colat in primis.

SCENA QUARTA.

Coronatio & Homagium.

Procopius. PLacatus Cæſaribus Chriſtus hanc fauſto omine ſignet diem! *Omnes.* Placatus &c. *Terentianus.* Paratam pompam infero: impone coronam gaudio, quod lucem iſtam beatam reddit. Vivat Conſtantinus Imperii conſors tui! *Omnes.* Vivat Conſtantinus Imperii conſors tui! *Conſtantinus.* Vobis vivam. *Conſtantius.* Equidem, Proceres, ſemper amavi vos, ſemper amâſtis me! Nunc hoc delectat maxime, videre pronos in meum votum. Jam ſenior providere imperio velim. Videtis filium indole, animo, virtute imperio parem: merui, ut acceptetis, & laborabit ipſe, ut fateamini meruiſſe. Proſequatur parentis morem, veſtris ſemper commodis, non ſuis invigilans, & memor, Regem propter populum eſſe, non populum propter Regem. Itaque neque premet oneribus, niſi quæ gravia eſſe nemini poſ-

ſunt.

SCENA QUINTA.

Electio Procerum.

Constantius. AT tu Severe, tu Mari, per quem jurâstis? Per Christum, an per Jovem? *Procopius.* Dubitant miseri! Ah tandem sapite! *Constantinus.* Per quemvis juraverint, perinde perjuri sunt: abdica Pater! Non fido infidis. *Constantius.* Sapiens es. Nec enim erunt fideles tibi, qui non sunt Deo. Imbelles homuli! tantam ignaviam credidistis, impunem fore? Videte hic, quid vos vestra adulatio juverit. Istorum tam gravi experimento probata constantia digna est præmio! recipite insignia! In nulla alia manu securius splendent: quin augebo honoribus. Prætorii Præfectum Procopium dico: Volusianum a cubiculis, Adocetum a secretis constituo. Justine, Asclepiodote, vos Severi & Marii tenebitis locum: cæteros pro suo quemque gradu levabo altius; sic decet honorare viros, qui Dei causa contẽni non timent. *Procopius.* O Princeps, digne, quẽ Christus amet! *Constantinus.* Vos ego aureis vinculis devincio mihi! Crescite amores mei! Masculi pugiles! Magna olim magni parentis gloria! *Joañes. Paulus.* Ut forte hoc sit vinculũ, fortiore tamen Christus nos stringit vobis. *Procopius, & Filii.* Christus vobis reddat vices pro gratiis, quas in nos confertis! Christus æternũ beatos velit! *Constantius.* At vos abite nũnc quidem ex oculis statim, cras etiam a castris longe, perjuri, perfidi! *Marius. Severus.* Pœnitet! Pudet! *Procopius.* Miseri! *Severus.* O si tu pro nobis ores! *Constantius.* Nolo orare quempiã. Deo perfidos hæc aula non tolerat. *Procopius.* Pœnitet tamen. *Constantius.* Non possum fidere. *Procopius.* Corrigent se. *Constantius.* Non possum fidere. *Procopius.* Compensabunt majoribus meritis. *Constantius.* Perjuri Deo fuerunt: non possum fidere. *Constantinus.* Abite! A Christo sperare veniam licet, a nobis nulla est: ille cor inspicit, videt, an pœniteat serio! Nos perjuris Deo non possumus fidere. Exemplũ omnibus Ministris este, ut sciant, quid primum in ipsis velim. *Severus.* O Dies nefasta! *Marius.* O maledicta simulatio! *Constantius.* Ego hoc, amici, gaudeo, quod filium hæredem habeam, qui vestra opera absterget lacrymas Christianorum. Sic libens morior. Plaudite!

SEPULCHRUM
CONCUPISCENTIÆ
SIVE
RELATA
PER MORTIS MEMORIAM
DE VITIIS
VICTORIA
LUDIS SATURNALITIIS
IN SCENAM DATA
ANNO MDCCXXXII.

ARGUMENTUM

IN titulo legitis, Rebellem Rationi Appetitum docemus domari posse per sepulchri memoriam, atque adeo Bacchanalia agentibus ut ante oculos dies cinerum sit, virtutis & prudentiæ fore.

PERSONÆ.

Logus, seu recta ratio, Rex Microcosmi.

Prudentius, Virtuosus } *Primates aulæ.*

Corpus, sive caro Rebellium parens.

Chronus Præses temporum.


Horæ, Satellitium Logi.

Æsophagus, seu appetitus concupiscibilis, Audifax, seu appetitus irascibilis, Phantasius, seu imaginatio, Morio. } *Tres filii Corpi natu majores.*

Ophtalmus, Auritus, Gulaphus, Nasutus, Tangulus, } *Seu quinque sensus, filii Corpi natu minores.*

PRO-





PROLOGUS

EXhibet tumultum curarum pro pane lucrando. Extunt ſe omnis generis homines, Opifices, Artific Milites, Officiales, Ruſtici &c. fervidè laborant ut habeant, quod rodant, & unde gulæ ſerviant. Phantaſus urget, in hoc puncto hominis felicitate conſtituens. Logus, ſeu Ratio in ſublimiore pa theatri hæc per ſomnium videns terretur clamoribu præcinente Phantaſo, cantantium:

Wohlan! das Maul regiert,
Nicht die Vernunfft:
Alles ſteht, was ſich rührt,
In diſer Zunfft:
Maul, was wilſt? ſchaff nur an:
Du biſt mein Gott:
Was geht uns der drob'n an:
Wenn wir hab'n Brod.



ACTUS I.

SCENA PRIMA.

Logus evigilans. Prudentius. Virtuosus.

Logus. Conjuratio! Conjuratio! Armetur aula! *Prudentius.* Rex! *Logus.* Arma! Arma! Prudenti! Vigiles! Famuli! Arma! . Deseror? . Vel solus in hostem ibo. *Prudentius.* Pone timori modum: pax est. *Logus.* Pax est, cum Æsophagus regnat? Nempe non audisti tu belluarum voces: Das Maul regiert, nicht die Vernunfft? *Prudentius.* Nempe hic boatus terruit Regem? Quiesce. Phantasus nimirum illusit dormienti. Ignoscendum morioni. *Logus.* Etiam morionum timenda interdum petulantia est. Quanquam quid petulantiam voco? Conjuratum est in nostrum caput: periclitatur regale decus. Non sic ludit morio, nisi cum serio agit, & conscius ferocis impudentiæ fratrum, per quam sic lusisse impune sit sibi. Notus mihi Æsophagus, notus Audifax. Rursum Bacchus nostros invasit fines. Itaque Virtuosum misi, ut juramentum fidelitatis a subditis repetat, & jubeat armatos ire in impudentem Deum. Diu Legatus abest. Nihil pacificum tam longa portendit mora. Armamur! . Et Chronus ubi? *Prudentius.* Excubat ad fores palatii. *Logus.* Ut usque vigilet, volo. Vigilare etiam Horas jubeat omnes, nocturnas ac diurnas æque, ut promptæ stent ad nostrum imperium. *Prudentius.* Æqua imperas. Pereat Hora, quæ Logo non servit! At en! Legatus redit. *Logus.* Virtuose! Quid moliuntur subditi? Bellum an pacem affers? *Virtuosus.* Rex! Bacchus audaces facit. Sanum nihil responsum est. Nisi in conditiones descendat Rex extreme sibi dedecorosas, bellandum. *Logus.* Sensi. Prudenti, tu jussa perage. Eja, quid feras, audiam.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Æsophagus. Audifax. Phantasus. Nasutus.

Phantasus. BEne habet: turbatus est. Hoc potest Phantasus. Vivite fratres! Et quam sum orsus, telam perficite. Turbatus a me Rex trepidat anxie, quid agat, dubius. Invadite! Vester est. Lusum est satis. Pro morione servivi hactenus: hodie sentiet me Logus sapere. Abite socci! Cothurnos induo. *Audifax.* Credo Phanthaso. Nam nisi aliquid metueret Logus, cur renovare homagium petiisset hoc tempore? *Æsophagus.* Hem! Cur? Bacchanalia sunt: scit raros esse, qui obedire soleant Rationi, & Baccho simul. *Audifax.* Instandum est trepidanti. Nam quousque imperiosa tyranni procedet audacia? Ergo non modo subditi, sed servi simus! Non ferendum. *Æsophagus.* Mancipia dicas! Non ferendum. Rumpantur moræ. Auspicemur triumphum, qui nos in Capitolium ducat. *Audifax.* Modo ne invitus sit Corpus pater. *Æsophagus.* Video, difficilem fore aleam, si vires suas nostris non adderet Corpus. *Audifax.* Addet, spero. Audifax animabit, ut excutiat perniciosam nobis inertiam. Perficiendum hoc mihi negotium sumo. *Æsophagus.* Ego & Phantasus agemus nostrum, & fratres reliquos trahemus in partes. *Audifax.* Recte facitis. Tamen si me audis, præcedere Nasutum velim, & fratrum animos explorare. Puer sagax est, ut odora canum vis, & totus nasus. *Æsophagus.* Bene mones. Curre puer. *Nasutus.* Festino ad fratrum nutum: vos recta post nasum ite, ut non erretis. *Phantasus.* Jo! Armatus sum. *Æsophagus.* Age miles gloriose, in campum imus. *Phantasus.* Jo! Victoria! *Audifax.* Holla! Ante triumphum canis. Audite unum insuper. *Æsophagus.* Hem! Quid! *Audifax.* Lucrandus est etiam Chronus, ut Horas a Regis abstractas obsequiis, concedat no-

 stris.

ſtris. Hora ſi vel unica reliqua ſit, cogitabit conſilia exequi, quæ Prudentius ſuggeret. Noſtra ſalus in præcipiti ſtat. Nihil agimus, niſi quod cito. *Æſophagus*. Oraculum loqueris. Erit hæc nobis ex primis cura.

SCENA TERTIA.

Corpus. Tangulus. Audifax.

Audifax. Screantem ſeniculum audio. Explorare juvat, nubilus an ſerenus ſit animus. *Corpus*. Vix anhelitus eſt, mi Tangule, ita ſum feſſus. Atque hoc patior propter fratres tuos. Prô! Quid inceptant rurſum! *Tangulus*. Quin tu quieſcis paulillum pater! En ſella! Pulvillus! Quid optes ultra a tuo Tangulo? *Corpus*. Oh! Quam miſer eſt, qui parens eſt multorum liberorum! *Tangulus*. Ha! Ha! Rurſus in nos meditaris philippicam. *Corpus*. Panegyrin mallem. Da materiam. Eſt tamen, Tangule, de quo gaudeam. Quod pueri tantum nati ſint mihi, nulla puella, hoc lætor. Multo pejus excruciant Corpum puellæ, quam pueri; ſæpe id mihi queſtus eſt affinis meus. *Tangulus*. Quin ergo gratularis de nobis tibi? *Corpus*. Equidem ſi adhuc viveret natura, uxor mea, bene utique, optime eſſet Corpo. Sed illa eheu! Morte nimis celeri erepta eſt vobis, & mihi. Perverſa, cui deinceps convixi, Noverca veſtra, Tangule, nec obulum valet. Ipſa vos corrupit omnes, & ex optimis peſſimos fecit. *Tangulus*. Bonum, quod hoc mater non audiat. *Corpus*. Lepide! Si audiret, non dixiſſem. Timeo mulieris iram. Supra tigrides ferox eſt. Nunquid autem verum dixi? Nam quid didiciſtis a Perverſa, niſi vorare, & furere? *Tangulus*. Parcius clama, pater! Homines adſunt? *Corpus*. Homines adſunt? Qui? *Tangulus*. Cape perſpicilia. *Corpus*. Honeſti videntur. *Tangulus*. Hæc vitra men-

mentiuntur, mi pater. Videres alios forte, si per fenestram Momi inspiceres. *Corpus.* Quidquid sit, mihi honesti videntur. Alloquor. Viri, juvenes, senes honesti, obsecro misereminí hujus Corpi, quoniam oppido miserabilis est! Octo filios habeo voracissimos nebulones, quibus, ut habeant, unde satient ingluviem suam, quotidie laborandum est mihi. Superi! Quantus labor! succumbat denique bonus Corpus, necesse est, sub tanto onere. Octo nebulones, tam voraces! Grandis miseria! Obsecro, sinite, ut unum aut alterum alicui vestrum liceat ad cœnam mittere! Nemo condicit? Nemo prorsus? Quæso! Describam vobis pueros, ut facilior electio sit. Primogenitus est Æsophagus græce generis masculini, latine concupiscentia, generis fœminini, puer elegans, statura mediocris, indolis vivæ, & totus Mercurius. Tubo inclusus pro Barometro serviet: mutatur cum tempore. Aliud concupiscit in æstate, aliud in hyeme, aliud de die, aliud de nocte, ipse semper alius, nunquam idem. Alter pertinacior est: Audifax vocatur, quia omnia audet. Si forte cane vigili vobis est opus, partes molossi obibit strenue. Minimus strepitus excitat dormientem, & iram suscitat: latrat, furit, mordet obvium quemvis, præcipue cum instigat Æsophagus. Jam tertius Phantasus ipsissimus Proteus est: mille formas induit: omnes personas agit, atque ita dextre, ut sæpe ipsum Logum deceperit, & deciperet sæpius nugator vafer, nisi Prudentius assisteret Regi, & larvam morioni detraheret. *Tangulus.* Nondum quiesti satis, pater? Festinandum. Nocet negotio mora. *Corpus.* Nempe nunc mones. Times laudari scilicet! Iste Tangulus, o viri boni, inter pueros nequam ἄλφα, & ωμέγα est: quidquid fit mali, ipse vel auctor est, vel motor. Laborem horret pro dæmone. Deliciis, delioiis inhiat sine modo, velut in paradiso esset, non in exilio: & reliquos quatuor fratres habet similes sui. Ophtalmus puer vagus, hirquis oculis, & fœdum distortis, astutiam

prodit, & mentis perversæ latens malum. Auritus Midæ filius credi posset; adeo similes aures habet, puer curiosus, & minime serius. Nasutus patulis semper naribus, & sursum tractis incedit, fratribus suis innocentior quidem, sed merus canis, merus canis venaticus, prætereaque nihil. Ultimus Gulaphus puer tantillus est, sed omnium inquietissimus, rubra *facie*, inflatis buccis, grandi ore, ventrosus, strumosus, clamosus: *affer*! Affer! Et nunquam dicit: sufficit. Ecce hic est Catalogus meorum filiorum, & mearum miseriarum. Misereminì o boni! *Audifax.* Tandem desine querelas, Pater. *Corpus.* Hem! Tu ades Audifax? *Audifax.* Quantum accuses filios, audivi satis. Quam immerito, ipse videbis hodie, si agere, quod agimus, per te licet. *Corpus.* Utinam agatis animam! *Audifax.* Precare meliora. In solio sedebis hodie: Logus deturbabitur: nos imperabimus. *Corpus.* Huj! Vos imperabitis? Averruncate hoc malum, boni Cœlites! Eja! Nisi regnaret Logus, quid misero Corpo fieret? Quod imbellis, quod æger sim, quod ore pallidus, rugosus fronte, calvus, & canus capite, quod podagra laborem, & calculo, & colica, & capite, & stomacho, vos fecistis. Tu Audifax, tu quoties me ad iram concitas, ut prope rumpatur vesica fellis, & in omnes artus se bilis effundat? Æsophagus me suis blanditiis perdit. Fortia vina propinat, quæ me prosternunt, ut vix animam traham. Phantasus cum integro muscarum exercitu me sæpe invadit, nullibi quies est: fugit somnus & vita. Sic me fatigant filii, sic illudunt, sic affligunt, sic misere habent, ut, cum cogito, lacrymas vix teneam. Jam si timor Logi cessaret omnis, quid misero Corpo foret? Cessa! Cessa! Non potest Corpus vivere, nisi imperet Logus. Vivat, imperet Logus! Hoc optat Corpus. *Audifax.* Io! Vivat Logus, & jubeat te servi instar, flagris lacerari rursum in proxima quadragesima, ut anno præterito! *Corpus.* Nempe unde, nisi per vos, hujus pœnæ me

reum

reum feci? Compescuissem vos audacius, neque permisissem tanto cum tumultu bacchanalia agere, non luissem utique alienum scelus. Quid multa? Omnium mihi malorum vos auctores estis. Ey! hätt ich! Ey! hätt ich!. O me insanum parentem! Flectere debebam, cum essetis arbusculæ: nunc vanus est labor, cum estis trunci. Utinam, cum tantilli fuistis, coërcuissem acerbius insolentes pueros, non experirer scilicet contumaces juvenes. *Audifax* Video, repuerascis, pater, quod solent senes: itaque felicitatem non capis, in quam te provehere desiderant filii. *Corpus*. Quid? Repuerasco ego! Sic honoras Patrem? Rabula? Cacula? Lixa! *Audifax*. Jam nihil ago, commotus est. Quiesce, dum redeo. *Corpus*. Bonum est, quod te auferas nebulo, latro, parricida. Ey! ey! ey! ey! *Tangulus*. Compone animum Pater! Ira nocet. *Corpus*. Sic, sic contemnunt parentem filii, cum adoleverunt. Ey hätti! hätti! hätti!

SCENA QUARTA.

Nasutus. Tangulus. Ophtalmus. Auritus. Gulaphus.

Nasutus. TAngule, adesdum! *Tangulus*. Statim, statim. *Nasutus*. Hem! Ut fervent studia! *Ophtalmus*. Eja! Fratres! Urgemus laborem! *Nasutus*. Urgete, & cito: Logus ipse vestris Saturnalibus adfuturum se dixit. *Auritus*. Ecce! Ergo caute agendum fratres, ne incurramus offensam. *Ophtalmus*. Cautissime. Nam delicatus est Rex. *Gulaphus*. Si delicatus est, placebo satis. Nasute, huc affer nares. *Auritus*. Eja in ordinem musici! *Ophtalmus*. In ordinem actores! *Auritus*. Tentate Cheles. *Nasutus*. Egregie paratus es. Culinam & cellam habes, vel Diis dignam! *Ophtalmus*. Nec ego displicituram credo Comœdiam Logo, quam paravi, nisi me Auritus destituat. *Auritus*. Nihil metue. Quantum tu oculos recrea-

creabis, tantum aures ego. *Gulaphus*. Uterque parum. Nihil ſunt oculorum, nihil aurium deliciæ, ſi comparentur cum deliciis guſtus. *Auritus*. Vides Ophtalme, ut ſe effert, ut tumet hoc fruſtum carnis? *Ophtalmus*. Pro more ſuo. Super menſam debellat omnia. *Naſutus*. Ego quoque fratres Gulaphum vobis præhabeo. *Auritus*. Næ tu Naſutus es judex. *Ophtalmus*. A quo omnis prudens appellet. *Gulaphus*. Parcius iſta, niſi totum orbem morotrophium exiſtimes. Orbis totius judicium appello: quis eſt, qui non amat convivia? *Auritus*. Quis, qui non præfert delicias aurium? *Ophtalmus*. Quis, qui non malit gaudia oculorum? *Naſutus*. Elementa interroga: omnia Gulapho ſerviunt. Vides hunc aërem? Quæ volucris ſecura prætervolat? *Gulaphus*. Vides hanc terram? Quæ ſylva, quis ſaltus, quis mons eſt, quo non mei venatores pervadunt? Quæ regio, unde non vina mittuntur? *Naſutus*. Aquas interroga: quis lacus, quis fluvius, quod mare eſt, unde non iſte delicias hauriat? *Gulaphus*. Ignis ipſe, utut ſterilis eſt, quam eſt guſtui obſequioſus, & ad omne coquorum promptus imperium? *Naſutus*. Tam multa, tam varia, tam pretioſa, tam diuturna gaudia nec Auritus, nec Ophtalmus præbebunt. *Ophtalmus*. Quæ gaudia? Brevia, modica, vilia, propria pecudi! *Auritus*. Gaudia, quorum extrema occupat luctus! *Ophtalmus*. Luctus ex vacua crumena. *Auritus*. Luctus ex paupere cœna. *Ophtalmus*. Luctus ex morbis acerbis. *Auritus*. Luctus ex morte matura. *Ophtalmus*. Luctus ex labe familiæ. *Auritus*. Luctus ex rixis & pugnis ebriorum. *Ophtalmus*. Luctus ex cumulo criminum! *Gulaphus*. Egregie. Nempe veſtræ deliciæ ſunt æternæ! *Naſutus*. Veſtræ ſunt magnificæ! *Gulaphus*. Sunt ſacræ! *Naſutus*. Sunt divinæ! *Gulaphus*. Vah! Gaudia! Quæ in ictu oculi clauduntur omnia! *Naſutus*. Vah! Gaudia! Quæ cum ſono in auras & ventum abeunt! *Gulaphus*. Sed recte ades Tangule! En iſti ſuas nugas noſtris deliciis præferunt. *Ophtalmus*. Si du-

bitas,

bitas, obvios interroga, carere gustu, an oculis malint? *Au-tus.* Odoratu, an auditu privari. *Ophtalmius.* Eruditos interr ga, quas delicias oculi in libris, & imaginibus faciant. *Au tus.* Principes interroga, quantis pecuniis emant aurium gaudi *Gulaphus.* Doctos, & rudes, divites, & pauperes, cives, rusticos, plebem & nobiles, pueros, juvenes, viros, & sen interrogate, quo labore, qua cura, quibus molestiis, illec bras gustus conquirant. *Tangulus.* Ego vos omnes insani autumo, qui deliciarum nomine appellatis res illas, quæ v blanditiæ possunt vocari. Quid tu, Ophtalme, gloriari, quo pupillam oculi, tantillum punctum oblectes? Tu Aurite, quo tympanum pulses? Tu, Nasute, quod nares titilles? Tu, Gu laphe, quod unius digiti latitudine fauces afficias? Si tantill licet jactare, quid mihi licebit, qui toti Corpori delicias fero Silete, obsecro: ego si non sim, universi nulli estis: Tangu lus omnia. *Ophtalmus.* Quid? Audacule! *Auritus.* Nebulo *Nasutus.* Improbe! *Gulaphus.* Infamis puer! *Tangulus.* Convi tia audio! *Ophtalmus.* Tu impure! *Auritus.* Impudens! *Nasu tus.* Vecors! *Gulaphus.* Iners! *Tangulus.* Tu Narcissule! Hya cinthule, Cyparisse, Trossule! *Ophtalmius.* Tu pecus, tu porce tu stercus, tu tua gaudia meis præferre! *Auritus.* Quis te ama sine infamia? *Nasutus.* Quis, nisi qui pudorem omnem abjecit *Gulaphus.* Quis, nisi qui omnem gustum honestatis, & laudis amisit? *Tangulus.* Hæc in faciem? Sed rumpere invidia, rumpere. *Gulaphus.* *Ophtalmus.* *Auritus.* *Nasutus.* Stupide! Quid tu habes invidia dignum? *Tangulus.* Quid? Circumsistere? Æsophage, fratrem juva!

SCENA QUINTA.

Personæ priores, & Æsophagus cum Phantaso.

Æsophagus. AN ego jurgia inter fratres audio? *Tangulus.* Invidia fratrem non habet. *Æsophagus.* Absit invidia a celebritate Hilarium. *Ophtalmus.* Non est invidia: injuriam fecit Tangulus, cum se prætulit mihi. *Auritus. Gulaphus. Nasutus.* Injuriam omnibus fecit. *Ophtalmus.* Ad Logum deferimus causam. *Tangulus.* Delicias quisque suas, quas Logo parasset, jactavit: dixi, meas omnibus potiores esse numveritas injuria est? *Auritus. Gulaphus. Nasutus. Ophtalmus.* Injuria est: Logus judex, & vindex sit! *Æsophagus.* Judice quid est opus, & tanto tumultu? Si sinitis, ego arbiter ero. Exhibete gaudia, quæ estis daturi: æqua dicetur sententia. *Ophtalmus.* Assentiri lubet? *Auritus. Gulaphus. Nasutus.* Assentimur. *Tangulus.* Accedo amore pacis. *Ophtalmus.* Amore pacis. Ecce paravi comœdiam. *Auritus.* Ego musicam addidi. *Æsophagus.* Nuptiæ Bacchi & Veneris in scenam datæ! Videre aliquid, & audire licet? *Ophtalmus.* Parati actores stant. *Auritus.* Initium date. *Æsophagus.* Scena prima: Dii omnes se Baccho subjiciunt, & suis ornatum insignibus ad nuptias ducunt. *Auritus.* Eins! .. eins! ..*

Adsit omnis homo!
Et Bacchi plurimam,
 Quam de Diis accipit,
 Quibus arma eripit,
 Quosque sibi subjicit,
Miretur gloriam.

2. Pri-

* Cantus cum saltu, & exhibitionibus.

2.

Primus ſe Saturnus
Fatetur ſubditum:
Tempus omne conſecrat:
Diem quem non dedicat,
In nefaſtis computat,
Et credit perditum.

3.

Mars hic ponit palmas:
Hic, hic eſt Capua,
In qua vel Hannibales
Perdunt ſuos milites:
Ubi virent palmites,
Non creſcit laurea.

4.

Quidquid dicat Ceres,
Pan ſtivam abjicit:
Nil de pane cogitat:
Modo Bacchus faveat,
Et de ſiti caveat:
Libenter eſurit.

5.

Fulmina Vulcano
Extorquet Bromius:
Sic miniſtri vindicis,
Exarmantur Nemeſis:
Placat iram Judicis
Falernus cantarus.

* Bacchus inter pocula ſedens deſilit, & in ſaltu Deo cuilibet unum propinans, viciſſim ei inſignia eripit: ad ultimum omnes ſaltant, & poculum vacuantes præſtant homagium Baccho per calcata eorum inſignia in thronum, id eſt, dolium evadenti cum Thyrſo.

6.

Clavam dat Alcides,
Ad Bacchi classicum:
Quisquis vinum facilis
Dextra manu accipis,
Læva herbam porrigis;
Vis perit virium.

7.

Pluto tradit claves;
Quid Bacchus nesciat?
Frustra quærit veritas
Tutas sibi latebras;
Nam & portas inferas
Lyæus reserat.

8.

Dedit se Apollo;
Cantatum satis est!
Frangite jam barbita!
Musis inter pocula
Nulla est laus reliqua;
Cantatum satis est!

9.

Plaude! silent leges;
Majestas periit!
Bacchus pro Jupitere
Orbem cœpit regere:
Sceptrum cingunt hederæ;
Majestas periit!

10. Quan-

10.

Quanta ergo Bacchi,
Et quæ est gloria!
Cujus ad imperia,
Ipsa quoque Numina
Cessant esse Numina,
Et fiunt nomina.

Ophtalmus. Quid ad hæc? *Auritus.* Putas, placebimus? *Æsophagus.* Omnino, si quidem Plutonem invitare velitis. *Ophtalmus.* Imo Logus spectator erit. *Auritus.* Et auditor. *Æsophagus.* Sapitis? *Gulaphus.* Recte exprobras frater. *Nasutus.* Numquid id præsensit Nasutus? *Gulaphus.* Hic utique apparatus placebit? *Nasutus.* Cui ego odores addam, & spiritus peregrinos. *Æsophagus.* Irascar, an rideam? *Tangulus.* Nempe ego triumpho! Choreas instruam, Æsophage, non quales ostentavit Ophtalmus, ubi solitarius quispiam tripudium faciet, sed cum comite: choreas, quas præcedunt amœna colloquia, & urbani sales, comitantur gratiæ, joci sequuntur. *Æsophagus.* Apage! Nam sic vos Logum nostis? Pro laude objurgationem referetis, pro præmio pœnam. Sic Logum nostis? Rigidum & sævum Dominum servulis quando arridentem vidistis? Fratres sumus! Ingemisco, quoties tyranni subit memoria. Quid agitis? Non lubet tandem jugum excutere? *Tangulus.* Quam ego audio dulcisonam vocem? *Gulaphus.* O aurea libertas! Sed ad servitium natura genuit. *Æsophagus.* Audendum aliquid supra naturam, aut etiam contra. *Nasutus.* Res blanda, sed ardua. *Æsophagus.* Nihil magnanimis arduum. *Auritus.* Sed quæ spes est, ut nos subtrahamus Logi imperio? *Ophtalmus.* Et quæ temeritas perduellioni se dare? *Æsophagus.* Perduellis non est, qui tyrannum repudiat. Mirum! Leviter adeo sentiri a vobis miserias, quibus opprimini. Aperite oculos, & duritiem impotentis heri, cui inclina-

mur, attendite tandem. Ophtalme, quot tibi imagines Logus laceravit? Quot specula fregit? Quot libros cremavit? *Ophtalmus.* Fatendum. *Æsophagus.* Et Bacchi cum Venere nuptias patiens intuebitur? Quoties argumenta etiam castiora spectare prohibuit? *Ophtalmus.* Metuere incipio. *Æsophagus.* At tuæ scilicet choreæ placebunt? Nonne etiam dormientem persequitur, & feret saltantem? *Tangulus.* Vere ajs: nam centies inculcat illud: septem horas dormisse sat est. *Nasutus.* Mihi, cum aliud non est, quod carpat, etiam usum tabacci vetat, quo, quid est innocentius? *Auritus.* Mihi, quid crudelius, præcipit, ut aures spinis sepiam, ne audiam Sirenum voces. *Gulaphus.* Nullum tamen habet durius, me. Scitis, quot jejunia imperet. Jamque iterum tristis Quadragesima in foribus est. *Ophtalmus.* In malis necessariis una est medicina, patientia. *Æsophagus.* Nulla necessitas vos servos facit. Adhærete fratribus, liberos faciemus. *Auritus.* Quid agamus inermes? *Æsophagus.* Triumphi partem relinquemus vobis; pericula nobis servabimus. Unum potestis obsequium facere. Audite me. Chronus Horarum Præfectus amat vos, scio. Multas ei sæpe horas abduxistis per jocum, dissimulanti & ridenti etiam. Id, ut agatis iterum, petimus. Chronus Logum potentem facit. Si non excubent Horæ, inermis est, & nostris patebit consiliis. Nihil virtus, nihil prudentia efficit, quam non adjuvat tempus. Chronum ergo vestris blanditiis in partes trahite: cætera permittite nobis: hodie liberi, hodie beati erimus. *Ophtalmus.* Promissum grande. Accedo fratribus: ad Chronum eo. *Gulaphus.* Omnes imus. Libertas placet. *Nasutus. Auritus. Tangulus.* Omnes imus: libertas placet. *Æsophagus.* Ite bonis avibus. Triumphas Æsophage, si æque ac tu, felix Audifax fuit. *Phantasus.* Heus frater! Nisi cito, quod statutum est, agimus, agemus nihil. *Æsophagus.* Somnia times, Phantase. Belle procedunt omnia. *Phantasus.* Belle utique, si abesset Prudentius, aut dormitaret

sal-

saltem. Sed ille totus vigil aulam obambulat: in stationes divisæ sunt Horæ: vigilias Chronus obit anxius totus, & curis plenus: aut proditi, aut certe suspecti sumus. *Æsophagus.* Et Audifax quid effecit? *Phantasus.* Visus non est mihi. *Æsophagus.* Tu perge mecum: narrabo, quæ te liberum curis facient. *Phantasus.* Fratres tenes? *Æsophagus.* Veni.

SCENA SEXTA.

* *Logus. Virtuosus. Prudentius.*

Logus. SIC ergo nostris obsequuntur mandatis.? *Virtuosus.* Sic responsum est. Et abeunti acclamvit rebellis: i, & hæc ab Æsophago refer, qui Regem præter se, nullum agnoscit. *Logus.* Vah.! Temeritas! Insanissima insania! Quis ergo obstinatum has in furias urget? *Virtuosus.* Nempe quod plerosque habeat Æsophagus faventes sibi. Animales homines non capiunt, quæ sunt spiritûs. Quacunque ibam, nullus, nisi de negotiis civilibus sermo, de prædiis, de vineis, de familia; una cura de bonis præsentibus, de pane lucrando, & augendo peculio, ut vivatur jucundius. *Logus.* Non improbo, nisi cum periculo animæ fiat. *Virtuosus.* Nempe, nisi! Atqui de anima vix cogitatur. Hic unus omnium timor est, ne nunc sibi sit male: hæc una cupido, ut nunc bene. Quid postea futurum sit, cogitaturos se dicunt, cum morientur. *Logus.* Hic error est pessimus. Nunc oporteret cogitare de negotio tanti momenti. *Virtuosus.* Oporteret! Sed nimirum non fit, quod fieri oporteret! Negant, nunc se vacare ad hæc cogitanda. Quisquis ad virtutem colendam invitatur, respondet: non habeo tempus. Ille dicit: villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Alter: juga boum emi quinque, & eo probare

illa.

* Aperiatur Theatrum superius.

illa. Tertius: uxorem duxi, & ideo non possum venire. *Logus*. Ergo quid consulis? *Virtuosus*. Nihil jam reliquum est. Virtute & armis opprimendus Æsophagus est, & adhærentium cohors. Vilis Logus est: non audiuntur mandata, quæ scribit ratio: quod Phantasus suadet, hoc agitur: adoratur Æsophagus: ejus cupiditati famulari elementa coguntur: & si quis se opponit, Audifax opprimit. Nisi in *violentia*, spes nulla remedii est. *Logus*. Nullum violentum diuturnum. Mallem obedientiam a volentibus fieri. Redi, & promissis misce minas. Corpum etiam parentem aggredere. Forsan amor Corpi persuadebit, quod non potest amor virtutis & Logi. *Virtuosus*. Parebo, quanquam timeo, ne jam Corpum quoque in partes pertraxerint suis, quas amat, blanditiis. *Logus*. saniora senex admittet consilia. Expertus novit, quam, non favente Logo, Corpo sit male. Filiis servire miser cogitur, si non vult mihi. Perge. O Curvæ in terras animæ! Quas vel formica confundat. Illa futuri provida in æstate laborat, ut habeat, unde vivat in hyeme. Cicada, dum cantillando, & saltando perdit utiles horas, cum hyems venerit, fame moritur. Quam sapienter mortales veritas monuit: venit nox, in qua nemo potest operari. Sed quis huc infert pedem? *Prudentius*. Prudentium vides. *Logus*. Versum in morionem? *Prudentius*. Non sine consilio. In tempore desipere, est sapere. Abjectam a Phantaso vestem reperi, & indui. Causam narrabo, si licet. *Logus*. Narra.

Scena intermedia muta. *

* **Exhibentur deliciæ æstatis in sylva, in horto, in agro. Formica sacco frumenti onusta, cicada in habitu cursoris colloquuntur per signa.**

ACTUS



ACTUS II.

SCENA PRIMA.

Chronus. Ophtalmus. Auritus. Nasutus. Gulaphus. Tangulus.

Chronus. SIC est, Charissimi, per me Logus est potens. Horas si illi nullas concederem, nullus foret. *Ophtalmus.* Et quid mercedis pro tantis obsequiis accipis? *Chronus.* Unam spem. Ablegor ad patientiam. Omnis hora, ait ille, omnis hora, quæ propter Deum jubetur Rationi servire in tempore, meretur mercedem æternam. *Gulaphus.* De æternis cogitem ego jam nunc? *Nasutus.* Coronemus nos rosis præsentibus. *Auritus.* Cogitemus de hyeme, cum est æstas? *Chronus.* Et nondum dixi, quod me pessime habet. *Tangulus.* Eja! & est pejus aliquid? *Chronus.* Certe: Nam Logus per meam indulgentiam usque audacior, sæpe præter morem alias & alias horas imperiose exposcit pro se, suas labori, suas somno, suas lusui eripiens. *Auritus.* Et tu pateris? *Chronus.* Quid facerem inermis! præcipue cum illi nunquam ratio desit, qua juste se probet exigere, quas exigit. *Gulaphus.* Igitur & tu juste exiges restitutionem. Utere occasione, quam, ut diximus, fratres faciunt. *Chronus.* Utar utique. Nam vestrum mihi suavissimum consortium, & blandas delicias an ultro invideam? Et filios meos, cum possum, non vindicem ex servitute? Videte, quam duram serviant. *Cernitis, ut omnes in feriis sint? .. Ne nocturnis quidem licet vacare. *Ophtalmus.* Pro! Quis est hic aspectus? *Chronus.* Hæc nempe Virtuosi dictamina sunt, quæ

* Horæ in suas stationes divisæ seria singulæ tractant.

quæ adorat Rex Logus. Ita vivendum omni hora, velut si esset hora mortis. *Nasutus*. Tristis lex! *Gulaphus*. Eremi hanc faciem esse rectius, quam aulæ dicas. *Chronus*. Rectius. Orando ac meditando noctes vigiles agere, prandere frugaliter, jejune cœnare, dure dormitare, instare laboribus, legere, studere, servire negotiis & bono publico, multa agere, *pati gravia*, hæ sunt stationes, in quas sibi horæ jubentur succedere. *Gulaphus*. Pro! Quæ est hæc vita misera! *Tangulus*. Tetrica! *Auritus*. Tristis. *Chronus*. At tandem satis. In vestram gratiam hodie diem recreationis pronuntio. *Ophtalmus*. Facis, quod decet amicum facere, ab amicis rogatum. *Chronus*. Eja! Filii! Seria in crastinum! Hodie vacamus! *Horæ*. * Io! Vacamus! *Chronus*. Aliam jam rerum faciem aula dabit. *Ophtalmus*. Magna, ut video, huic fistulæ virtus est. *Chronus*. Nempe Patris sibilus imperium est filiis. Hanc solam intelligunt vocem Horæ: & licet rumpatur Logus, non habebit ad obsequium ullam, nisi quam hæc fistula ciet, quæ idem præstat Chrono, quod sceptrum Æolo, & tridens Neptuno. Sed jam aliud spectaculum videte! *Hora 1.ma* Io vivamus! *Hora 2.da* Io! vivamus omnes! *Hora 3.tia* Beate est, amici! *Hora 4.ta* Eja! Triumpho! Habet! *Hora 5.ta* Allegro! *Hora 6.ta* O læta nox! *Hora 7.ma* Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula terram! *Hora 8.va* Hilares simus! *Hora 9.na* O gaudium! O delicium! *Hora 10.ma* Jucunde! *Hora 11.ma* Hei! Quam suaviter! *Hora 12.ma* Urgete Cheles! *Hora 13.tia* Fortuna fave! *Hora 14.ta* Gloriose, generose, alacriter! *Hora 15.ta* Perdidi! *Hora 16.ta* Perge aspirare chara Dea! *Hora 17.ma* Ne noceat haustus! *Hora 18.va* Eleganter. O pulchra species! *Hora 19.na* Eja pereat Imperator Turcarum! *Hora 20.ma* Ut sapit hoc vinum? *Hora. 21.ma* Pereat & Vezirius! *Hora 22.da* Pereat! *Hora 23.tia* O pulcer aspectus! *Hora 24ta.* Potes tu saltare, possumus & nos! *Chronus*.

* Horæ nugis vacant.

nus. Nunquid bellum spectaculum est? *Ophtalmus*. Næ tu mihi, auree Chrone, aureum videris sæculum revocare. *Auritus*. Imus, & fratres vocamus. *Gulaphus*. Io! Tandem mutandæ sunt vices; non ultra trepidabimus nudum satellitio Logum. *Nasutus*. Per te, amice preciose, securi sumus. *Chronus*. Ite igitur, & fratres monete, ut rumpant moras, dum habent faventem Chronum. Utendum tempore, cum se offert. Ite!

SCENA SECUNDA.

Chronus. Corpus. Virtuosus.

Virtuosus. CHronum hic video? Non jussus es tu excubare ad fores? *Chronus*. Scio, quid sit officii. *Virtuosus*. Etiam murmuras? Perge statim! *Chronus*. Lues ferociam. *Virtuosus*. Tibi dixi dicenda mi Corpe: saluti consule, & ut potes, filios a furore deterre. Nunquam eventus probat, quod improbat recta ratio. *Corpus*. Sed si pani lucrando, & comparandis necessariis damus operam, quod hoc est malum? *Virtuosus*. Est modus in rebus, mi Corpe. De necessariis sibi prospicere, & suæ familiæ, non est malum. Sed Æsophagi concupiscentia frænum non habet. Ita inhiat bonis vitæ præsentis, ut futuræ penitus obliviscatur: ut pro esca sollicitus negligat animam, quæ plus est, quam esca: denique ut pro pomo non dubitet vendere paradisum: hoc est malum. Audifacis pro crepundiis adeo immodicus ardor est, ut, si forte ventus adversus afflet navigantem, erecto collo, & pingui cervice adversum Omnipotentem se armet, & per calcatas Numinis leges in optatum littus prosiliat: hoc est malum. Phantasus mendaciorum faber est, qui tibi falsis imaginibus cerebrum implet: famem, pauperiem, miserias filiorum in tertiam & quartam generationem ante oculos ponit: curis & laboribus obruit, ita

ſcilicet neceſſariis, ut interituram omnem familiam putes, ſi horulam, quam oportet, animæ negotiis dones. Atque hinc eſt, Corpe, quod functionibus ſacris aut nullis te impendas, aut ita frigide, ut labia de Deo denique murmurent aliquid, dum cor Mamonæ affigitur anathema, & anathema ſimul. Hinc nullus eſt tibi ſenſus devotionis in precando, *nulla* ex audito verbo Dei correctio morum, nulla mutatio poſt *pœnitentiam*: hoc eſt malum. Spinæ ſuffocant ſemen, & nimia *moles negotiorum* extinguit ſpiritum. In ſudore vultus tui comedendus eſt tibi panis: Deus juſſit: ita eſt. Itaque labora pro pane, quia Deus juſſit: recte facis. Sed ita labora, ut inſtrumentis utaris licitis, ita, ut propter præſentia non perdas æterna, non negligas animam, inquam, tuam, tuam utique, non alienam animam, animam unicam, immortalem. Idem enim, qui ſudare pro pane juſſit, juſſit etiam, primum quærere regnum Dei, & juſtitiam ejus. Neque eſſet difficilis cura animæ, ſi pane ſolo, mi Corpe, & ſolis neceſſariis velles eſſe contentus. Sed nimirum edax familia etiam delicias exigit. Parum eſt Æſophago tuo, vivere, niſi des *laute* vivere. Et hoc eſt, quod curam animæ impedit, & eripit tempus, & pretioſas horas, quæ Deo, quæ animæ, quæ cœlo deberent impendi ad imperium Logi. *Corpus*. Mi Virtuoſe, nimis acerbus es tu concionator. Ergo ut eremicola Joannes locuſtis vivam, & melle ſylveſtri? Aliud jam uſus habet. *Virtuoſus*. Virtuoſus hoc poſſet petere; non tamen id Logus petit. Hoc Logo ſufficit, quod ſuffecit Apoſtolo: habentes alimenta, ſtatui congrua, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Natura paucis contenta eſt, cupiditas nullis. *Corpus*. Contentus utique Corpus foret: ſed filii exigunt plura. Æſophagum ratio ſtatus ſemper impellit ad poſtulanda plura: nihil eſt ſatis conveniens ſtatui, non veſtis, non cibus, non ludus: quidquid pretioſum non eſt, vile eſt; aliud petit. *Virtuoſus*.

Aliud

Aliud petit: & tu aliud das: negare ne ausis quidem. Fatere, si pudor non vetat, quis imperat domi tuæ, pater, an filius? *Corpus.* Ah! *Virtuosus.* Severius habuisses puerum, esset modestior juvenis. *Corpus.* Ah! *Virtuosus.* Frœnum injecisses ferocienti pullo, equus non recalcitraret. *Corpus.* Ah! *Virtuosus.* Vigilantior fuisses pater, honori & solatio jam liberi forent. *Corpus.* Ah! *Virtuosus.* Sera jam sunt lamenta, & Phrygia. Atqui nisi omni vi te opponas rebellibus, peribis cum illis simul. *Corpus.* Ah! Ah! *Virtuosus.* Nuntiavi, quæ jussit Rex. Consule tibi, & tuis. Gladium jam vibravit Logus, & arcum tetendit.

SCENA TERTIA.

Corpus. Æsophagus. Audifax. Phantasus.

Corpus. AH! Ah! . Ey! Hätti! hätti! hätti! . Prô filii! Si quid rogare patrem decet, rogo. Nulla, o mei filii, nulla salus bello: vertantur carbasa! Petamus pacem! *Æsophagus.* Nulla salus paci! Pandatur velum! Bellum urgendum est. Cedendum est regno, Lege, abitum para! Æsophagus jubet. *Audifax.* Audifax coget. *Phantasus.* Pudet servire diutius. Oderunt leones jugum, & capistrum excutiunt nobiles Aquilæ. *Æsophagus.* Felix tu pater es, qui filios genueris adeo generosos. *Corpus.* Felix pater! Ah! Ah! Felix essem, si vos occidissem in cunis. Ey! hätti! hätti! . Sed vel nunc sistite insanos impetus! Sic imperat parens. *Æsophagus.* Parens imperat esse mancipia? *Audifax.* Parens prohibet esse felices? *Corpus.* Servire rationi regnare est: nec esse felix potest, nisi quem ratio regit. Me vobiscum perimitis, si pergitis furere. *Æsophagus.* Meticulose senecio! Si gloriam & libertatem invides filiis, pater non es. *Corpus.* Dilecti filii! In exitium ruitis

cæci, & ficcus ruentes videam? Novi, quam fit invictus Logus, quamdiu Prudentius & Virtuosus assistunt lateri. Nec vi, nec dolo proficitur quidpiam. *Audifax*. Virtuoso obvium se Audifax feret, jugum indocilis pati. *Æsophagus*. Prudentium capere Æsophagus potest. *Phantasus*. Præcipue turbatum a Phantaso. *Audifax*. Sed tu, quo magis extollis hostium vires, Pater, eo filios in arma potentius trahis. Imbelli lepori non congreditur magnanimus leo: exultat, cum occurrere pantheram videt. *Corpus*. Sed non est semper felix audacia. Quid impositus Ossæ Pelion gigantes juvat? *Phantasus*. Fabulas tace, & tandem cessa obloqui. *Æsophagus*. Si juvare non placet, saltem non obsiste. *Audifax*. Neutrarum ut sis partium, hoc patimur denique, ut modestiam videas. *Corpus*. Inferi tuæ modestiæ præmium ferant. Ey hätti! *Æsophagus*. Quid tamen urgemus senem? i, Logum concita adversum filios: sic profiteris parentem verum! sic naturæ obsequeris. *Audifax*. Hoc nati meruere suis pro te laboribus, ut deliciis, libertate, gloria spoliati, vindicare, quæ amiserunt, vetentur à patre. *Phantasus*. Et cum propitia laurum inclinet victoria, decerpere ramum prohibeat pater. *Corpus*. O chari filii! Sic irasci vos decet paternis monitis? *Audifax*. Certe, si desides & ignavi patienter ferremus immane jugum, tu increpare inertiam deberes, & animare filios in ausa tam pulchra. Nunc.. *Phantasus*. Sed veniam meretur, frater, imbellis senecta, cujus frigus calori Martio contrarium esse, quis est, qui nesciat? *Æsophagus*. Nempe spiritus bellicos ego a Patre postulavi? Consilio, ut senex juvet, hoc exigebam. Jam video pariter debilem esse pede, & capite. *Corpus*. Ah! Ah! Nunquam putassem, filios meos adeo degeneres fore. Filii, quo Patrem cogitis? *Audifax*. Cessa hoc nomen. Perge, si vis, etiam proditorem age! Accusa nos, perfidos, rebelles nuntia! Gloriamur! *Corpus*. Absit hoc a parente. Dulcissimi nati mei,

quid

quid furitis? Amor coegit resistere periculoso facinori. Si vobis aliter visum, agite, quod videtur. Ætatem habetis. *Æsophagus.* Tandem loqueris, quod patrem decet. *Corpus.* Sed eheu! Quas ego procellas prospicio. Sic fit. Ey! hätti! hätti!

SCENA QUARTA.

Accedunt quinque fratres minores.

Æsophagus. Opportune vos infertis fratres. Sufflaminata sunt tandem Patris obstacula: potestatem agendi, quod lubet, fecit. *Ophtalmus.* Et horæ, quid vultis amplius, ab obsequiis Logi abstractæ sunt. *Auritus.* Ludere par impar, equitare in arundine longa, garrire, rixari, bibere, ludere, dormire, venari, captare muscas, & luteas casas ædificare, hæc sunt negotia, quibus se jam occupant horæ, vacare ab excubiis in hujus quinarii gratiam a Chrono permissæ. *Gulaphus.* Arma posuerunt: ne una quidem ad Logi cubiculum vigilias obit. *Audifax.* Beate est! Accingimur fratres! Opprimatur tyrannus cito. *Phantasus.* Trepida miser! fatum imminet ultimum, & ineluctabile. *Æsophagus.* Obsequium, quo obstrinxistis nos vobis, æstimari non potest. *Audifax.* Et quo vos satis ornemus encomio, quo præmio remuneremur pro Chrono in nostras partes adducto? *Æsophagus.* Macti animo este: in Capitolio cœnabitis hodie. *Phantasus.* Explica ventrem Gulaphe, & dentes acue. *Audifax.* Nos acuimus arma. *Tangulus.* Ite fortes, & pro libertate, pro gloria, pro felicitate pugnate feliciter! *Nasutus.* Pugnate feliciter. *Gulaphus.* Ego saturabor denique a tot jejuniis liber, & famem penitus ac basilice debellabo. Ad arma! *Ophtalmus.* Hodie tandem rumpetur fœdus, quod pepigit Logus cum oculis suis!

Lice-

Licebit meis deliciis frui. *Auritus.* Et mihi meis. *Tangulus.* Et mihi communiter omnibus. Sed quid ? An perpetua singulis constabit fides ? Nulla nos rumpet discordia nova ? *Nasutus.* Hoc absit malum ! Jurandum est, & solennitatem juramento hæc pixis dabit. Immittite digitos, & repetite verba, quæ præeo. Siquis perfidus fratres deserat, si levis mutet propositum, si concipiat pœnitentiam facti, si turbet concordiam, tot maledictionibus obnoxius esto; quot pulvisculos tabacci hæc pixis habet. *Omnes.* Si quis perfidus &c. *Nasutus.* Sumite! *Omnes.* Tsi, tsi, tsi, tsi! *Ophtalmus.* Peractum est. Dividamur jam, & quisque obeat commissas partes. Ego Logum observo. *Auritus.* Ego Virtuosum. *Nasutus.* Ego Prudentium. *Gulaphus.* Ego fratres. *Tangulus.* Ego parentem. *Nasutus.* Quis autem Chrono, & horis invigilat ? *Tangulus.* Chronus noster est: horæ dissipatæ. Securi sumus. *Omnes*, Eja! Ad opus.

SCENA QUINTA.

Prudentius.

Prudentius. PErgite! Quo vos Æsophagus vocat. Nempe Prudentius sim, & non perspexerim rebellium vesana consilia ? Intricata multo labore fila evolvam facile. Et mihi sunt artes, est eloquentia, & ingenium ad pios dolos eruditum. Scio, quem bona fraude jam hic aggrediar, mentitu[s] Phantasius. Temporum præsidem Chronum peto. Ille, ut m[e] Phantasum vere credat, huc adsint somnia, & ludant phant[a]smata. Nec enim est modus aut jucundior, aut facilior, q[uo] fallitur tempus. Eja! . * Sic melancholicis illudit Phanta[sia]. Trepidant, & tristantur sine causa. Eriperent larvas spectris, [...] læti forent. . . Exultant sanguinei, & gaudia somniant, [...]

cho-

* Exhibentur temperamenta in umbra, sub musica congrua.

choreas, & raptus. Vah! Inania gaudia! Vah! Brevia! ... Timet phlegmaticus, ubi non eſt timor. Videte, ut laboret emergere ex vorticibus. Stulte, oculos aperi, & jam in portu es.. Furit cholericus, quis læſit? Phantaſma fuit., Nemo te offendit, inſane, quid aërem verberas? Nempe ſic Phantaſus urget. Ego dormientium ſomnia ridenda dico, flenda vigilantium. Olim mors aperiet oculos, & tunc ridebunt alii ſuæ vitæ triſtitias, ſua gaudia plorabunt alii, alii ſuos timores mirabuntur, & alii deteſtabuntur inſanos furores. Intelligent omnes, ſe ſomniaſſe: & pœnitebit, plus credidiſſe ludibriis Phantaſi, quam Prudentii bonis conſiliis. At en! Prodit, omnino prodit, cujus affatum cupio.

SCENA SEXTA.

Accedit Chronus.

Chronus. NEmpe tu eras, Phantaſe, cujus Phonaſcos audivi modo? *Prudentius.* Lepide! Ludere juvat, cum fratres pugnam meditantur, & prælium. Plus poteſt ludens Phantaſus, quam furens Audifax. Marte agunt fratres: Phantaſus arte vincit. Sed ſcilicet tua opera indiget. O Chrone! Quantum beneficium, abductæ horæ! Sed adde alterum. *Chronus.* Pete. *Prudentius.* Æterno Phantaſus tibi devinctus eſt fœdere. *Chronus.* Pete! nam quid ego tibi poſſim negare? Mille facetiis tu recreas Chronum, & horas ei jucundas facis. Pete. *Prudentius.* Nil grande petam. *Chronus.* Etſi maxima petas, repulſæ ſecurus es. *Prudentius.* Tua bonitas & neceſſitas rei audacem facit. Feciſti favorem: ſed nam! *Chronus.* An dubitas, de favoris conſtantia? Tempora mutantur, ajunt; Chronus non eſt idem quotidie. Convitium patienter tuli. Sed nempe cum quotidie novis urgerer

rer imperiis, necesse utique fuit, mutari me. Nunc mutare Dominum lubet, ne muter ego usque. Duram servitutem sat diu servivi Logo. Pœnitet serio. *Prudentius.* Non dubito, de data fide. Logum tamen adhuc metuo. *Chronus.* Sine satellitio horarum? *Prudentius.* Quas pro se ferociter exiget. *Chronus.* Quas Chronus negabit constanter. *Prudentius.* Vim faciet per Virtuosum. *Chronus.* Vi repelletur. Nempe Æsophagus, Audifax, & tu Phantase, vim ab uno metuitis? *Prudentius.* Vel contra mille suffecit Samson. Nihil vis contra virtutem valet, valet dolus. Itaque si bonum audis consilium, & quod spectat securitatem, horas mihi committe, & obsequi jube. Larvatas adducere in aciem meditor, ut tutius lateant, & terreant fortius. Sæpe phantasmata ita exterruerunt Logum, ut nec Virtuosum, nec Prudentium ultra sit ausus audire, & petitis Æsophagi ac Audifacis quantumvis insolentibus velut coactus annuerit. Sed opus fuit semper unius aut alterius horæ auxilio, a qua perficerentur imagines, & ageretur ludus. Quodsi hodie me juvent omnes horæ, & in terribilibus larvis compareant, putas, dubitari de victoria posse! *Chronus.* Consilium dignum Phantaso. *Prudentius.* Sed executio nulla erit, nisi Horæ pareant ad nutum mihi, & omissis nugis, quas tractant, serio attendant mandatis. Ergo tu, mi Chrone! *Chronus.* Intelligo, quid velis. Hanc fistulam cape. Ut primum inflabis, dispersæ congregabunt se Horæ, & habebis ad officium promptas omnes. *Prudentius.* Scio divinam instrumenti virtutem. *Chronus.* Nempe tale ut haberet temporum præses, necesse fuit, ne, qua ipse nolit, dilabantur fugaces horæ. *Prudentius.* Beatus sum! Propero, & statuta exequor cito: *Chronus.* Ecce! Sic stulti adeo quandoque sapiunt.

SCENA

SCENA SEPTIMA.

Chronus, Virtuosus.

Virtuosus. ITerum invenio te. Sic mandata exequeris, perfide! Nam cur nullæ pro obsequiis Logi laborant horæ? *Chronus.* Vacatur hodie. Seria jussi differre in crastinum. *Virtuosus.* In crastinum, dum motibus seditiosis agitatur aula? *Chronus.* Quis inter bacchanalium hilaria de seriis cogitet? *Virtuosus.* Non vigiles esse horas Prudentius jussit? *Chronus.* Prudentius etiam tuta timet. Credidi, haud adeo necessarias hodie vigilias esse. *Virtuosus.* Crude! Tuum est, imperia exequi, non discutere. Jam sine ambagibus Horas huc mihi siste! Dubitas etiam? Hoc momento adesse jube. *Chronus.* Unde convocabo dilapsas? *Virtuosus.* Abrumpe moram. Suaserim. *Chronus.* Postulas, quod fieri non potest. *Virtuosus.* Proditor insane! Notum est scelus satis. Dabis pœnas. Horas convoca rebelle mancipium! Aut latam jam nunc sententiam exequor. Nam hoc scito Chrone: finis venit, venit finis, jam nunc finis super te, & tempus non erit amplius. Hostes Logi foves, hoc video: propterea abduxisti horas. Sed & hoc scito: ad vindictam nulla opus est hora Virtuoso: momento sternam. *Chronus.* Dux magne! Inducias indulge servulo deprecanti. Fatebor omnia. Phantaso fistulam tradidi, & commisi totum in horas imperium! Quo abierit, ignoro. Tu illum aggredere. *Virtuosus.* Vah! Scelus! Imperium in horas committis morioni? Hæc fides tua? Abi, inquire, repete statim, & omnes huc mihi horas confestim siste. Cave, desit vel una. *Chronus.* Ah! Generose heros! *Virtuosus.* Quod jussi, perage cito, aut dispone domui tuæ; morieris, & non vives. Ultima patimur! In horas imperium Phantasus habet! Quæ spes est prudentis consilii super?

SCENA OCTAVA.

Virtuosus. Logus.

Logus. QUid sic agitur, Virtuose? Deseror? *Nulla stationem obit hora*: Chronus ubi? *Virtuosus.* Rex! Vix eloqui dolor sinit. Perfidus Chronus accessit rebellibus, & omne horarum imperium Phantaso dedit. Abductæ sunt omnes, & quæ a consiliis, & quæ ab armis sunt. *Logus.* Hem! Scelus immane! Chronus rebellis Logo? Quid jam agam desertus? Ubi Prudentius? *Virtuosus.* Scilicet consultando te perdet. Rex! Nisi in violentia remedium non est super. Lenta Prudentii consilia, & segnes moras non patitur rebellium ferocia, & periculi gravitas. Ensem denique, ut stringam, jube. *Logus.* In arctum redigor, ignarus, quid agam. Vim subditis inferam, quos, ut me-ipsum, amo? Obstat natura, Virtuose. Tyranni est, invitos premere: ego amari cupio. *Virtuosus.* Logus a rebellibus speret amorem? *Logus.* Desinent esse rebelles, si amari se sciant. *Virtuosus.* Quid sit amari, non intelligunt belluæ. *Logus.* Sentiunt saltem, & non raro cicurantur. *Virtuosus.* Sed redeunt ad naturam. Et quis tandem cum furibunda tigride, aut apro spumante blanditiis agit? Ferro rumpenda sunt ilia occurrentis bestiæ, invadere quæ Dominum audet. *Logus.* Nunquid severitas regnum Israëlis Roboamo eripuit? *Virtuosus.* Supplices Roboam rigide habuit: tu foves rebelles. Non ita decet. Audire si Virtuosum sustines, libere loquar, quæ veritas dixit: qui amat animam suam, perdet eam. Vince te ipsum, Loge, & hoc noxium frigus excute! Id totus Cælitum tibi exercitus clamat: vince te, & lentam naturam in heroicam iram urge! *Logus.* Heu! quo me impellis Virtuose! Et quis ergo rebelles in has furias egit? *Virtuosus.* Dixi sæpe: tua lenitas egit. Crescit audacia, quæ non premitur cito. Devasta-

vastata nemora, & redactæ in cinerem urbes sæpe scintillæ debent imputari non statim sopitæ: & torrens, cui molem mature non objicis, minoribus montium ac vallium fluentis auctus, in provinciarum excidium insolescit atrociter. *Logus.* Hoc est, quod metuo. Jam serum est, vi & armis rebelles domare, cum horas habent faventes sibi. Nisi blanditiis mihi conciliem, actum de regno est. *Virtuosus.* Quam ego degenerem vocem audio? *Logus.* Regnare nescit, Virtuose, qui nescit dissimulare. Cedendum ad tempus furori est, dum detumescat: dandum aliquid irritatis subditis, ne rapiant plura. *Virtuosus.* Hoc consilium desperantis est, non Regis Herois. Næ tu parum Æsophagum, parum Audifacem nosti, si speras, per indulgentiam induci ad modestiam posse. *Logus.* Quid faciam? Proditus sum, inermis, sine satellite! sine horis! *Virtuosus.* Metum abige, Princeps. Dum vivit Virtuosus, securus es. Ad victoriam non opus est hora virtuti: momentum sufficit. Erige animum! Hic te defendet! *Logus.* Imo hic: cape. Fortissime ferit Logi gladius, cum, qua vibratur, fortis est manus. *Virtuosus.* Exosculor regale munus. Trepidate hostes! invicta est Virtus, quam armat Ratio. Vicissim; Rex, meus, obsecro, te ensis muniat! *Logus.* Accepto amici donum. *Virtuosus.* Nemo te jam invadet impune: invicta est Ratio, quam armat Virtus. *Logus.* Sit igitur! Procede fortis, & insanientium conatus subrue. Vinco naturam, & ut vim rebellibus inferas, consentio. Vi compellantur, qui sponte subesse nolunt. Moriantur! *Virtuosus.* Imo mortificentur. Patere, Princeps! Non ego occidam mancipia, sed viva sepeliam, ut servire possint, rebellare non possint. *Logus.* Placet decretum forte. Exequere. *Virtuosus.* Procedo. Rex vive! Et animo alacri expecta victoriam. Absit metus: ut desint horæ, non deest spes. Memento, quod dixi: ad magna nihil opus est horis virtuti, momentum sufficit.

ficit. Vive! *Logus.* Vince! Trepidus expecto èventum, & interea in latebras me abdo, miserabilis Rex, ac subdito carens. Irrue funesta nox, & tantum dedecus Cœlo tege.

SCENA NONA.

Chronus. Prudentius. Corpus.

Chronus. PEriisti Chrone! Heu! Quid feci stultus? *Corpus.* O miserum Corpum! Nam quid denique fiet mecum? *Chronus.* O Corpe! Quid consulis Chrono, nam consilium in senibus est? *Corpus.* Chrone, quid consulis Corpo, nam consilium a tempore est? *Chronus.* Nempe ambo periimus! *Corpus.* Si Logus vincitur, periment Corpum filii: si ipsi vincuntur, perimet Logus. Ah! hätti! hätti! *Chronus.* Meis cervicibus Virtuosus imminet, nisi tu mihi Phantasum sistas, ut traditum restituat in horas imperium. *Corpus.* Virtuosus hoc facinus rescìit? *Chronus.* Rescìit. Perditi sumus, nisi cœpta perficiamus celeriter. *Corpus.* Quid? Si sistamus nos Logo sponte, & veniam oremus errorum? *Chronus.* Virtuosum timeo. *Prudentius.* Chronum hic video? Sic excubas? *Chronus.* Ignosce Domine! Comisi immane scelus, pœnitet, si est spes veniæ. *Prudentius.* Scio, & est spes, si facinus impium expias meliore. *Chronus.* Impera! *Prudentius.* Credebas horarum imperium dedisse te Phantaso: Errasti; ego accepi. Cernis? *Chronus.* O felix error! *Prudentius.* Recipe. Dispositæ in ordines stant: i, præsto, &, ut ad nutum obediant, cura. Sic me advocatum mereberis. *Chronus.* Promissum aureum! Agam, quod decuit semper agere. Nulla ut se hora Logo subtrahat, aut subtrahatur, hæc cura erit. Tu protege pœnitentem! *Prudentius.* Confide. Tu Corpe, instantis ruinæ filios ultimum admone, nisi perire cum ipsis velis. *Corpus.* Ah! *Prudentius.* Miseret me imbellis sene-

ctæ

ctæ! Infirma est caro: cessisti importunis, & consensum velut coactus præstitisti. Exorabo veniam, si semel adhuc officio fungaris patris. *Corpus.* Ah! Ut possem feliciter! *Prudentius.* Age, quod est in te. Ego Logum requiro. Nisi resipiscant rebelles cito, actum est.

SCENA DECIMA.

Corpus. Tangulus.

Corpus. QUis mihi nunc facundiam dabit, qua saxa, & cautes frangam? *Tangulus.* Pater! Cito! jam fratres assultum parant. Hodie in Capitolio cœnabimus. Disposita sunt omnia: tu solus dees. *Corpus.* In Capitolio cœnabimus! O vana spes! fac tamen, mi Tangule, ita fore, ut dicis: fac, Æsophagum regem fore, quid deinde tu faceres? *Tangulus.* Ego, quid facerem? *Corpus.* Ita: tu. *Tangulus.* Nempe felix forem, & quidquid allubesceret, agerem. *Corpus.* Ergo quid faceres? *Tangulus.* Quid facerem? Dixi, quidquid allubesceret, facerem. *Corpus.* Quid ergo allubesceret? *Tangulus.* Quid allubesceret? Nescio. *Corpus.* Nescio. Videte mihi hunc pauperem diabolum! Cur ergo appetis, quod nescis? *Tangulus.* Imo nunc occurrit, quid facerem. *Corpus.* Eja! Quid? *Tangulus.* Primum, Pater, dormirem quotidie, quantum allubesceret: deinde comederem splendide, quidquid, & quantum allubesceret: deinde biberem, quamdiu, & quantum allubesceret: deinde luderem, quamdiu, & quantum allubesceret: deinde saltarem, quamdiu, & quibuscum allubesceret: deinde facerem, quidquid insuper allubesceret. Et hunc ordinem diurnum tenerem, donec ætate, & viribus auctior ex adolescente evaderem juvenis. *Corpus.* Sic pecudes vivunt. *Tangulus.* Sic tamen allubesceret vivere. *Corpus.* Recte. Quid deinde faceres?

ceres? *Tangulus*. Deinde ad visendos gentium mores, & discendas linguas, Europam totam pervagarer curiosus, & exlex. *Corpus*. Gloriose. Quid deinde? *Tangulus*. Deinde in patriam redux circumspicerem amicitias, & patrocinia grandium, quorum ope titulos speciosos, & honores acquirerem. *Corpus*. Provide. Quid deinde? *Tangulus*. Deinde de pulchra, & divite sponsa cogitarem. *Corpus*. Lepide. Quid deinde? *Tangulus*. Accumulandis pecuniis, & amplificandæ familiæ me impenderem. *Corpus*. Egregie. Quid deinde? *Tangulus*. Deinde dulce senium, quietus, felix, & hilaris agerem, ad invidiam æmulorum, ad amicorum solatium, inter jocos, & amabiles lusus nepotum. *Corpus*. Eleganter. Quid deinde? *Tangulus*. Ha! Quid deinde? Deinde audio, moriendum esse. *Corpus*. Hoc habes. Et deinde sepelieris, & deinde imponetur lapis sepulchro tuo, cui incisum hoc, vel simile epitaphium, legent posteri: Hic jacet Tangulus: vixit 70. annos, genuitque filios, & filias, & mortuus est. Hæc omnis laus. Hoc tu non cogitas modo, improvide, fatue puer. *Tangulus*. Cogitabo, cum erit tempus. *Corpus*. Sic etiam cicada formicæ in apologis loquitur. Sed quid fit? Cogitare cum potes, non vis: cum voles, non poteris. Aliud Logus, aliud Virtuosus, & Prudentius docent. Horum, mi fili, monita sequimur, non fratrum tuorum, quorum omne cerebrum in ventre est. Utinam non & aures essent! Extremas preces affero. Tu minores de periculo mone, ne pari cum majoribus se ruinæ objiciant. *Tangulus*. Eventum expectabimus quieti. *Corpus*. Ah! quam timeo, ne irritus sim! O filii! O hätti! hätti!

Scena intermedia muta *

* Theatrum exhibet squalorem hyemis: ningit: formica ex cassæ fenestra videt cicadam, quæ ex desperatione seipsam in lacu mergit.

ACTUS

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

Prudentius. Logus.

Logus. QUO fugio? Etiam latebras ſcrutantur rebelles. Quin occurro denique, & Virtuoſi ferro meam vindico majeſtatem! . . Res plena diſcrimine, cum deeſt Prudentius, cum Virtuoſus, cum ſolus Logus. O quæ vos tamdiu tenet mora, Proceres mei! . Nempe deſertus ſum! Trador! Væ Logo! ſi aut in manibus perduellium illi ſunt, aut ſalutem fugiendo redemerunt! *Prudentius.* Te video, Rex? Vive! *Logus.* Beat me aſpectus Prudentii. Quo loco ſtant noſtræ res? *Prudentius.* Optimo. Chronus ad officium rediit: Horas obtinui: illæ in vigiliis omnes ſunt: Virtuoſus excubat ad certamen accinctus: quem Phantaſus Æſophago thronum erexit, ego evertam. Adeſto Rex! Dignum Logo ſpectaculum damus. Nec ulla eſt mora. Veni. *Logus.* Favete Superi! In prælium eo. *Prudentius.* Imo ad triumphum. Spectatorem te eſſe pugnæ Virtuoſus deſiderat, ſolus futurus actor. Quibus pro te ſtudiis agamur, jam apparebit. *Logus.* Studia ſecundent Divi. Præcede. Securus ibo, qua præit Prudentius. *Prudentius.* Ut jubes. * Et jam ecce theatrum ſe aperit. Triumphat Phantaſus. *Logus.* Vah! Eccur non invadimus? *Prudentius.* Rex! Me ſequere.

SCENA SECUNDA.

Æſophagus. Audifax. Phantaſus. Ophtalmus. Auritus. Naſutus. Gulaphus. Tangulus.

Phantaſus. IO Victoria! Tenet Capitolium Phantaſus patentibus portis admiſſus. Arripio regale decus. Plaudite! Mira erit in orbe mutatio! Phantaſus in ſolio Logi ſedet.

* Phantaſus in ſolio Logi ſedet.

det. Fratres! Ubi trahitis moras lentuli? Eja Æſophage! Vive, & regna! Vicimus! *Æſophagus.* Vicimus! Altum ubique ſilentium: mira eſt ſolitudo. Et ubi Logus? *Phantaſus.* Quo illum Phantaſus pepulit, & abſtulit metus. Tibi hunc thronum ſtatui. Aſcende! Impera! *Audiſax.* Mira aulæ facies: nemo ſe movet. Nullus apparet Prudentius, nullus Virtuoſus. *Æſophagus.* Concedamus miſeris triſte ſolatium, ignavas latebras. *Audiſax.* Imo ſcrutemur angulos! Protrahantur ad pœnam. *Æſophagus.* Imbellis Virtuoſe, quid agis? cur tuum deſtituis Logum? *Audiſax.* Cur Chronum non urget Prudentius? Cur horas non evocat? *Phantaſus'* Æſophage regna! Pro Virtuoſo Audiſax, pro Prudentio Phantaſus erit. *Æſophagus. Audiſax.* Erit.* *Phantaſus.* Inferi! Quid eſt hoc? *Æſophagus.* Quid trepidas? *Phantaſus.* Juvate! Iterum feralis larva ſe mihi objicit. *Audiſax.* Larvis territant? Num pueri ſumus? *Phantaſus.* Prô veſtram fidem! *Audiſax.* Ad arma frater! *Gulaphus.* Heu! Spectra, ſpectra occurſant undique! *Tangulus.* Fugite fratres, fugite! *Ophtalmus.* Ah! Loge Princeps! Ophtalmum protege! *Æſophagus.* Tacete Logum! Æſophagus regnat. *Audiſax.* Quid metuitis tyrannum ſatellitio nudum? Nobis confidite! *Ophtalmus.* Forte Chronus animum mutavit, & datam fidem. *Auritus.* Heu! Heu! Fratres! Fugimus! *Naſutus.* Pro monſtra! Loge, Loge, te colimus! *Omnes.* Loge, te colimus! Fugimus! Fugimus! *Audiſax.* Fugite ignava pecora! *Æſophagus.* Ad ſtygem ite! *Phantaſus.* Quo me auferam, fratres! Orcus in nos ſurrexit. Undique infeſtant ſpectra. *Audiſax.* Metuat ſpectra Phantaſus: non metuit Audiſax. *Æſophagus.* Non timet Æſophagus. *Audiſax.* Eja! Ruimus in medias acies! Ubi ſunt?

* Terra ſub ſolio tremit. Horæ ut Spectra ſenſim ſe exhibent.

SCE-

SCENA TERTIA.

Accedit Corpus.

Corpus. Sistite vel nunc, o Nati, ferocem impetum. Extensa patris brachia morentur furorem. Non cernitis, ut sol ipse tenebris obnubat caput, vestrum exhorrens scelus? *Æsophagus.* Lamenta remove. Nihil opus est nobis sole, quos illustres gloria faciet. *Corpus.* At tu Audifax! *Audifax.* Cessa! cessa! Adamantem emollies citius, quam pectus hoc. *Corpus.* Tu Phantase! *Æsophagus.* Nutas perfide! *Corpus.* Tu saltem parenti obsequere! *Audifax.* I, fratres desere, miles gloriose! quem umbræ fugant. *Phantasus.* Non desero. Jacta est alea. Pater, vale! *Corpus.* Non sum Pater. Ite perditi, & perite! Vestris vos furiis relinquo, & destinatis tormentis. O hätti! hätti! Sed nunc exue amorem cor! & quidquid est intus Patris, ejice! Triumpha rebelles Loge! ulciscere ingratas belluas! & Corpo parce.

SCENA QUARTA.

Æsophagus. Audifax. Phantasus. Virtuosus. Horæ.

Audifax. Vah! tamdiu senis querelæ retardant, quos nec inferi remorentur. Conjungimus dextras! in hostes dividimur! *Omnes.* Eja! si quis est hostis procede! congredere! *Audifax.* Vah! larvæ stygiæ! *Phantasus.* O horror! pereo! nam qua effugiam? *Audifax.* Undique cingimur. *Æsophagus.* Quid consulitis? *Horæ canentes.* Memento homo, quia pulvis es! & in pulverem reverteris! *Audifax.* Hem! quid occinunt? *Phantasus.* Heu! lessus canitur: periimus omnes! *Horæ altius.* Memento homo, quia pulvis es! & in pulverem reverteris! *Phantasus.* Memento Æsophage! pulvis es! *Æsophagus.* Memento Audifax!

difax! *Audifax.* Serum est hoc cogitare. Aut vincendum est, fratres, aut pereundum. Resumite animos, quales exigit aut spes, aut desperatio. Me sequimini. Salve libertas aurea! jam obviam prospicio, & propero in occursum! *Horæ altissime.* Memento. *Æsophagus.* O diras voces! *Phantasus.* O aurium tormentum grave! *Audifax.* Vah! quo rapimur stulti! Dispeream, nisi vanis timoribus agitamur. Non adsunt ex inferis istæ furiæ: phantasmata sunt, quæ tu adduxisti, ut ludum nos faceres. *Æsophagus.* Haud suaserim ego tibi jocos tam importunos. *Phantasus.* At ego, o mei fratres, serio trepido. Ultima patimur: actum est! *Audifax.* Evanescent spectra, frater, si hæc victima mactetur stygi. Aut fatere scelus, Ludio, aut peris! *Phantasus.* Heu! *Æsophagus.* Prô frater! jam imminent etiam. O siquis esset effugio locus! *Phantasus.* Heu! *Audifax.* Heu! Virtuosum video. *Virtuosus.* Quid est rebelles? Adest, quem provocastis. Congredere aliquis! *Omnes.* Heu! heu! periimus! *Virtuosus.* Nolo perire vos. Vivetis, sed in sepulchro. * Ruite! *Omnes.* Heu! heu! heu! *Virtuosus.* Habent, jacent. Sic mortis memoria vincit peccatum. Jam mihi ad triumphum reducendus est Logus.

SCENA QUINTA.

Ophtalmus, Auritus. Nasutus. Gulaphus. Tangulus. Prudentius.

Ophtalmus. HEu! quo fratres ruistis? *Auritus.* Et quo nos agemur? *Nasutus.* Scilicet idem fatum culpam eandem manet. *Gulaphus.* Vivi contumulabimur omnes. *Tangulus.* Æterni carceris pœna immodicum libertatis desiderium erit luendum. *Ophtalmus.* Ergo valete lucida sydera heu!

* Omnes sub solio in tumbam mutato sepeliuntur.

heu! nunquam amplius his oculis oritura. *Auritus.* O meum delicium! cui nunc servies? Quam atrox has aures cruciabit musica, quam instruent dissona desperantium animarum tormenta! *Nasutus.* O flores! o mei amores! ergo flaccescetis? *Gulaphus.* Bacche & Ceres, o mea Numina, sic me deseritis? *Tangulus.* O Dea Cypria, ita Tangulum decipis? *Ophtalmus.* O sylvæ! o montes! o cavernæ! o si quis est uspiam, quem misereat miserorum! *Tangulus.* Date refugium afflictis & trepidis! *Auritus.* Recipite trementes columbas, quibus accipiter imminet! *Nasutus.* Heu! Prudentius adest, severus ultor. *Prudentius.* Sistite! nam quo evadetis? *Gulaphus.* Permitte! *Nasutus.* Ah permitte! *Prudentius.* Manere volo, impero. *Auritus.* Neque saltem indulges exilium? *Nasutus.* Et nihil omnino miseret miserorum? *Prudentius.* Erratis. Non vindicem sentietis Prudentium: Patronum habebitis, si pœnitet Commissorum. *Ophtalmus.* Dulce promissum! *Gulaphus.* Spe nostra majus. *Auritus.* Et meritis majus. *Omnes.* Ah! pœnitet! *Prudentius.* Quam Corpo & Chrono jam impetravi veniam, obtinebo & vobis. Hic latete, dum vocem. Facilis est ad gratiam Princeps, cum non peccatur proterve. Ingreditur. Nunc res agenda. Ego gloriosæ, Princeps, applaudo victoriæ.

SCENA ULTIMA.

Personæ omnes.

Logus. QUæ tuæ plurimum debetur industriæ. O quam sapienter desipuisti! *Prudentius.* Nunc cum exui Morionem, sine, ut induam Oratorem. Reis errorum veniam postulo. Pensabunt delicta obsequiis. Tunc illustrissime lucet Regum potentia, cum Justitiæ & Clementiæ radii miscentur si-

mul. Promulga gratiam: nec sine, ut Prudentius frustra Caduceum teneat. *Logus*. Quod postulas, habe. Pono culparum memoriam: adsint absque metu. *Virtuosus*. Migrate funestæ tenebræ! Serenum victori applaudat cœlum! Reduce diem, & in sepulchro solium firma Principi. In hoc fundamento perpetuum stabit. *Chronus*. Fidelem, O Rex, habebis posthac Chronum tibi. *Logus*. Sic spero: hoc cave, ne aliud imperes Horis, quam ego velim. Quales Prudentius pinxit, tales, ut porro serviant, volo. Larvas mortuales præseferunt, quia nullam esse horam convenit, quæ non serviat ultimæ horæ, seu quam nollem esse horam mortis. *Prudentius*. Adsunt, si pateris, servi tui, jam tandem futuri fideles. *Logus*. Adeste: pronum ad vota habetis Logum. *Corpus*. Rex! Nisi nos prohibet triste &c.. *Logus*. Desinite præterita cogitare. *Corpus*. Quos mihi reliquos sinis, prosterno filios ad Domini pedes. *Logus*. Te, Corpe, fratris, hos habebo nepotum loco, si in sequentes juratis leges, quas dictabit Prudentius, & interpretabitur Virtuosus. *Prudentius*. Prima est: Ophtalmus, quod Ethnicos etiam Logus docuit, illud sæpe de Deo cogitet: os homini sublime dedit, cœlumque tueri jussit, & erectos ad sydera tollere vultus. *Logus*. Sæpius proinde aspiciendum esse cœlum, quam terram, sæpius stellas, quam fœminas. *Virtuosus*. Et adeo quidem, O Corpe, ut præceptum Numinis contra Ophtalmum sit: si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. *Prudentius*. Secunda est: Auritus non abeat ad magistros prurientes auribus, qui a veritate auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur. *Logus*. Tales nimirum, qui Doctores prudentiæ dici volunt, & ne sciunt quidem, quid vera prudentia sit; vera, inquam, non ani-

animalis, quæ axiomata coacervat solis rebus præsentibus opportuna, qualia etiam animalibus insunt. Illi audiantur, qui ad cælestia, ad æterna stimulant animos. *Virtuosus.* Sic rursum sacræ paginæ monent: qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat, non, quid caro. *Prudentius.* Tertia est: Gulaphus nimiam pro suæ gulæ deliciis sollicitudinem caveat, & famem solari contentus: superflua, ut hominem decet, contemnat. *Logus.* Illius memor: non est regnum Dei esca, & potus. *Virtuosus.* Et illius: Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus: cætera adjicientur vobis. *Prudentius.* Quarta est: Nasutus recordetur illius: qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. *Logus.* Nempe qui ad minimæ difficultatis odorem nasum in rugas trahit, non est aptus virtuti. *Virtuosus.* Inter illos est, de quibus legimus: radicem non habent: ad tempus credunt; & in tempore tentationis recedunt. *Prudentius.* Quinta demum est: Tangulus duo sibi verba teneat: fugite fornicationem. *Logus.* Et illa: molles regnum Dei non consequentur. *Virtuosus.* Hinc Veritas monet: si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. *Corpus.* Sanctæ sunt leges. *Logus.* Et sancte servandæ. Urgebit Logus: de mediis providebit Prudentius: ne Corpo difficiles accidant, juvabit Virtuosus, qui inclusos in sepulchro Corpi cæteros filios evocabit in auxilium patris, cum & quamdiu jubebit Logus. *Virtuosus.* Sapienter. Captiva vitia ad heroicos ausus serviunt. *Chronus.* * Paratus est thronus, Rex! Reduximus solem. In sole sedere Logum decet, & nunquam tenebras pati. *Logus.* Bene est. Præstate homagium. Vos sceptrum porrigite. *Virtuosus.* Rex! *Logus.* Quid vis?

* Fit lux. Aperitur interius sedes solaris.


vis? *Virtuosus.* Hoc sceptrum habe. * Sic suavius imperabis. *Logus.* Bonum consilium! O Redemptor! *Corpe*, si quis non amat Dominum Jesum Christum, *sit anathema! Corpus.* sit anathema! Eja filii! Juramus obsequium. *Omnes.* Juramus. *Corpus.* Vivat, & imperet Logus! *Omnes.* Vivat, & imperet Logus. *Logus.* Hic obedientiæ vobis exemplum, auxilium, *solatium* erit. *Prudentius. Virtuosus.* O diem serenam! *Corpus.* Non me capio præ lætitia. Prope mihi juvenescere videor, cum redeo sub tuum imperium. Io filii! Plaudite mecum!

Freu dich Himmel! Freu dich Erden!
Jetzt wird alles besser werden,
Weil d'Vernunfft den Scepter führt:
Und nicht mehr das Maul regiert.



* Crucifixum porrigit.

SER-



ARGUMENTUM

Allegoria est, sub cujus cortice hic nucleus latet. *Homo* cupiditate bonorum præsentium illectus, Deo tamen displicere pariter metuens, modum excogitat, quo ita mundo possit servire, ut Deum nihil offendat. Reclamat conscientia, & fieri hoc posse negat. A molesto monitore ut se expediat, quid agit? Primum mutam esse jubet, audire contemnens. Tum surdam, in inquirendo vero negligens. Demum cæcam vel in meridie, in crassa sibi ignorantia, & affectatissima complacens. Ita quietum, ac secure iis, quæ mundus offert, fruentem, repente, qua hora non putabat, occupat Deus: conscientiæ visus, auditus, loquela redditur, & sui carnificis statuitur carnifex. A mundo miser deseritur, a Deo damnatur, sero lamentans illud: non putabam! Sententiam jam executioni dandam, tamen in Theandri gratiam revocabit Deus, si stultitiæ homo poenitens, tandem statuat uni soli servire. Revocabit sententiam autem? Quin & mundum, qui prius ei dominabatur, servum subjiciet, facietque, ut vitam vivat omni suavitate refertam, ac nunquam non hilarem. Ita jubet nos palam prædicare Deus per Isaiam C. 3. *Dicite justo, quoniam bene! Bene! soli, & semper bene!*

PERSONÆ.

Amphibius servus duorum Dominorum, Creontis & Syn[esii] Pater. - - - *Politicus ut [...]*
Synesius Amphibii filius Uranium timens. - - *Conscienti[...] Creon[...]*

Creon Amphibii filius amans Cosmum.	*Caro.*
Cosmus sub specie Domini, revera Uranii servus.	*Mundus.*
Theander sub specie servi, Uranii causam agens.	*Christus.*
Uranius Cosmi Dominus.	*Deus.*
Mammon Cosmi amicus.	*Opes.*
Idonius amicus Creontis.	*Voluptas.*
Doxus amicus Amphibii.	*Honor.*
Alithius amicus Synesii.	*Veritas.*
Crisius servus Amphibii.	*Fallacia.*
Mansuetus Aulicus Uranii.	*Misericordia.*
Nemesius Aulicus Uranii.	*Justitia.*

PROLOGUS.

Ex Catalogo Emblematico eorum, qui stulto se labore consumunt, seligitur pro theatro is, qui duobus Dominis contendit servire.

Personæ. *Comœdus.* *Præfectus Morotrophii.*

Morotrophii Præfect. STultum, si bene intellexi,
Vis in theatrum producere, ?

Comœdus. Imo laboriosum
Sed qui labore irrito, i
Vitam consum

Morotrophii Præfect. Etiam horum i num

Comœdus. Scio, sed tu m gula
Nec enim quilib rvit
Qui cupit miscer i.

Morotrophii Præfect. Quin ergo nominas aliquem?
Comœdus. Obvium probabo,
Modo habeat hoc singulare,
Quod sit stultus Doctor.
Præfect. Morotrophii. Stultus Doctor!
Hic terminus complexus non *est significati-*
Quid docebit stultus? (vus.
Comœdus. Nihil est opus, ut doceat,
Modo dedoceat stultitiam aliquam,
In quam forte incidit spectantium aliquis.
Præfect. Morotrophii. Legam Catalogum:
Elige, quem aptum putaveris.
Comœdus. Placet. Lege.
Præfect. Morotroph. Catalogus stultorum hujus Morotrophii *or*dine alphabethi. Additur ars, quam quisque profitetur, & labor, quo occupatur.

Aurelius Allrain, professione Chymicus: laborat in lapide philosophico poliendo, cujus pulvis virtute Sympathica, pertusa marsupia sarcinet.

Barbatus Gribler, arte Vitriarius: laborat in Momi fenestra, per quam cordium arcana perspiciat.

Censorius Beller, professione Coquus: laborat in antiqua crambe.

Delicius Sehrzart, arte dulciarius Pistor: laborat in manna pinsendo.

Ego Einbilder, arte Architectus: laborat in turri Babylonica absolvenda.

Fœmininus Liendl, professione Venator: laborat in damis cicurandis.

Gaudentius Umundumb, professione Studiosus: laborat semel pro semper.

Hornius

Hornius Nimmersatt, professione lanio: laborat dentibus tantum.

Jactantius Blaser, professione Medicus: laborat in mortuis resuscitandis.

Legulejus Sprecher, professione Ludimagister: laborat in novellis corrigendis.

Murmuphus Beer, opificio restio: laborat in fortuna liganda.

Neidhardus Griengelb, professione opilio: laborat in lupo tegendo.

Olidus Caper, opificio sartor: laborat in vestibus Lunæ accommodandis.

Pertinacius Grind, opificio pileator: laborat in pileo in quodlibet caput habili.

Querulus Wainer, opificio textor: laborat in tela semper eadem.

Ridiculus Krautig, opificio sutor: laborat in Cothurno, qui staturæ suæ adjiciat cubitum unum.

Salabusius Gleisner, arte pictor: laborat in umbra.

Tumidus Pfeffermändl, professione mercator: laborat in verbis vendendis.

Vetustius Rostig, professione miles emeritus: laborat in revocandis horis elapsis.

Xantippius Stubenbass, arte musicus: laborat in Cantu duro molliendo.

Zolpius Amphibius Zwifalter, professione Politicus: laborat, ut duobus Dominis placeat.

Comœdus. Hic Alpha & Omega stultorum est:
Hunc seligo. Evoca.

Morotrophii Præfect. Adest.

Comœdus. Spectatores favete!..

1.

Dabitur Comœdia:
Cujus eſt materia,
Stultiſſimus ſtultorum.
Zolpius Amphibius
Servus ineptiſſimus
Duorum Dominorum.

2.

Vos a ſtulto diſcite
Sapere in tempore:
Ne ſero ſapiatis!
Scopus hic Comœdiæ;
Fructus patientiæ,
Sit, quam nobis datis.

3.

Hoc moneo: Comœdia
Hæc erit joco-ſeria;
Si quis non vult ridere;
Pax eſt: non contradicimus,
Dum agat, quod eſt melius:
Per nos licebit flere.



SER-



SERVUS DUORUM DOMINORUM.

ACTUS I.

SCENA PRIMA.

Cosmus Mundus. Creon Caro.

Cosmus. QUid ? Gemitum ex te audio ? Num te juratæ servitutis pœnitet ! Creon ? Num tyrannum me credis ? Jucundum est famulari Cosmo ; experiere. *Creon.* Nihil me pœnitet, Domine. Sed ! . *Cosmus.* Loquere. *Creon.* Dulcis est vox tua, dulcis aspectus, dulce imperium. Liceat utinam hac suavitate perpetuo frui. *Cosmus.* Velle est opus : nihil præterea. *Creon.* Juravi: volo. Num Pater etiam, & frater volent ? Illi si nolint, haud diu sinent meis me gaudiis frui. Verbo, exemplo, prior invitavi utrumque: promissa, minas, conditiones tuæ servitutis exposui. *Cosmus.* Et quid illi ? *Creon.* Dubium in partes animum versant. Amant, & timent te, Cosme Domine, sed Uranium amant, & timent etiam. Juratam Uranio fidem rumpere, & alterius heri imperio obligare, neque honestum credunt, neque tutum. *Cosmus.* Hoc solum cruciat ? *Creon.* Hoc solum. *Cosmus.* Atqui non sum ego hostis Uranii, aut qui velim addictos ipsi in scelus perduellionis adigere. Serviant Uranio, modo & Cosmo serviant. *Creon.* Quam bonus es! Possunt, ais, utrique servire ? *Cosmus.* Possunt. *Creon.* Bonum nuntium, si per te licet, actutum fero. *Cosmus.* Curre ! Synesius forsan non statim assentietur conditioni etiam tam liberali

Sed

Sed vos facite, ut ad me in Regiam veniat. Monebo meos, quid sit agendum, ut mentem mutet, & ponat pertinaciam. Ita Patrem cum filiis felicem reddam: opes, honores, voluptates ad nutum affluent, neque tamen offendetur Uranius. Quod si altercentur diutius, pauperiem, infamiam, tormenta timeant, & quidquid inferre mali Dominus contemptus potest. *Creon.* Loquar omnia: & nisi me fallit gaudium, felix Orator ero.

SCENA SECUNDA.

Creon. Synesius Conscientia.

Synesius. QUam gaudeo, frater, solus in solum incidere. Arcana sunt, quæ tibi loquar. *Creon.* Fratri loqueris. Quid affers? *Synesius.* Verbum unum, sed plenum horrore: proditi sumus. *Creon.* Nempe cui? de quo? *Synesius* Uranio, de consiliis mutandi Domini. *Creon.* Mutare decrevit Pater? *Synesius.* Nihil decrevimus. Sed displicuit vel deliberasse. Hoc momento missus ab Uranio tabellarius venit ad me: Theandrum se vocat. Is modeste mihi: ubi est Amphibius? inquit: alloqui cupio. Ego, non vacat, ajo, ut modo audiat te. Mihi loquere, fideliter referam, quid volueris. Faciam, inquit. Theander sum, ab Uranio missus cum hoc Epistolio (simul litteras tradit) & ego: quid imperat Dominus? interrogo. At ille jam fronte in rugas tracta severior: quid Dominum vocas, ait, cujus servitio vos paratis subducere? Legat has litteras Amphibius: & intelliget, quis sit Uranius, quis Cosmus: legat, & sapiat. Dixit, abiit. Mihi tremor omnes artes succussit. *Creon.* Epistolam porrige. Video ab Uranio esse. Sed si bene consulo, non tradimus Patri. Nam quid vanis minis agitemus in circo miserum? Clausam servabo,

bo, dum legere necessitas suadeat, aut opportunior hora. *Synesius.* Vanas tu minas dicere, frater, ausis? *Creon.* Nemo innocens ab Uranio plectitur: & nos hactenus peccavimus nihil: obediemus deinceps etiam: quid exigat amplius? *Synesius.* Obediemus. Scilicet nisi volentes, nolentes, pater adigat in obsequia Cosmi. *Creon.* Anxiæ mentis es: scrupulos ejice. Nunc, ab alloquio Cosmi venio: non est is, qui velit nos ab Uranii servitute abstrahere, ejusque vel privare favoribus, vel furori objicere. Servire Uranio sinit, & sibi vult simul. Utrumque amare possumus, neutrum debemus timere. Quid est in hoc proposito frater, quod reprehendere Uranius possit? Aut quis non viris magnis duobus, amicus esse, quam uni malit? *Synesius.* Haud prorsum inepte loqueris. Exploremus mentem patris. Video cum Mammone huc intrantem. *Creon.* Cum Mammone? Subducamus nos oculis, ut auribus arbitremur, quid agant. *Synesius.* Sequor.

SCENA TERTIA.

Amphibius. Mammon Opes. Idonius Voluptas. Doxus Honor.

Mammon. MUlta habebis bona, posita in annos plurimos: comede, bibe, epulare, chirographum trado Cosmi manu: tu fidem obliga. *Amphibius.* Obligasti me. Sed Uranius! *Mammon.* Dixi, Uranium non est, cur timeas. Procul in regiones exteras profectus, quis scit, quando sit rediturus, aut num aliquando etiam. Tu interim spe sola pasceris mercedis promissæ tibi: quid hoc est nisi umbra pasci Æsopici canis? Quod speras, incertum puta: quod habes, tene. Ita sapiens es. Et en! jam stamus in aula Cosmi. * Quanta legis? Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris Dominum, & juraveris fidem. *Amphibius.* Hæc omnia! *Mammon.* Et multo

* Aperit se aula Cosmi cum inscriptione.

multo plura, quam legis. *Amphibius.* Quanta bona! *Mammon.* Quid simile Uranius dabit? Promittit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit: tu cape, quæ vides, audis, tangis. *Amphibius.* Quantus est computus? *Mammon.* * Numera, Quoties passus decem in gratiam Cosmi ambulabis, accipies decem florenos. *Amphibius.* Video. Accelerabo incessum. *Mammon.* Quoties annutu capitis probaveris sententiam, quæ Cosmo placet, centum & quinquaginta florenos. *Amphibius.* Etiam pedibus & manibus annuam. *Mammon.* Adde jam ad centum quinquaginta florenos, 10. florenos. *Amphibius.* Jam erunt 180. *Mammon.* Ponamus jam, quod in die tantum viginti passus facias: multiplica 180. per viginti, jam erunt quater mille septingenti octoginta floreni. *Amphibius.* Quæso te! una die! *Mammon.* Adde pro qualibet linea, quam scribes, decem crucigeros, tres lineæ jam dabunt unum florenum, sex lineæ quatuor florenos, decem lineæ duodecim florenos. Multiplica hæc per accidentia, quæ fere omni die ferent octoginta florenos: adde dies diebus: multiplica dies per hebdomadas: adde hebdomadis menses: multiplica menses per annos: summa summarum erit immensa. *Amphibius.* Confundor penitus præ lætitia. *Idonius.* Quem huc nobis hospitem adducis, Mammon? *Mammon.* Virum, qui secretioris politiæ candidatus est, examinatus a me, & approbatus. Vacat Rex? *Idonius.* Accedi potest. *Mammon.* Intrabo. *Amphibius.* Sequor ducem. *Idonius.* Expecta, hospes. Neminem in penetrale admittit Cosmus, quem non prius Mammon commendarit. *Amphibius.* Didici esse patiens. Tu mihi jam, si lubet, nomen tuum edisfere, & quæ sit in hac aula vitæ methodus, doce. Idonius vocor, & Cosmi sum Ganymedes. Quid possim, ex statura ne arguas. In pumilo corpore animus Gigas vivit, de victoribus orbis jam sæpe victor. *Amphibius.* Grandescit Pusio. *Idonius.*

Tu

* Computant ex tabella mercedis summam.

Tu murmuras? *Amphibius.* Nihil admodum. Narrare perge. *Idonius.* Cave, ne me contemptum sentiam. Quem ego desero, vitam acerbam ducet. *Amphibius.* Dissuavior. Ama me! *Idonius.* Nondum te novi satis. *Amphibius.* Gratiosus es. *Idonius.* Cessa! nihil me blanditiæ movent: mereri amorem debes. *Amphibius.* Quid exigis? *Idonius.* Mores & actiones tuas ut conformes moribus & actionibus mei Domini, hoc requiro. Potes? *Amphibius.* Explica. *Idonius.* Cachinnari potes, cum ridet Cosmus? . . *Amphibius.* Hi! *Idonius.* Ejulare, cum ille flet? *Amphibius.* Heu! eheu! *Idonius.* Frendere, cum ille irascitur? *Amphibius.* Quos ego? . *Idonius.* Trepidare, cum ille timet? *Amphibius.* Ah! *Idonius.* Furere, cum ille odit? *Amphibius.* Congredere, congredere. *Idonius.* Opportune accedis Doxe: saluta hospitem. *Doxus.* Hic est, quem mihi laudavit Mammon? Salve. *Amphibius.* Amicus hic, an inimicus est Cosmi? *Idonius.* Amicus. Venerare. *Amphibius.* Je suis vôtre serviteur, Monsieur, bon amy, du grande seigneure, je suis vôtre serviteur! *Doxus.* Linguam & mores habet ad Cosmi genium. Placet. *Amphibius.* Dic tamen, quis est hic vir? *Idonius.* Magnus Eleemosynarius est nostri Regis. Doxum se vocat. *Amphibius.* He! vous ête grande aumoniere du grand Signeur! je suis vôtre serviteur tres humble, tres humble! ô vous ête une du grandes personages, une du grandes, du grandes: permette mois vous baiser les main! je suis vôtre serviteur tres humble! tres humble! *Doxus.* Si! vous parlez fort bien françois. *Amphibius.* Un peu Monsieur! je suis vôtre serviteur! *Idonius.* Eleganter etiam latine loquitur. Audivi. *Amphibius* Si Monsieur! & præterea Italice aliquid, Hispanice, Belgice, Hungarice, Anglice: in omnibus aliquid. *Idonius.* Tenta virum accuratius, Doxe: reperies aptum. Ego quæ scio, Regi nuntio. *Doxus.* Igitur Cosmi gratiam ambis? *Amphibius.* Ut nihil magis: si tamen Uranium non offendam, cui

me ante jam obligavi. *Doxus.* Cur vero mutare Dominum placuit? *Amphibius.* Non displicet Dominus, sed merces in re modica, pene tota in spe. Futura semper promittitur: ego præsentem mallem, aut verius utramque. *Doxus.* Suspicio sapientiam. Ibant ad dextram alii, & soli Uranio adhærebant: alii ad sinistram, & soli Cosmo se addicebant: primus es, qui tentat viam mediam ad beatitudinem gradi. *Amphibius.* Utinam tam feliciter, quam audacter. *Doxus.* Nihil metue. Prudens consilium sequi solet eventus felix. Prudentiorem virum ego hucusque nullum vidi. Ad Regem eo: dignus es, quem collocet ad Reipublicæ clavum. Id ut libentius tibi præstet, & citius: elogium tibi loquar, & grande. Audire lubet? *Amphibius.* Mactor beneficio. Tace. *Doxus.* Rex, dicam, Amphibium paucis describam tibi; est discipulus præteriti temporis, præsentis Dominus, Magister futuri.

SCENA QUARTA.

Amphibius. Synesius. Creon.

Amphibius. O! Fort bien! Je suis vôtre serviteur, Monsieur! Hæc est digna eleemosyna a grandi Eleemosynario pro grandi mendico. Amphibius est Discipulus præteriti temporis! Ha! hoc est: didicit quidquid præterita tempora docuerunt! Amphibius est præsentis temporis Dominus, ha, hoc est, utitur pro arbitrio velut re sua: magna felicitas! Amphibius est Magister futuri temporis! Ha! Adeste ventura sæcula! Prudentiam docebo vos, quam nesciverunt præterita, & præsentia nescirent, si ego non essem. Amphibius est discipulus præteriti temporis, præsentis Dominus, Magister futuri. Multa paucis vir magnus dixit. Quid de me cogitabit Rex, si hoc audiat: Amphibius est discipulus præteriti temporis,

præ-

præsentis Dominus, Magister futuri! *Creon.* Non ultra me teneo. Pater, gaudeo te lætum esse. *Amphibius.* Hem! Adestis vos? *Synesius.* Vidimus, audivimus omnia. *Amphibius.* Quid promiserit Mammon? *Synesius.* Audivimus. *Amphibius.* Quam blanditus sit Idonius? *Creon.* Vidimus. *Amphibius.* Quid dixerit Doxus? *Synesius.* Audivimus. *Amphibius.* Quod de me dicturus sit Regi, quod Amphibius sit discipulus præteriti temporis, *Synesius.* & Dominus præsentis, *Creon.* & Magister futuri. *Amphibius.* Dominus præsentis, Magister futuri. Ecce hoc audistis? *Creon.* Omnia. *Amphibius.* Et quid jam videtur? *Creon.* Ut agas, quod tibi tua prudentia dictavit, quod adeo laudavit Doxus, imo quod jam ante Cosmus ipse probavit. *Amphibius.* Eja! Admissus es ad alloquium? *Creon.* Transeunti ad genua accidi. *Amphibius.* Jurasti fidem? *Creon.* Juravi. Admisit, & ultro patrem etiam admissurum promisit, si vellet. Excusavi per timorem Uranii. At ipse: non abstraham ab Uranio, inquit: servire utrique potest servitutem bonam, & quæ felicem cum filiis faciet. *Amphibius.* Eja! Beatus sum! *Synesius.* Dubito. *Amphibius.* Quid tu mussitas tecum? *Synesius.* Disputo aliquid. *Amphibius.* Contra consilium tantæ prudentiæ? *Synesius.* Scilicet. *Amphibius.* Ecce chirographum beatitudinis. *Synesius.* Imo miseriæ dixero. *Amphibius.* Insanis? *Synesius.* Pater, Mammon te in computando decepit: melius computa. *Amphibius.* Non decepit. *Synesius.* Numera. Insuper tantum de acceptis computum fecit, nullum de expensis. *Amphibius.* Nihil expendam. *Synesius.* Præterea fecit totum computum per additionem & multiplicationem: quid? si rediens Uranius facit subtractionem & divisionem, qualis erit summa summarum? *Amphibius.* Loquacule! Tu hodie non tacebis? *Creon.* Pater aures nega homini superbo & obstinato, scilicet, qui solus sapit. *Amphibius.* Recte exprobras. Nam quis te tumor inflat, ut acquiescere

ſententiæ nolis, quam probat is, qui eſt Diſcipulus præteriti temporis, præſentis Dominus, Magiſter futuri? Tace jam, & cave, verbum ut ultra facias. *Syneſius.* Unicum ſine me dubium proponere. *Amphibius.* Et quieſces deinde? *Syneſius.* Quieſcam, pater. *Amphibius.* Hem! Loquere. *Syneſius.* Si Uranius juberet te proficiſci Romam, & Coſmus Pariſios: quid faceres? *Amphibius.* Quid facerem? *Syneſius.* Ita, pater. *Amphibius.* Hoc dubitas? *Syneſius.* Hoc. *Amphibius.* Ad dubium tam ineptum pudet me reſpondere. *Syneſius.* *Et ſi non* reſpondeas, ego tibi audacter dico, pater: ego Coſmo nolo ſervire. *Amphibius.* Et ego tibi ſerio dico, mi fili, Coſmo debes ſervire. *Syneſius.* Hoc non fiet, mi pater. *Amphibius.* Hoc fiet, mi fili. *Syneſius.* Je ſuis vôtre ſerviteur! Sed Coſmo non ſerviam. *Amphibius.* Je ſuis le vôtre! Adhuc *hodie* ſervies. *Syneſius.* Hodie? Puto, quod non. *Amphibius.* Puto, quod ſic. *Syneſius.* Non. *Amphibius.* Quid? *Syneſius.* Non ſerviam, ajo. *Amphibius.* Servies, ajo. *Syneſius.* Non. *Amphibius.* Tamen. Hem! Quæ temeritas! Quis unquam audivit filium ſic patri loqui? *Syneſius.* Uranio ſerviam. *Amphibius.* Et Coſmo ſimul. *Syneſius.* Non poſſum. *Amphibius.* Ego poſſum, & volo. *Creon.* Quouſque obgannies? *Syneſius.* Tace tu! *Creon.* Imo tu tacebis: velis, nolis. Pater, manus ſtringe, ego conſtringam os iſtud tam impudens tibi. *Syneſius.* u-u-u. *Amphibius.* Ex merito agis. Patere, patere! Ut diſcas, quam reverentiam debeas patri. Nunc loquere, loquere petulans! Ha! ha! ha!

SCE-

SCENA QUINTA.

Idonius. Doxus. Mammon. Crisius. Cæteri.

Mammon. Alloqui Dominum licet, & offerre servitium. Expectaris. *Amphibius.* Beatus sum! *Idonius.* Hei! * Num Jovem tu lapidem huc intulisti, an Deum silentii? *Amphibius.* Statuam salis mallem, ut sapere discant filii, & parcant parentibus obloqui. *Creon.* Punitæ garrulitatis monumentum adstat. *Doxus.* Deprecamur supplicium, si facti pœnitet. *Creon.* Num pœnitet autem? *Synesius.* u-u-u *Amphibius.* Videtis obstinatum. *Creon.* Num servies Cosmo? *Synesius.* u-u-u. *Mammon.* Vah! Huic se ausus est consilio opponere? *Amphibius.* Temerarius! *Doxus.* Nihil jam deprecor. Correctionis efficax medium dabo. Idonie, familiam convoca. Stet expositus servorum ludibrio, dum sapiat melius. *Idonius.* Id faciam. Risus sæpe jam ejusmodi pertinaciam fregit. *Mammon.* Certe. Nam etsi non omnes esse de Cosmi familia ambiant: pauci tamen ferunt nobis esse ludibrio. *Idonius.* Et tu gratiam Cosmi mereris sapienti severitate. *Doxus.* Gratus aspectus erit. *Mammon.* Intramus. *Amphibius.* Adsum. *Synesius.* u-u-u-u. *Doxus.* Veni. *Creon.* Gaudens. *Synesius.* u-u-u. *Idonius.* Stasimum, Stolprium, Gracculum, Limmulum, Damam huc voca, Crisie. *Crisius.* Here! Ego tibi parcam adhuc: sed quid agas vide: nisi celeriter mutas mentem, ludere ludos vestros licet ad istam statuam. Ludite.

INTERMEDIUM.

Fit saltus cum irrisione Synesii, seu Conscientiæ.

* Ad Synesium mutum ligato ore.

ACTUS

ACTUS II.
SCENA PRIMA.

Synesius. Crisius Fallacia.

Crisius. Ludibriorum alia genera super alia succedent. Nemo hic in majore contemptu est, quam homines scrupulosi, & anxii. Alius est Cosmus, quam tu tibi fingis: ut primum videris, certus sum, adorabis. . . * Es ridiculus? Quare non? Uranium times? . Toties audisti: frustra times. Cosmus non odit Uranium: colere finit. Sed quid laboro? *Synesius.* u-u-u. *Crisius.* Explorare me pater jussit, num ex ludo doctior mutaveris animum. *Synesius.* u-u-u. *Crisius.* Solvi vincula cupis? . Non licet, dum assensum præstiteris patri. *Synesius.* u-u-u. *Crisius.* Non annuis? *Synesius.* u-u-u. *Crisius.* Non intelligo sensum animi. Solvam oris vinculum. Loquere. *Synesius.* Etiam manus solve. *Crisius.* Non licet. Quin & linguam ligabo iterum, nisi loquatur, quæ placent patri. *Synesius.* Non licet. Crisi, sic amat me pater, ut risui vernarum prostituat? Quid non sum passus? quas non sannas? Quas non contumelias? Timeo patri. Nam si filium sic illudit Cosmi familia, patrem, credo, tractabit humanius? *Crisius.* Sic semper inani timore angeris. Nam a Cosmo magnifice exceptus pater ut dedit, ita accepit fidem: jure jurando uterque firmavit fœdus, cujus nobile symbolum, aureum ex collo torquem Amphibius gerit. *Synesius.* Catenam voca. *Crisius.* Creontem fratrem par felicitas beat. Amores omniũ, omnium amplexus habet. Tu solus excors, extorris, miser in ultimam Thulen ibis. Et quod misero miserrimum est, neminem tangit miseratio tui. Scis, quid

* Synesius Capite super abnuit.

quam contradicunt, concedo: secus, nego antecedens, & sub eadem distinctione concedo, & nego consequentiam, & insuper nego suppositum, quod Cosmus & Uranius essent duo Domini, si nunquam sibi contradicerent. Nam vel sunt liberi, ut possint dissentire, vel non sunt liberi? Si alteruter non est liber, tunc unus tantum est Dominus, qui gaudet *bono libertatis*: si uterque est liber, & libere semper idem volunt, & *nolunt*, rursum sunt unus Dominus per consensum voluntatis. *Crisius.* Ut tibi Jupiter hæc cornua frangat! Ajo, Uranium & Cosmum esse unum Dominum, & esse duos. Capis? *Synesius.* Non capio. *Crisius.* Audi. Duo sunt in personis, unus in substantia. Capis, aut nondum etiam? *Synesius.* hoc est mysterium dualitatis, non capio. *Crisius.* Explicabo ad captum. Quod sint duo in personis, concedis. Quod sint unus in substantia, *sic* probo. Voluntas est substantia: sed isti duo Domini habent unam voluntatem: ergo habent unam substantiam. *Synesius.* Prope absum, ut negem consequentiam. Sed dissimulato hoc vitio, quid probas? Concedo totum: hoc est, quod ego dixi: si habent unam voluntatem, sunt unus Dominus, non duo. *Crisius.* Tamen duo. Euge enim nos duo an sumus duo, an unus? *Synesius.* Nos duo utique sumus duo. *Crisius.* Recte. Sed nos duo etiam sumus unus. *Synesius.* Nos duo unus? Ergo ego sum tu? *Crisius.* Sic est. Et tu es ego? *Synesius.* Ego nolo esse tu. *Crisius.* Sed ego volo esse tu. *Synesius.* Vides, quod simus duo. *Crisius.* Patientia. Here! Ego jam tibi volo ista vincula solvere: non vis? *Synesius.* Lepidus es. Volo! volo! *Crisius.* Vides, quod simus unus? *Synesius.* Simus unus. Libenter volo. Solve. *Crisius.* Et tamen sumus duo. *Synesius.* Nunc non. *Crisius.* Imo nunc. Nam tu dicis, quod non simus duo, & ego dico, quod simus duo: ergo sumus duo: ergo nunc sumus unus & duo. *Synesius.* Sive sim unus, sive duo, gaudeo, quod sim liber.

liber. *Crisius.* Ama me, cui debes hoc gaudium. *Synesius.* Quid faciam tibi? *Crisius.* Obtempera bonis monitis: Cosmum ama. *Synesius.* Si verum est, quod ais, & si Cosmus ac Uranius unus Dominus sunt, amo Cosmum. *Crisius.* Tantæ molis erat. At ipse prodit. Profitere fidem, ut felix fias.

SCENA SECUNDA.

Cosmus. Amphibius. Creon. Synesius. Crisius.

Cosmus. QUid est effectum Crisi? *Crisius.* Omnia. Synesius tuus est. *Synesius.* Nisi esse Uranius prohibet. *Amphibius.* Non aliter obligavimus fidem. Quiesce tandem, & gratulare sortem beatam patri. *Creon.* Gratulare fratri, & tibi. *Synesius.* Scilicet pro ludibriis? * *Cosmus.* Vertentur in laudes. Nunc ut intelligas, quam merito fueris irrisus, leges audi, quas Amphibio servandas præcipio. Compara cum præceptis Uranii, quæ video tibi fixa in pectore. Nihil deprehendes contrarium. *Synesius.* Attonitum hoc exordio facis. Pudet erroris mei! Pro! Quam aliter descriptus es mihi a tuis hostibus! *Cosmus.* Poteras ab hostibus effigiem veram sperare? Ab amicis debebas expetere. *Synesius.* Tyrannum te vocabat Alithius, proditorem, belluam: monstrum, quod dormiat in concupiscentia carnis, sedeat in concupiscentia oculorum, ambulet in superbia vitæ. *Cosmus.* Hæc Alithius scilicet, ultionis furore ebrius eructavit, quod perpetuo ab hac aula exilio sit proscriptus. Sed nos hæc dicteria risu explodimus. Quid sic astas absorptus aspectu? Num vides aliquid, quod te me-

* Cosmus leges Amphibio dictat ad speciem bonas, vel saltem non malas.

merito terreat? Ubi dentes, ungues, cornua, quæ Alithius mihi affinxit? *Synesius.* Non putabam Dominum tam compositum, tam modestum, tam amabilem reperiri in te. Ah! Non putabam! Erravi! Ignosce! Places per omnia, quia video nihil, quod possit displicere Uranio. *Amphibius.* Hæc vox me recreat. *Creon.* Agnosco fratrem! *Cosmus.* Placebo magis, si scies, quam nihil imperem huic formæ non congruum. Dicat Amphibius, in quas leges juraverit. *Amphibius.* Dicam. Tu vide, num hic decalogus tuo respondeat. Præceptum primum. Ego sum Cosmus Dominus tuus: Dominum alienum liceat colere coram me: modo ita colas, ut non contemnas me. *Cosmus.* Quid possum minus poscere? *Synesius.* Ex oculis vidi, modestum te esse. Nihil iniquum petis. *Amphibius.* Puto. Præceptum secundum. Non assumes nomen *servi mei* in vanum, sed ore, lingua, gestu ostendes te libenter servire. *Cosmus.* Tristes & melancholicos famulos ego odi. *Synesius.* Neque Uranius odit hilares. *Amphibius.* Sic est. Præceptum tertium. Memento, ut statas horas famulatui tuo sacrifices. *Cosmus.* Supererunt aliæ pro famulatu Uranii. *Synesius.* Spero. *Amphibius.* Bene. Præceptum quartum. Honora uxorem, & liberos tuos serva, ut sint longævi super terram, quam Dominus tuus dabit posteris tuis. *Synesius.* Æquum est. *Amphibius.* Sanctum. Præceptum quintum. Non occides te ipsum. *Synesius.* Natura hoc vetat. *Amphibius.* Omnino. Præceptum sextum. Non eris singularis. *Synesius.* Odiosum est. *Amphibius.* Ita. Præceptum septimum. Non rejicies munera. *Synesius.* Prodigus forem. *Amphibius.* Certe. Præceptum octavum. Non loqueris cum proximo tuo nimis aperte, & citra omnem restrictionem. *Synesius.* Prudentia jubet. *Amphibius.* Vide, cui fidas. Præceptum nonum & decimum. Non oderis uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem,

non

non asinum, non universa, quæ illius sunt. *Synesius.* Cur oderim, quod esse meum potest? *Cosmus.* Non hæ faciles leges sunt, non justæ, non tales, quibus opponere Uranius nihil possit? *Synesius.* Sunt. Nihil carpo: probo, quod egit pater, & in fratris sententiam eo. Dixi. Pudet contumacem fuisse: sed deceptus sum; non putabam, Rex, tam æquum esse te, tam æquas leges. *Cosmus.* Condono errorem: & quia jam meus es, tuum me facio. Venite, fruamur bonis, quæ Mammon, Idonius, & Doxus me jubente pararunt: festa sit dies hodie. *Auphibius.* Festa sit tibi, Princeps, festiva nobis. *Creon.* Io! Frater! Nunc amo te! *Synesius.* Eamus! *Creon.* Te oro, Crisie, ut excubias isthic agas, ne qua penetret in aulam Alithius, & Synesium in curas priores agat. *Crisius.* Cura erit. Securus esto. *Creon.* Imo in cura sum. Nam legatus hodie ab Uranio venit, quem haud dubie Alithius duxit. Si consilia resciverint patris, tentabunt aliquod facinus, & aut Cosmum, aut Uranium concitabunt adversum nos. *Crisius.* Relinque me mihi. Ne quidem sub oculos venient tibi hodie. Ad fores eo.

SCENA TERTIA.

Crisius. Mammon. Creon.

Mammon. PErge intro Creon: expectant te omnes Charites. Mihi cum Crisio verbum. *Creon.* Et mihi alterum tecum. Has litteras paulo ante extorsi Synesio. *Mammon.* Unde missæ? *Creon.* Ab Uranio. *Mammon.* Argumentum nosti? *Creon.* Exprobrari consilium de mutando Domino tabellarius dixit. *Mammon.* Servus Uranii? *Creon.* Servus, Theander. *Mammon.* Hem! Theander advenit? *Creon.* Industrie impedivi, ne Synesius legeret, aut traderet patri. Hactenus

nus distractum aliis curis oblivio epistolæ cepit. Si memoria recurret, & ille repetat, quid suades, ut agam? Nam, ut est, facile turbas movet, vel inter gaudia. *Mammon.* Negotia succedant negotiis, curæ curis, gaudia gaudiis. Nunquam vacat, qui Cosmo servit. Nunquam, crede mihi, epistolii recordabitur Synesius, nisi admoneatur. Ego vero faxo, ut admoneri non possit: nam surdum faciam. *Creon.* Quæso, surdum? Quam ego hoc ei sæpe optavi malum! Mutum esse sæpe jussimus: recepit loquelam semper, cum audivit Alithium loqui. Jam si id agas, ut audire non possit, surdus pariter, & mutus erit, & nos ex integro vestri. *Mammon.* Hoc ago. Tu cede litteras mihi, ut, si forte repetat, dicere sine mendacio possis, te perdidisse. *Creon.* Indignabitur. *Mammon.* Ride, & averte sermonem. *Creon.* Cape. Eo ad gaudia. *Mammon.* Opportuna proposito hæc epistola venit. . . Omnino opportuna. Sed tuo mihi ad facinus ingenio est opus. *Crisius.* Promptum habeo. *Mammon.* Dimidium Amphibii nostrum est: totum cupimus, & ab Uranio penitus liberum. *Crisius.* Hoc vis, ut ego perficiam? *Mammon.* Hoc volo, & potes. Potes mentiri personam Alithii? *Crisius.* Hoc est, dicere veritatem? Non assuevi. *Mamon.* Facile est, si audes esse impudens. Nemini parce: famulis, aulicis, Regi convitia palam dic, ac sine palpo. *Crisius.* Ægre ferent. *Mammon.* Nihil metue. Fabulam Rex est doctus. *Crisius.* Quid tum sequetur? *Mammon.* Nempe exosum Alithii nomen, Alithium verum excludet aula, & omne cum Synesio abrumpet commercium. Tum, ne quis angat Amphibium, securi sumus. *Crisius.* Intelligo totum. *Mammon.* Quod soles, age: præmium te dignum feres.

SCE-

SCENA QUARTA.

Crisius. Alithius.

Crisius. SPero. Jam mihi ante omnia vestis paranda est, quali Alithius utitur. Deinde vultus iste ridiculus conformandus in serium: frons nihil tecta sit: oculi fulgurent: voce utendum constante, ac forti: sermo nullus, nisi apertus, clarus, nihil ambiguus, sine æquivocis. At hem! Num lupus in fabula est? Tene video, Alithie! O quam inimica tibi ad limina properas! *Alithius.* Sine me. Quid ad te, quod ego ago. *Crisius.* Næ tu mihi semper tetricus es. *Alithius.* Quid me retines? Dic: intus Synesius est? *Crisius.* Est, sed prô! quam alius a se! Aut, ut clarius loquar, alienus a te. *Alithius.* Scio. Omnia narravit Theander. Sed propero retrahere ab exitio juvenem, in quod se & parentem præcipitat. Fortis est veritas prolata in tempore. *Crisius.* Serus ades. Surdum illum Mammon suis præstigiis fecit. *Alithius.* Surdum! Clamabo, dum audiat. Fabulam pro more loqueris, ut ab accessu absterreas. *Crisius.* Experire. Sed potin' tu bonum consilium ab amico accipere? *Alithius.* Garri, amice, garri. *Crisius.* Garri, garri! Audi prius, tum corripe. Hoc scire te velim, ne impingas in limine. Cosmus vigiles ad singula cubilia statuit, qui observent, ne intret Alithius. Nisi alieno habitu lateas, non reperies aditum. *Alithius.* Non recuso. Sæpè feliciter latui. Sed jam visus tibi, scilicet proditori sum visus: quid proderit vestem mutare? *Crisius.* Dure me habes, & possem in hoc loco par pari referre. Sed quia Uranium vereor, cui te scio amicum, vincam in bono malum. Non prodam te: quin juvabo consilia. Nam, ut in-

intelligas, qui ſim hodie, fatebor tibi, non placet Amphibius, nec ultra ſervio. Pœnitet ſerviiſſe. Fraudibus & fallaciis illectum ad Coſmum adduxi. Sperabam, ſerviturum utrique Domino. Nunc ille, niſi cæcus ſum, jam ſe penitus tradidit Coſmo: forte vix adhuc Uranium cogitat. *Alithius.* Num ego a Criſio hodie audio veritatem? *Criſius. Recte* exclamas. Sed ſpei meæ interitus meretur hoc punctum. *Alithius.* Quoties multo ante exclamavi: nemo poteſt duobus Dominis ſervire! Irriſus ſum. *Criſius.* Non putabam, hoc opus tam arduum eſſe. *Alithius.* Si tamen ſincere agis, dic, ſub quibus veſtibus latebo ſecurius? *Criſius.* Puto, pharmacopolam circumforaneum ſi induas, facturum optime. Hi audiuntur, & erit ex medicinis occaſio loquendi de morbis: quin & ement aliquas merces, ſi vili vendas. *Alithius.* Donabo etiam, ſi gratæ ſint. Sed ajn', tu ſincerus es mihi? *Criſius.* Quam ſincere ſum Criſius. *Alithius.* Ergo de veſte proſpice. *Criſius.* Mecum ambula. Dabo. *Alithius.* Unum repete: vere obſurduit Syneſius ex Mammonis præſtigiis? *Criſius.* Certe ſurdaſter eſt. Adducetur tibi, ut ſanes: ita ſe offeret omnis occaſio, quam optas. Sed tu clama, ſi velis intelligi. *Alithius.* clamabo, ut ambæ aures tinniant. *Criſius.* Superabo Mammonis ſpem.

Scena muta intermedia.

Exhibet militem ſub duobus Ducibus militantem. Utrique fit infidelis, fugitivus primum ex caſtris Babylonicis, deinde ex caſtris Solimæis.

ACTUS

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

Personæ. Crisius. Mammon. Creon. Alithius. Idonius.

Crisius. PAravi omnia. Impinget Alithius: in tempore adero. *Mammon.* Non vidisti Synesium interea? *Crisius.* Accessi, & tristem de surditate consolatus sum spe medelæ ab hoc circumforaneo ferendæ. Jocos dabit uterque, nam admonui etiam, ut homini collocuturus strenue clamet, quod & ipse surdaster sit. *Mammon.* Intellexit loquentem te? *Crisius.* Scripsi omnia, ut legeret. *Mammon.* Salvete amici!.. Tu introduc hominem. *Creon.* Novas, audio, delicias facies. *Mammon.* Opportune, nisi fallor, risui iste agyrta se offeret. *Idonius.* Hic ordo diurnus est noster, mi Creon, ut hora horam, ita jocus jocum excipit. *Crisius.* Adest hospes prodigiosus-- Rem strenue age. *Mammon.* Vocetur Rex. *Crisius.* Curro. *Mammon.* Age, hospes, quid affers pharmaci? Expone merces. *Alithius.* Morbos exponite; dabo pharmaca: ad obsequia venio. *Idonius.* In magna familia, qualis nostra est, necesse est sæpe morbos esse: dic, quibus mederi queas. *Alithius.* Omnibus, si modo ægri animus bene dispositus sit ad sumendas medicinas, aut admittenda malagmata. *Creon.* Quam igitur dispositionem tu exigis? *Alithius.* Tria exigo. Primo, ut agnoscat æger, indigere se pharmaco: secundo, ut credat sanari se posse: tertio, ut dicat sanari se velle. *Mammon.* Æqua exigis, & facilia: & sequitur tum certa sanitas? *Alithius.* Certissima. *Idonius.* Si hæc ita sunt, certe paucissimos posthac ægros habebimus: & possumus, Mammon, xenodochiis ca-

rere. *Alithius.* Possetis, si plerique ægri eo, quo dixi, animo essent. Sed quotusquisque est, qui fateatur, ægrum se esse? Quotus, qui ab alio æger dici sustineat patiens? Agite, si ego dicam, quod tu morbo gallico labores, & tu lepra, & tu hydropisi, creditis mihi? *Creon.* Nisi tu dicendo, ægrum me facis, certe sanus sum. *Idonius.* Ego mundus. *Mammon.* Ego totus vegetus. *Alithius.* Atqui tanto pejus malignus est morbus, quanto minus agnoscitur. Dixi, tam multi sunt ægri, quia tam pauci se ægros existimant. *Mammon.* Ridiculus es. Sed nempe nisi ægros multos habeas, lucrum non facis: & inter eos medicos es, quibus non est bene, nisi multis sit male. *Alithius.* Imo si datis ægrum, qui se talem fatetur, sanabo gratis, modo credat saltem sanari se posse, & dicat velle. *Idonius.* Tuum est facere, ut credat. *Alithius.* Non certe. Spes enim excitat desiderium sanitatis, & ægrum subigit imperio medici. Qui non fidit, non obedit: & nemo sanari cupit, qui desperavit. *Mammon.* Ego saltem neminem huc usque vidi ægrum, qui non & speret, & velit sanari, siquidem ægrum se esse sentit. *Alithius.* Sperant, volunt sanari, sed pharmacis, quæ sibi placent, non quæ medicus probat. Porrigo potionem amaram: nauseant, revomunt. Emplastrum urens adhibeo: ejulant, revellunt. Igne & ferro utor, quod sæpe necesse est: furunt, maledicunt, insaniunt. *Mammon.* Sed Rex ingreditur. Recede Rex, ne te pestis inficiat: nam omnes ægri sumus.

SCENA SECUNDA.

Cosmus. Amphibius. Synesius. Cæteri. Doxus.

Cosmus. TAm subito ægri omnes? *Creon.* Si huic agyrtæ credimus. *Cosmus.* Ægros dicis? *Alithius.* Et graviter. *Creon.* Me morbo gallico teneri. *Idonius.* Me lepra. *Mammon.* Me hydropisi dixit. *Omnes tres.* Nos nihil sentimus.

Cos-

Cosmus. Sæpe occulti infestant nos morbi. Ego te æstimo, hospes: quid tibi videtur: sanus sum? Arteriam tenta. *Alithius*. Molestum est, quod dicam: dico tamen: putredo viscerum te exedit: brevi corrues. *Omnes*. Heu! Rex! *Cosmus*. Firmi stant adhuc pedes. Nihil metuo. *Alithius*. Dixi, nemo credit; memo credit, nemo credit se esse ægrum. *Amphibius*. Age divine Medice, quid dicis de me? *Alithius*. Pro Superi! Quisquis es, dispone domui tuæ! Quia morieris tu, & non vives. *Omnes*. Ha ha ha! *Amphibius*. Nunc demum dixisti verum: homo sum: nihil humani a me alienum puto: moriar utique: puto, puto. *Alithius*. Atqui hodie morieris: hoc tu non putas. *Omnes*. Ha ha, ha! *Amphibius*. Hodie saltem inducias dabis usque mane, inducias usque mane! *Alithius*. Non habebis. Hodie, inquam, morieris. *Omnes*. Ha, ha, ha! *Amphibius*. Audacter. Quis igitur me morbus occidet? *Alithius*. Vertigo capitis te aget in præcipitium. *Omnes*. Ha, ha, ha! *Cosmus*. Medice, cura te ipsum. Certe vertigo tibi cerebrum turbat. *Alithius*. Dixi! nemo credit, nemo credit, se ægrum esse. Sed cum erit propinqua mors, optabitis hæc pharmaca usurpasse, & clamabitis cum sero suspirio: non putabam! Non putabam! Illud, inquam, solenne proverbium fatuorum: non putabam! *Mammon*. Crude, memento, te Regi loqui. *Alithius*. Aduletur Medicus, qui cupit occidere, ego sanare volo. *Cosmus*. Sinite. Sed hem! Superest unus, cui minatus es nihil. Num sanus est hic? *Alithius*. Momento esset, si vellet. Surdastrum affirmo. An non est ita! *Amphibius*. Peritiam probas. *Alithius*. Clamare altius ad aures homini hoc loco licet? *Cosmus*. Clama. *Alithius*. Vis sanus fieri? *Synesius*. Quid dicis? *Alithius*. Sanus num velis fieri, sanus, inquam! *Synesius*. Non sum insanus: surdus, surdus sum, sicut tu. *Alithius*. Ego te volo sanare, si vis: sanare volo. *Synesius*. Surdus surdum! Cur te ipsum non sanas? Te? Ego non credo, quod me possis sanare tu, tu. *Alithius*. Dic

tantum: volo ſanari! ſic ceſſabunt præſtigiæ, & diſſolvetur pactum cum diabolo! Diſſolvetur pactum! *Syneſius*. Apage! Ego non habeo pactum cum diabolo. *Alithius*. Quid clamas? Ego non ſum ſurdus. *Syneſius*. Ita: ego ſum ſurdus. *Alithius*. Sed ego non. *Syneſius*. Tu non! *Alithius*. Non, inquam. *Syneſius*. Dixerunt te eſſe ſurdum. *Alithius*. Heu! Video me ludi. Num proditus ſum? *Syneſius*. Reddes auditum? *Doxus*. Rex! Alithius ab Uranio miſſus adeſt: alloquium petit. *Alithius*. Quid audio! *Coſmus*. Alithius adeſt? Meus hoſtis? Proceres, quid agam? *Amphibins*. Admitte, obſecro, in Uranii gratiam. *Idonius*. Audiatur, quid ferat. *Coſmus*. Intrare jube. *Alithius*. Alithius adeſt! Dixi: proditus ſum! Quis Alithius adeſt? Ego Alithius ſum. *Omnes*. Ha, ha, ha! *Creon*. Delirat homo. *Syneſius*. Auditum redde! *Alithius*. Hem! Scelus!

SCENA TERTIA.

Perſonatus Criſius. Cæteri.

Syneſius. TE video Alithie? O ſalve! ut ſe habet Uranius erga nos? *Criſius*. Salve Rex! Salvete proceres! *Coſmus*. Quid? Proſcriptus aula, Alithius exul meis ſe oculis objicit? *Criſius*. Qui nos disjunxit animis, idem conjungat Uranius. Amicus eſt, & factum Amphibii probat. *Amphibius*. Felix es nuntius! Manum oſculor. *Coſmus*. Amicum amo: erit pax! *Omnes*. Erit pax. *Alithius*. Non ſic Alithius loquitur. Quid? Aut fallitis, aut falli cupitis, miſeri: Criſius iſte eſt: ego Alithius ſum. *Criſius*. Quis eſt hic homo? *Alithius*. Hem! Veterator! Non tu primulum has veſtes mihi! Non ego in tuo cubili hunc habitum indui? *Criſius*. Nihil intelligo. *Alithius*. Mirum! Huc mihi ſiſtite Criſium, ſi non hic ipſe eſt! *Doxus*. Certe a me miſſus eſt ad Theandrum Criſius cum reſponſo ad epiſto-

stolam Uranii, quam tibi paulo ante Mammon, Rex, tradidit. Falli te vides, o bone, si istum pro Crisio habes. Et quid bonum voco, Rex! aut impostor est homo, qui se Alithium vocat, aut furit. *Cosmus.* Nescis, Doxe, quam sapiens sit. Etiam in sanis morbos reperit. Age, dic, num æger est Doxus hic? *Alithius.* Atque ad mortem quidem. Gangræna interior depascit te, miser, & lenta morte consumeris. *Doxus.* Te stultitia devorat. *Cosmus.* Alithius saltem sanus est? *Alithius.* Est: non vero hic Crisius: phtisi proxime periturus, animam tussies. *Omnes.* Ha, ha, ha! *Crisius.* Graviora habeo, quæ agam tecum. Dimitte hominem, ut quies sit. *Synesius.* Redde auditum tandem! *Cosmus.* Abscede insulse! Et alibi tuas has nugas vende. *Alithius.* Non abscedo, dum sciatis, quod Alithius sum. Audi perfide! Audi Amphibie! *Cosmus.* Ejicite insanum hominem! *Alithius.* Audi, inquam! *Synesius.* Hem falsa spes! *Doxus.* Discede Sycophanta: patent portæ! Abi!

SCENA QUARTA.

Alithius. Theander.

Alithius. Audi, inquam: nemo potest duobus Dominis servire, nemo, nemo! Frustra clamo. Sic jam olim Præses mihi Romanus fecit. Interrogavit: quid est veritas? Et cum hoc dixisset, exivit. Me ipsum accuso: quare credidi fallaci Crisio? Quare sub aliena veste comparui? Scilicet mollius volebam agere, & insinuare me animis vix sentientibus. Inutilis politia! Ignoro, quid agam? Lateo, non agnoscor: non lateo, non admittor.. O te miserum, Theander, redi, redi ad Uranium: efficimus nihil. Medicum indui: ægroti furunt: actum est. Migremus hinc! Migremus hinc! *Theander.* Non migrabo, donec responsum ab Amphibie habeam ad

 litte-

litteras, quas ab Uranio ad Synesium tuli. *Alithius.* Quid? Synesius surdus est, Alithius ejectus, consulitur Crisius, Cosmus adoratur: non est hoc responsum satis? *Theander.* Nondum tamen pro alterutra parte aut contra declaravit se homo. *Alithius.* Id nec unquam faciet. Neutrarum videri vult, aut ambarum potius. *Theander.* Neutrarum non *licet*, ambarum non potest esse. Necesse est, ut decernat. In Ep*istola* scriptum est enim: Uranium Dominum adorabis, & illi *soli* servies, illi soli. Si legit Amphibius, & tamen speravit, servire se Uranio posse, & Cosmo simul, jam reus est majestatis. Si non legit, eique a Synesio, cui dederam, non est reddita: ex me audiet: dabitque verbis pondus epistola annulo signata Uranii. *Alithius.* Atqui ne admitteris ad alloquium quidem. Totus Amphibius, mihi crede, totus Cosmi est, nec *jam* ex parte. Cosmum diligit, Uranium odio habet: Cosmum sustinet, Uranium contemnit. *Theander.* Reduci ad Uranium potest. *Alithius.* Postquam obsurduit Synesius, etiam Amphibius nullum audit salubre consilium. *Theander.* Oculis utatur Synesius, & videat malum, quod imminet patri, si audire non potest. *Alithius.* Quis exhibebit? *Theander.* Omnes tentabo vias, ut reperiam aditum.

SCENA QUINTA.

Accedit Crisius.

Crisius. HEm! Commode hic moram facis. Scrupulus a gebat ingens, quomodo hujus togæ restitutione tibi facerem, si jam abesses: recipe, quod tuum est. G tias tibi ago, o bona toga, pro honoribus, quibus propt te cultus sum. *Alithius.* Species veritatis nempe, plus, qua veritas placet. Sed erit, erit hora, cum vindicabor. *Crisi*

Igne



ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

Synesius. Theander. Alithius.

Theander. PRodit miser! *Alithius.* Spectemus, quo demum abeat, ut reperiat quietem, quæ nusquam est. *Synesius.* Me miserum! Ex quo huc intravi, omne momentum acerbum est. Oh! *Theander.* Rursum impegit. *Alithius.* Quin porrigimus manum. *Theander.* Nondum Alithie! Indigere se ope cum intelliget denique, cum exclamabit, tum juvabimus. *Synesius.* Oh! Oh! Qua exibo demum, qua, ex his infaustis ædibus? Hic est porta. Oh! Oh! Oh! *Alithius.* Neminem subit opem rogare. *Theander.* Subibit. *Synesius.* Nunc reperi. Hac exibo. Cito, cito. Heu! heu! heu! Opem aliquis, opem misero! *Theander.* Jacet. Jaceat! Nos ad Amphibium irrumpimus: videat filium, & moveatur aspectu. *Synesius.* Heu! heu! *Alithius.* Gravior lapsus est, & quem deliquium excipit. Totus friget. *Theander.* Tanto est occasio felicior. Eamus.

SCENA SECUNDA.

Cosmus. Amphibius. Creon. Crisius. Theander. Alithius.

Crisius. EN ipsi adsunt. *Cosmus.* Theander hic, ab Uranio Legatus? *Theander.* Is ego sum. *Cosmus.* Responsum expectas ad allatam epistolam? *Theander.* Sic est. *Cosmus.* Dabitur. Amphibie, hæ litteræ ad te sunt datæ: nosti

sti annulum? *Amphibius*. Est Uranii. *Cosmus*. Nos aperuimus, quia suspicio fuit, agi hostilia. Nec sumus falsi. Lege: nam respondere juberis. *Amphibius*. Trepidum hac præfatione fecisti: quin & conspicilia perdidi, quibus soleo uti. *Theander*. Ne labora. Ego tibi voce satis intelligibili prælegam. *Cosmus*. Lege. *Theander*. Uranius Amphibio salutem, & sanam mentem. *Cosmus*. Ut placet exordium? *Amphibius*. Non admodum. *Theander*. Usque quo claudicas in duas partes? Si ego sum Dominus, sequere me: si autem Cosmus: sequere illum. Non potes utrique servire. *Amphibius*. Quid hoc? Alithie, non tu paulo ante nuntiabas contrarium? *Alithius*. Illude tibi, miser, illude tibi, & sponte cœcutiens Crisium pro Alithio habe! Medicum tuum nôsti, qui tibi paulo ante arteriam? *Cosmus*. Tace tu. Audiamus porro. *Theander*. Aut enim me diliges, & Cosmum odio habebis: aut illum sustinebis, & me contemnes: non potes utrique servire. Unus es: uni est serviendum: elige, cui malis. *Cosmus*. Vides invidiam? *Theander*. Si tamen sapis, eligis digniorem tui, & tibi utiliorem. Ego Dominus: Cosmus ipse est servus meus, qui mihi perduellionis pœnas sat graves dabit. *Amphibius*. Hæc patiens audis? *Cosmus*. Audi plura. *Theander*. Quæ tibi mercèdis loco Cosmus largitur, vanitas vanitatum sunt, & omnia vanitas, crepundia, nugæ. *Creon*. Hem! Pater! Mendacium audax! *Theander*. Quæ ego promitto, vera sunt bona, sola, grandia. *Crisius*. Crede! Crede! *Cosmus*. Ego res do, ipse verba. Quid

malle debeas, vide. Tu perge. *Theander.* Quanquam si merces tibi etiam a me nulla speranda foret, debes servire. Ego te emi: mancipium es. *Cosmus.* Intelligis? *Theander.* Si fidele, libertum te faciam, imo adoptabo in filium. *Crisius.* Verba! Iterum verba. *Theander.* Secus: jam hoc scito: qua hora non putabis, adero, & condemnatum tradam tortoribus, qui te ejicient in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium. *Crisius.* Verba, iterum verba! *Cosmus.* Quid palles miser? *Theander.* Datæ Uranopoli hodie sub meridiem. Totus tuus Uranius, si tu totus velis esse meus. *Creon.* Blanditur iterum. *Cosmus.* Non ego jam blandior. Hic stans delibera, quid agas. Insolens viri fastus facit, ut jam nec ego parte solum tui contentus sim: aut totus meus, aut totus Uranii eris. Mihi tuo famulatu opus non est: mille pro uno serviunt viri prudentes, docti, nobiles: tu vide, num non indigeas me. Crisius responsum ferat. *Creon.* Pater! Avarus Uranius est. Si ipsi soli servimus, quid manducabimus, aut quo operiemur? Mihi deliberatum est: Cosmo adhæreo. *Alithius.* Nolite solliciti in crastinum esse. *Theander.* Scit Uranius, quia his omnibus indigetis. Quærite primum ipsi servire: placere satagite: & hæc omnia adjicientur vobis. *Crisius.* Hæc omnia! Quæ omnia! Vix ea, quæ necessitas exigit. Ipse loquere: quot sunt, quos felices vocare possis, eorum, qui toti Uranio soli serviunt? Quid? Non circumeunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti? *Amphibius.* Certe hoc sæpe vidi. *Theander.* Habentes alimenta, & quibus tegantur, contenti sunt, & plus, quam qui Cosmo omnibus rebus affluentes serviunt, jucundi sunt. *Amphibius.* Hoc rarò vidi.

vidi. Certe hodie lætus fui. *Theander.* Et quamdiu eris? *Crisius.* Quamdiu Cosmo servies. *Theander.* Age ergo, quid tandem ad has respondes? *Crisius.* Age, quod agunt plures: tantis non es sapientior. *Amphibius.* Audi igitur: libens servirem Uranio; sed quoniam ita durus est, ut Cosmo servire prohibeat simul, ad Cosmum vertor. *Theander.* Igitur non servies Uranio? *Amphibius.* Non serviam. Responsum habes. *Crisius.* Dignum hercle, quod Cosmus præmiet.

SCENA TERTIA.

Theander. Alithius. Synesius.

Alithius. Vindicet Uranius protervum facinus! *Synesius.* Ah! ah! *Theander.* Vindicabit. Sed insanire hominem vides poculis Idonii ebrium: in gratiam ut recipiatur, ego agerem, si pœnitere insaniæ posset. *Alithius.* In gratiam? Ex quo merito? *Theander.* Miseret me. Imminet grande malum. *Alithius.* Pœna debita grandi sceleri. *Synesius.* Ah! ah! *Theander.* Sed gementem Synesium audis? Accedo. *Synesius.* O si quis opem misero. *Theander.* Synesi, opem fero. Surge, & ambula! *Synesius.* O quisquis beneficam manum porrigis, gratias æternas habe. Ah! Ut te audiam! Ut te videam amice optime! *Theander.* Videbis, audies.... Ephphetha! Num jam loquentem audis? *Synesius.* Superi! Quid hoc? Audio! Audio! *Alithius* Theander, quem te æstimem! *Synesius.* O qui auditum reddidisti, nunquid & visum dabis? *Theander.* Respice! Fides tua te salvum fecit. *Alithius.* Prodigia video. *Synesius.* O quis te talem huc mihi attulit? Quem video? O Theander! Quid debeo? Vestigia osculor tam grandis medici. *Theander.* Surge. Præstigias verbo pellere, non est res magna. Scientiam habeo. Tu, si quid beneficio merui, beneficio utere ad votum meum.

Synesius. Impera! Ingratus sim, nisi ad nutus obediam tibi. *Theander.* Vos servum creditis? Filius Uranii sum. *Alithius.* Filius ais? *Synesius.* Filius herilis tu? *Theander.* Sum. *Alithius. Synesius.* In filio veremur patrem! *Synesius.* Eccur servi habitu prodis? *Theander.* Jussit pater. Sic diligit Amphibium. Vide autem, quid ille patri! *Synesius.* Superi! Litteræ sunt, quas a te habui, Creon, Creon hoc scelus persuasit patri! Ah! Cur Creonti dedi! *Theander.* Deceptus es. Sed hæc minima injuria fuit: graviores es passus. Jam hoc te volo, ut torqueas patrem, qui torsit te, & a Cosmi servis torqueri est passus. In patris id bonum facies. Nam Uranius in via est: ei obviam eo: confestim, ut retulero responsum crudum, accipiet armaturam zelus illius, servorum agmine cingemus domum, & pœnas expetemus injuriæ. Tu si patrem eo adegeris, ut ipse culpa agnita, pœnas de se exposcat prior, ages, quod fieri cupio, & ego sic placatus, placabo patrem, ne puniat gravius. *Synesius.* Quam clemens es! Agam, quod jubes Domine, cum cura agam. *Theander.* Tu Alithie, ad fores stabis, & cum videris adventantes, terrore implebis domum, ne primus patris furor incautos opprimat. *Alithius.* O bonum Dominum: *Theander.* Unum insuper: tu latebras quære, & expecta occasionem, qua de turba seducas patrem, ut sentiat se torqueri. *Synesius.* Notavi omnia. Favere perge. *Alithius.* In deliciis occupabis patrem. Ego in stationem eo. *Synesius.* Tenebo meam.

SCENA QUARTA.

Cosmus. Amphibius. Creon. Idonius. Doxus. Mammon. Crisius. Alithius. Synesius.

Mammon. ABscedis tandem canis, latratu rabido dudum infestus aulæ! *Alithius.* Abscedo, rediturus ferocior paulo post. *Mammon.* Baculus custodiet fores. Rex! In con-

conſpectum omnia protulimus. Contentum Amphibium dabimus, ne factæ electionis pœniteat. Adſit. *Coſmus.* Adeſt. Ingredere. Totum te mihi das: totum me dabo tibi. Circumſpice: dice, quid deſit votis. *Amphibius.* Vel avarus, hic dicet: ſatis eſt. *Creon.* Felix electio! *Idonius.* Huc ades Creon! Tune lectum vidiſti molliorem iſto? In floſculis dormies ipſe floſculus, & læta ſemper ſomnia ſomniabis in multam lucem. *Creon.* tenere habeor. Uranie! Felix nox! *Mammon.* Quid placet ludorum? Grande lucrum facies labore nullo. *Amphibius.* In gaudiis nato. *Doxus.* Inde Regis te menſa excipiet. *Amphibius.* Haud equidem tanto me dignor honore, Rex. *Coſmus.* Scio, quid meis amicis debeam. *Doxus.* Criſie, ſervorum jam turbam evoca; erunt ad nutum tibi: cogita, quid velis imperare: obedient: ſpecimen dabo. *Coſmus.* Atque hæc erit grata ſemper viciſſitudo: hic ordo nocturnus pariter, & diurnus: a lecto ibis ad menſam, a menſa ad ludos, a ludis ad lectum. *Amphibius.* Et quando ad labores? *Coſmus.* Dabo, quos ad laborandum ſubſtitues tibi: tu curas omitte: potes, quod exigo, ſi imperare potes: nam quod facis per alios, cenſebo fieri per te. *Amphibius.* Nihil optatius. O quam es Domine, Uranio melior! Sed num libenter labores meos alieni ſuſcipient? *Mammon.* Id ego efficiam. Pecuniæ obediunt omnia. Oſtendo nummum, & dico huic: vade, & vadit: alteri, veni, & venit: tertio fac hoc, & facit. *Coſmus.* At ecce intrant. Mammon, exemplum imperii præbe. *Mammon.* Faciam. *Criſius.* Adduxi, quos juſſus ſum. Expectant imperia. *Mammon.* Huc reſpice venator! . * Vade, & aprum illum grandem, illum terribilem, qui ſylvam infeſtat, ſterne: tum dabo. Mercator reſpice! . Vade ad mare, in Indias naviga, & ſericum pannum advehe: tum dabo. Reſpice miles! . Vade in caſtra: eluctare in muros arcis hoſtilis, & meum ibi vexillum defige! Tum dabo. *Amphibius.* Res difficiles imperas. *Mammon.*

* Oſtentat marſupium.

mon. Prompti num ideo minus ſunt? *Amphibius.* Voluptas eſt intueri celeritatem. Nemo vel verbo renuit, vel nictu etiam. *Mammon.* Veni Scriba: num abſolviſti acta, quæ dedi? alia, quæ in menſula prope fornacem reperies, deſcribe jam. Abi. Veni Architecte! perfectum eſt ædificium in ſuburbano? placet. Nunc deſtruam horrea mea, & majora faciam. *Ideam forma.* Abi. Veni ruſtice! Eſtne via Flaminea refecta jam, & purgata? Purgetur jam Collatina etiam, & reficiatur. Abi. Sartor tu mihi veſtes fac ad proxima bacchanalia! Sutor, tu mihi ocreas fac! Tu mihi currũ fac, Carpentarie! Hortulane, coque, piſtor, caupo, vos mihi convivium facite! Choraulæ, vos muſicam facite! *Amphibius.* Jucundũ eſt hoc ſpectaculum! Neminem ego vidi, ita prompte, ita celeriter obedire Uranio. *Coſmus.* Vides, felicem eſſe me: te ſpera fore. *Amphibius.* Jam ſum. *Coſmus.* Sed hora cœnæ eſt: diſcumbe mecum. *Alithius.* At nunc ſaltem amicum audies, Amphibie, cum ultimum diſcrimen urget. Fuge, obſecro, Uranius adeſt, pœnas expetens a rebelli. Fuge! *Coſmus.* Quis hunc iterum hiſtrionem admiſit? Ejice! *Alithius.* Ejice! Sed jam domus cincta eſt armatis. *Criſius.* Non tu ſilebis denique? *Doxus.* Importunus & audax blatero, quibus non mendaciis turbas ciet. *Coſmus.* Territus videris mihi? *Amphibius.* Aliquantum. *Mammon.* Sycophantam nôſti. *Amphibius.* Si tamen dixiſſet verum? *Doxus.* Arma ſcilicet armis opponemus: panicus timor eſt. *Coſmus.* Quid affers Criſie! * . . . *Amphibius.* Deſeror! Criſie! . Criſie! . Doxe, Idonie, Mammon! . Creon! Creon! *Creon.* Quis me? . Oh! Oh! Manus in ſpinam indui. Doloſa mollities! . *Amphibius.* Fili Decepti, deſerti ſumus! Fuge, fuge! Uranius ultor adeſt. *Creon.* Uranius, pater? *Amphibius.* Fuge! *Syneſius.* Inſequo

* Diffugiunt, qua quisque poteſt.

SCE-

SCENA QUINTA.


Uranius. Nemesius. Mansuetus. Theander. Alithius.

Uranius. FUgiunt. I, Nemesi! Scrutari latebras militem jube. Protrahantur ad pœnam rei. *Nemesius.* Imo quid ambagibus utimur? Subjicere ignem scelestis ædibus jube: comburantur! *Mansuetus.* Præceps severitas non est gloriosa. Audiri debent, ut supplicium decernatur conveniens culpæ, quæ non erit in quolibet æqualiter gravis. *Theander.* Præplacet Mansueti sententia. Exequere jussa Patris. *Uranius.* Ad Filii nutum age. Læsus es Theander mecum, imo, nisi quod injuria Filii communis sit Patri, læsus es, quam ego, atrocius. Ultionis modum relinquo tibi. Nihil præscribo: exere vim omnem iræ, & quantam meus, quantam postulat tuus honor, vindictam para. *Theander.* Accepto officium lætus: judex ero, cui una erit hæc juris regula, tuus, Pater, & meus honor. Alithie, tuum hoc munus esto, ut Cosmo larvam detrahas, atque, qualis est, in servi habitu judicio sistas. *Uranius.* Regis titulum & coronam affectare est ausum mancipium, quod pedibus proteram? Quæ impudentia? *Alithius.* Quam Crisius animavit, Domine, Crisius ajo, qui utinam mihi excruciandus detur, postquam excruciavit me modis indignis adeo. *Theander.* Actio dabitur: adduc reum. Idonius etiam, & Mammon, & Doxus adsint. *Uranius.* Sed habitu, qui reos decet. Servi mei sunt, servi compareant, ut intelligat Amphibius, quibus servitutem stultus addixerit. *Mansuetus.* Stultus utique sed num vel ideo non est commiseratione aliqua dignus? *Uranius.* cruda nimis stultitia est, quæ eligitur, & amatur. Fiat justitia! *Theander.* Fiat!

Scena muta intermedia.

In qua exhibetur Miles sub duobus Ducibus, ab uno desertus, ab altero suspensus.

ACTUS



ACTUS V.

SCENA PRIMA.

Synesius. Amphibius. Creon.

Synesius. VIdes, quid feceris, infelix Pater! *Amphibius.* Ah! Video. *Synesius.* Grande malum est! *Amphibius.* Video. *Synesius.* Juraveras servitutem Uranio, & dixisti audacter: non serviam! *Amphibius.* Peccavi! *Synesius.* Huc te tua stultitia egit, quod putares, fieri posse, ut duobus Dominis servias. *Amphibius.* Ah! Putabam utique! *Synesius.* Quid tibi jam prodest chirographum Cosmi? En summa summarum! Perdidimus omnia. *Amphibius.* Ah! Ah! *Synesius.* Sed nunquid non dixi tibi: & non audîsti me? *Amphibius.* Ah! Scio! *Synesius.* Tu vero primum mutum me esse jussisti, ne ultra obloquerer: deinde surdum fieri permisisti, ne audirem Alithium: postremo cæcum, ut jam nihil possem arguere. Hoccine est humanum factum? *Amphibius.* Utinam tu adhuc mutus, surdus, & cæcus esses! Malo meo sanum Theander fecit, ut pejus crucier. Quo me abscondam? *Synesius.* Pœnam times, culpa non angit. O gemitus inanes! *Amphibius.* Pœnam timeo, & culpa angit. Sed non est spes veniæ: non locus effugii. *Synesius.* Est spes, mi Pater, est spes veniæ, si agnoscis te peccâsse. *Amphibius.* Agnosco. *Synesius.* si doles. *Amphibius.* Doleo. *Synesius.* Si vindicas, si punis ipse. Bonum Dominum habemus: non punit bis. *Amphibius.* Quid faciam? *Synesius.* Paravi tormenta. *Amphibius.* Tu tortor? *Synesius.* Minister justitiæ. Et ecce Creon! *Creon.* O Pater! Quo me abscondam? *Synesius.* O Pater! hic te decepit blanditiis, & concupiscentiis suis, hic Creon! huic irascere! Iuat!

Cruci-

Crucifigatur! * *Creon.* Quo me rapis, ferox, crudelis! Pater! Ah! Pater! *Synesius.* Adhibe manum pater crucifige! Sic placas Uranium. *Amphibius.* Placabo. Probo sententiam! Crucifigatur! *Creon.* Heu! Num furis pater? *Amphibius.* Ante furebam, cum te nimis amavi. *Creon.* Crudelis frater! *Synesius.* Ut patri consulam, fratrem crucio. Patere! Patere! *Creon* Heu! In quæ reservor! *Synesius.* Tibi, pater, hic carcer adstat. Ingredere. *Amphibius.* In caveam stultorum includis? *Synesius.* Fateri non pudeat, quod non puduit esse. Stulto labore consumptus es, duobus servire cupiens. Stultitiæ debetur carcer. *Creon.* Hæc a filio pater patitur? *Amphibius.* Patior. Include me. Hem! Discipulus præteriti temporis, præsentis Dominus, Magister futuri! Absconde radios sol, ne quis hoc dedecus videat! *Synesius.* Imo videat te Cœlum, ut miserescat: videat terra, ut sapiat. *Creon.* Superi! Inferi! Sic relinques?

SCENA SECUNDA.

Synesius. Alithius. Crisius.

Alithius. I pestis! In ultimam Thulen abi! *Crisius.* Saltem convasare me sines? *Synesius.* Moras ex moris facit: nihil audi, Alithie! Abi pestis! Abi! *Crisius.* Abi pestis! Cur pestis? *Alithius.* Os opprime, & terga verte. *Crisius.* Si saltem non sic ejicerer turpiter! Ossa tibi omnia frango, si semel adhuc nervo tetigeris. *Alithius.* Minari tu? Serve nequam, nequior, nequissime! Minari tu? Tu conqueri de nervo bubalo, cruces, rotas, rogum promeritus? Servile supplicium servo infligitur: furum, prædonum, latronum debebas nobis. *Crisius.* Ibo, ibo! Sed convasare tamen! *Synesius.* Quid tecum aufe-

* Creon in crucem agitur, Amphibius in caveam.

auferes? *Alithius.* Quid est tuum, nisi fraudes, doli, mendacia, fallaciæ! aufer ista: quid convasare est opus? Omnia tecum portas. Abi! Ego decretum exilii tui ad valvas Regiæ figo. Aqua & igni interdictum tibi, noverint omnes: quodsi quis te sciens volens cibo, vel potu, vel lecto aut tecto juverit, indignationem Uranii se noverit incursurum, a quo mala omnia ædibus, in quas diverteris, immittentur. *Crisius.* Quid faciam? Cogetis me fame perire? *Synesius. Alithius.* Utinam pereas! *Crisius.* Non peribo. Scio, quid faciam. Accipiam septem alios viros, nequiores me, & revertar in domum meam: & erunt posteriora pejora prioribus. *Alithius.* Faxo, ut nec accessus tibi pateat, nec reditus sit absque noxa.

SCENA TERTIA.

Uranius. Theander. Nemesius. Mansuetus. Alithius. Synesius.

Nemesius. NOndum.. Sed en! Synesium video. Te requiro: patrem etiam & fratrem tecum. *Synesius.* Scio, quid velis: ad judicium citas: non aderunt. *Nemesius.* Non aderunt? Effugere se posse sperant? *Synesius.* Non sperant. Sed judicati sunt; & scio, quod qui se ipsos judicant, non judicentur a Domino. *Nemesius.* Cosmus cum sociis vincti expectant sententiam, quam non pronuntiabit Theander, nisi audito Amphibio, quippe qui ut reus, ita est actor simul. *Synesius.* Ego pro patre agam. *Nemesius.* Judices adsunt. * Synesius, Domini, de Amphibio & Creonte referet. Audiri rogat. *Uranius. Theander.* Audimus. Loquere. *Synesius.* Ignoscite, Judices, si mihi spatium respirandi exposco: nam stupor, ira, pudor, dolor, amor, religio, pietas vix relicto anhelitu strinxerunt guttur. Stupent oculi in hoc aspectu! ex-

cabam

* Ex solio judicium fit.

tabam primum expulsum ex aula Crisium videns: nunc tenet animum, & recreat squalor hic, hæc ora pallentia, hæc colla depressa. * Cosme, Doxe, Idonie, Mammon vos ego video, an statuas, & nudos truncos? Æquitatem vestram, Domini, adoret orbis, & omnis posteritas celebret! Vincti, confusi, trementes astant, quorum ego hodie vocem, sannas, risum pueriliter tremui. O pudor meus! Sed ego stulti timoris pœnas, opinor, sat graves dedi. Torquere patrem jussus sum, quid gravius filio? Obedivi tamen: nec pœnitet facti. Sentiat miser, quam malum & amarum sit reliquisse Dominum suum, & adhæsisse tyranno. Utinam tamen liceat hoc illi per vos, ut salubriter sentiat!. Non excuso facinus, Judices: accuso etiam: stulte, proterve, impie egit: sed egit tamen: nunc vero id, si posset, ageret unice, ut, quæ acta sunt, acta non essent. Saltem, quod potest, agit: dolet, plorat, plangit. Fatetur stultitiam, proterviam damnat, impietatem execratur. *Nemesius.* Sera lamenta sunt. *Mansuetus.* Si seria, audiantur. *Synesius.* Quam seria sint, probant pœnæ, quas & de Creonte, & de se, ipse expetiit. Usurpate oculis, si placet, spectaculum, dignum misericordiæ plausu. *Theander.* Me moves, Synesi! Siparium pande. Pater! Quam est hic aspectus jucundus!

SCENA QUARTA.

Personæ Omnes.


Uranius. ECce! Amphibius factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum! Huc te miser redegit prudentia tua! Duobus Dominis putabas servire te posse: jam ab uno desertum, ab altero ad pœnam rapiendum te vides! intelligis denique, quid tibi prosit contempsisse Uranium? I nunc insa-

* Captivi prostant.

insane, & a Cosmo auxilium pete! Cosme, Doxe, Idonie, Mammon, ubi estis? Liberate fidelem servum ex fœdo ergastulo! Moras trahitis? Quin fortiter clamas, miser! Nam forsan absunt longius, aut profundius dormiunt strenui illi Domini tui, qui toties tibi promissis tam splendidis felicitatem addixerunt! Stulte! hoc te præterita tempora docuerunt? Quam misere perierint, quotquot deserto Uranio in partes Cosmi abierunt, non audieras? Non legeras? Non memineras! Stulte! Sic te oportebat uti præsenti tempore? In quo te offendi? Quando injuriam intuli? Quando male habui saltem? Quid? Tu tibi alium insuper Dominum exoptare sis ausus, præter me? Ut mihi soli, ut totus servires, num dignus non fui? Num abs te non merui? Elegisses saltem Dominum majorem me, aut certe æqualem: tacuissem utique: tulissem patiens: sed tu Cosmo te addicere, Cosmum meum mancipium mihi comparare, æquali mecum in honore habere, pari obedientia colere, denique aperte ad servum deficere, hæc te credidisti impune facturum? Stulte! Eris, eris Magister futuri temporis, eris, & ventura sæcula, quis Uranio debeatur honor, quæ obedientia, quæ servitus, ex tuo supplicio discent. Sententiam pronuntia, Fili! Nemesi, executioni te para. *Theander.* Stulte, quid tacitus astas? Clementem habes judicem, si scelus, quod negari non potest, excusari saltem & minui queat. *Amphibius.* Creon, Creon me decepit! *Creon.* Stulte! Num decebat patrem obsequi filio, stulta, impia expetenti? *Amphibius.* Non decebat: stulte egi: nihil excuso: unum verbum audi, Theander: pœnitet! pœnitet! *Theander.* Verbum sapienti satis est. Pater, omne judicium filio commisisti: meo judicio liber Amphibius sit. *Uranius.* Quid loqueris, Fili? *Nemesius.* Justitia vetat. *Mansuetus.* Misericordia probat. Aperio carcerem. *Theander.* Displiceo pater? *Uranius.* Tua potestas est. Nihil revoco. *Mansuetus.* Egredere, egredere miser! Et nunc saltem, si potes, vel sero sape. Pereat

hoc

istis non indigemus. *Theander*. Sed Amphibius indiget Pater! Amphibio serviant. *Cosmus*, *Idonius*, *Mammon*, *Doxus*. Vah! *Nemesius*. *Mansuetus*. *Synesius*. *Alitbius*. Quanta bonitas! *Theander*. Vides, ut fremant, Pater? *Uranius*. Quid? Ergo ne parum est tibi impunem fecisse Amphibium, etiam Dominum facies? *Amphibius*. *Creon*. *Synesius*. Non petimus, non meremur. *Theander*. Ego peto, ego mereor. Ita, Pater, digno supplicio plectetur Cosmi superbia: ita congruo remedio sanabitur Amphibii stultitia. Cosmum Dominum optavit Amphibius, ut bonis, quæ pro suis fallax Cosmus ostentavit, fruatur: discat imperare, non mendicare. Servum habeat, & bonis, quibus honeste potest, utatur ad libitum, nisi aliter visum sit nobis. Ita nobis ipse hilariter serviet, nec jam de duobus Dominis cogitabit, factus ipse Dominus sui Domini. *Omnes*. Sententia Theandro digna! *Uranius*. Vicisti, Fili! Solvite reis vincula, ut accingant se ad serviendum. Synesium tamen, Amphibie, Synesium & Alithium consiliarios esse tibi volo in novo Dominio: nisi approbant ipsi, Cosmo tu nihil impera. *Amphibius*. Utinam egissem semper! *Uranius*. Homagii solennitas fiat. Tu nobis jura: Cosmus jurabit tibi. *Omnes*. Stupete Cœli misericordiam nunquam visam! auditam nunquam! *Alitbius*. O misericordia! Unde hæc magna, hæc jucunda veritas est: Qui vult esse Dominus Cosmi, fit servus Uranii: aut, quod idem est, qui est Servus Uranii, fit Dominus Cosmi.



PRO-



ARGUMENTUM

FUres temporis, thesauri utique pretiosissimi, qua ratione & deprehendi queant, & multari debeant, docemus. Argumentum est utile mixtum cum dulci, ne, si pro tempore, quod spectaturi nobis dabunt, nihil reddamus, etiam nos inter fures ponamur. Notentur nomina Personarum: posuimus plana, quia intelligi cupimus.

PERSONÆ.

Suspirius thesauri Administrator.
Conscientius ejus Frater & Admonitor.
Discretius Conscientio familiaris.
Incurius Suspirii Oeconomus.
Vigilius ejusdem janitor.
Abusus Advocatus Incurii.
Magister usus.
Aërius sive Ambitio, } *Fures extranei.*
Chrysaorius sive avaritia, }
Amasius sive libido. }
Negotius, } *Fures domestici.*
Stertinius, }
Ludio, }
Garrilius, }
Gastrimargus. }

PRO-



PROLOGUS

Poëta Scientiam redimendi tempus venditurus, cum emptorem non reperit, gratis tradit.

Poëta. Ευρηκα! ευρηκα! ευρηκα! ευρηκα!
Cives! Cives! Accolæ! Incolæ! Senes, & juvenes! Divites! Pauperes! Plebeii & Nobiles, summi & infimi! Audite! Audite!
Ευρηκα! ευρηκα! ευρηκα! ευρηκα!
Pretiosi temporis
Fures deprehendi!
Artem do, si emitis,
Furtum redimendi.
Emite! Emite! Ευρηκα! Ευρηκα! Emite! Emite! . .
Nemo se movet? Nemo?
Vah! . Nescitis, quantum sit temporis pretium!
Indignor, an misereor?

I.

O unbedachte Leut?
Ad furcam rapiuntur,
Qui sibi assequuntur
Was wenigs auf der Seit!
Et liberi vagantur,
Quid dico? honorantur,
Die Dieb der edlen Zeit!

2.

Man kauffet Holtz und Sand:
Nugarum venditores
Inveniunt emptores,
Und allzeit offne Hand:
Vt tempus redimatur,
Teruntius non datur:
Wo ist doch der Verstand?

3.

Wann ich kunt zeigen an,
Quis arcam expilârit,
Quis ædes spoliarit,
Wo man ihn finden kan:
Quid, papæ! non daretis,
Quid non promitteretis?
Ich wurd ein reicher Mann.

4.

Nun lehre ich die Kunst
Noscendi aurearum
Furunculos horarum:
Was gebt ihr für mein G'spunst?
Tacetis? Et est nemo,
Qui mihi dicat: emo!
So gib ichs halt umsunst.

5.

5.

Doch höret meinen B'scheid:
Si nec, quam dabo gratis,
Doctrinam acceptatis,
So seyt ihr all nicht g'scheid:
Ignoscite! Hoc meum
Effatum, non est meum:
Es sagts die Ewigkeit.



PARS I.

Fures comprehensi.

SCENA PRIMA.*

Suspirius. Conscientius. Discretius.

*Suspirius.*** PRo! Ut perturbatæ rationes sunt! Quid faciam, si repente veniat ad judicandum Dominus, &, si interrogabit, quid respondebo ei? quid suades Conscienti, frater mi, quid suades? *Conscientius.* Sicut suasi, ut in tempore rationes inspiceres pro examine: ita suadeo jam, ut judicium judicio prævenias, antequam tempus non erit amplius. *Suspirius.* Summa accepti ingens! Anni quinquaginta, menses sexcenti, hebdomadæ sexcentæ supra duo millia, dies centies quinquagies octies mille, centeni, & quinquaginta. Horarum supra quadringenta triginta quatuor millia quadringentæ, minutorum denique quadragies mille, & sexcenta supra trimillionem. *Conscientius.* Thesaurus ingens! Nam poterat quovis minu-

* Aperitur cubile. ** Annuas Rationes conficiens.

minuto Cœlum emi. Sed hæc summa accepti est. Residuum lege. *Suspirius.* Minutus est numerus: nihil discerno. *Conscientius.* Incertus est. Hoc certum, quod modicus. *Suspirius.* Heu me! Video me prope redactum ad incitas, & nescivi! Sed in quid factæ sunt tot expensæ? *Conscientius.* Frustra revolvis. Rationes expensarum nullas iniit Incurius œconomus tuus: hoc est, quod queror. Quid si fures domi aleres, aut illi certe, qui toties ad te invisunt, amici tui sint fures? *Suspirius.* Atrox suspicio! *Conscientius.* At non temeraria. Et nescio, num non colludat œconomus, quippe homo, quam pro te parum, tam pro sua cuticula multum sollicitus. . Ingredere hospes! *Suspirius.* quem vocas? *Conscientius.* Discretium se vocat amicus meus, quem utinam pridem nossem! Iste me monuit, ut admonerem te, ne differres rationes tuæ œconomiæ inspicere. Perspectas habet tuorum fraudes. *Suspirius.* Ain' vero? *Discretius* Ad obsequia sum. Oeconomum alis, Domine, vel nimis simplicem, vel nimis nequam. Quidquid tui vel domestici, vel hospites postulant, tribuit: quanquam jam ne postulant quidem, vidente Incurio, furantur horam alius, alius diem, tertius mensem adeo. Quod si se commovet, alius dicit se jocum fecisse, alius in commodum tuum velle expendere, tertius ad necessitatem. Ita ille quiescit, tu spoliaris. Fortuna in Conscientium incidi: narravi, quia miseruit vestrum: rogavit, ut juvare consilio velim: adsum. *Suspirius.* Et quid consulis? *Discretius.* Ut purges familiam, & inter amicos selectionem facias. *Conscientius.* Non discernimus malos a bonis: plerique fallunt. *Discretius.* Discretii est discernere. Horam date! Horæ unius impendio manifestos fures dabo, tot horarum raptores. Atque hoc nunc facilius præsto, cum ad celebranda bacchanalia dies & noctes integras, si patimur, rapient. *Suspirius.* Negotium bonum facis. Necesse est, nosse me, in quos thesaurum profundam. Heu me Modicum residuum est! Utinam

pri-

pridem huc inspexissem! Oeconome! . Incurie! . Huic hospiti horam dabis, aut si opus habet, etiam duas, ut possit negotiari pro me. Ego reliqua tecum transigam, frater.

SCENA SECUNDA.

Incurius. Discretius.

Incurius. QUod jubes, here. *Discretius.* Ad votum peragam. *Incurius.* Te vero; vir bone, num licet nosse, qui sis? *Discretius.* Satis est, quod ego te noverim. Tu mihi ad interrogationes meas responde: nam ita necesse est, ut negotium peragam, quod mihi herus imposuit. *Incurius.* Interroga. *Discretius.* Quot domesticos alis, & quales, & quid in singulos expendis quotidie? *Incurius.* Jucundus es homo, qui hæc interrogas. Interrogabo & ego te aliquid: quis es tu, & unde huc venisti, & cur? *Discretius.* Postquam dederis horam, quam jussit Dominus, percipies singula. Nunc responde ad quæstiones propositas. *Incurius.* Imperiose. Responde tu prior mihi: scire necesse est, cui loquar, aut nihil loquar. *Discretius.* Homini, cui herus imposuit curam negotii sui: hoc satis est. *Incurius.* Non satis est. Dic: cujus negotii? *Discretius.* Magni, ex quo pendet illius salus. Et quoniam urges, dicam: curam œconomiæ imposuit.. *Incurius.* Velut si bombardam explosisset, ita attonitus sum. Quid? Non ego œconomus sum? Iñocens, non damnatus, ne auditus quidem domo ejicior? *Discretius.* Vocaberis ad examen. *Incurius.* Alienus invadat officium meum! *Discretius.* Ad horam. *Incurius.* Ad horam scilicet. Non sum ita hebes, ut non videam, quid futurum sit. Si alius vel ad horam has claves accipiat, Incurius exul æternum erit. *Discretius.* Condemnas te ipsum, si detrectas examen: liber rationum in manibus Heri est: dissipasse bona videris, nisi ego te vindicem. *Incu-*

rius. Quis librum Hero? *Discretius*. Conscientius detulit. *Incurius*. Hem! Actum est. Diffamatus sum ab inimico. Ineptus accusator est Conscientius, quippe qui odit me pessime, quod aliquoties negaverim dare horas, quas petiit sibi. Nunquid idem Misanthropus te adduxit? *Discretius*. Philantropum voca: nam amat Suspirium Conscientius, ut fratrem, tenere. Sed quid verba perdimus? Administrationis tuæ rationem reddes, velis, nolis. Si sapis, emes favorem meum, & horam imperatam continuo dabis. *Incurius*. Non est de tempore, ut tibi dem tempus: imo non habeo tempus. *Discretius*. Attende, quid loquaris. Si tempus non habes, ergo perdidisti? *Incurius*. Pro te non habeo, nisi dicas, qui sis. *Discretius*. Etiam hoc dabo tuæ importunitati. Discretius sum filius Prudentii, qui est vicinus Suspirio. *Incurius*. Hui. Discretius! Nunc bacchanalia sunt: non habeo tempus sive pro Discretio, sive pro Prudentio, sive pro Suspirio, sive pro Conscientio. *Discretius*. Bacchanalia sunt! Ideoque negas horam Discretio dare posse? *Incurius*. Non habeo tempus. *Discretius*. Horam? *Incurius*. Non habeo. *Discretius*. Responsum ad Suspirium referam. *Incurius*. Refer. Sed mihi jam malum imminet, nisi providus sum: nec jam licet incurium esse. Quid faciam? Fodere non valeo, mendicare erubesco: perditus sum, si has claves perdidero. Scio, quid faciam. opportune se infert Vigilius.

SCENA TERTIA.

Incurius. Vigilius.

Vigilius. HUI! Oeconome! Ut lentus es in rebus tuis. Garrilius, Ludio, Gastrimargus irruperunt in cubile, ubi ærarium servas: furantur, quod volunt. *Incurius*. Rumpere flagrio! Ita clamas, ut mihi aures obtundas. Scilicet quid

quid ad te cubile meum? Janitor es: invigila portæ. Scis, quem intro admiseris? *Vigilius*. Neminem vidi. *Incurius*. Hominem, qui nos omnes exiget domo, nisi totus Vigilius sis, & quantus es, intentis in eum oculis fueris, ne quid ille furetur. Si vel horam permiseris, actum est. *Vigilius*. De me? *Incurius*. Etiam de te. Nam ego accusabo te Hero, quoties furtorum particeps fueris, totas noctes cum furibus pervigil. *Vigilius*. Quæso, ne feceris. Nam quid tibi prodest, si tecum pendebo? *Incurius*. Nisi quod jussero, facias, fiet, quod dixi. *Vigilius*. Jube, o bone, jube! *Incurius*. Ad reddendam rationem de factis expensis vocor: vides, quid consequens sit. *Vigilius*. Hei! Quam multa tu paucis dicis! *Incurius*. Sed hoc sine sumptibus fieri non potest. Impendenda est hora saltem, ut examiner, accuser, condemner. Capis? *Vigilius*. Docilis sum. Quid deinde? *Incurius*. Hoc deinde, quod invigilandum sit tibi, ne homo pergrinus auferat quidquam temporis, nec minutum etiam. Quid? Hoc iterum capis? *Vigilius*. Iterum. Jam modum, quo caveam, doce. *Incurius*. Amicum te ipsi finge, inimicum nobis. Ita se tibi credet, & tu nobis illius consilia. *Vigilius*. Sapis. *Incurius*. Præterea quisquis ad januam venerit ex amicis, cave, quemquam excludas. Quidquid petierint temporis, decretum est dare, donec nihil supersit, quo contra nos abutatur Discretius. *Vigilius*. Phü! Quod nomen audio? Discretius adversum nos agit? *Incurius*. Officium meum ambit, & has claves. *Vigilius*. Ille Prudentii nostri vicini filius? *Incurius*. Ille, ipse, iste homo superbus, avarus, invidus, iracundus, insulsus, insipidus, barbarus, & quid sit elegantia morum, & quid doceat Magister Usus, ignorantissimus. *Vigilius*. Velut si Apelles esses, ita ad vivum pinxisti hominem. Curro, & amplector: num intus est?

SCENA QUARTA.

Incurius. Ludio. Garrilius. Gastrimargus. Stertinius.

Incurius. INtus est. Ingredere. Ego jam videbo, quid mei furunculi faciant. Adestis trossuli mei! *Stertinius.* Trossuli mei! Ego vero, nisi tu me habeas melius, omnino ex his ædibus fugiam. Ita isti rapiunt omnia, ut mihi poene nihil supersit. *Garrilius.* Tu tace, & crepa. Nam quid Stertinio cum bacchanaliis? Garriendi, *Ludio.* Ludendi, *Gastrimargus.* Edendi, bibendi, *Garrilius.* Saltandi, cantandi, *Ludio.* Jocandi, rixandi, *Gastrimargus.* Vorandi, potandi nunc tempus est, *Omnes tres.* Non stertendi. *Garrilius.* Prior tempore, prior jure. Sero venit more suo Stertinius; sibi imputet, si vacuam cistam invenerit. *Stertinius.* Ego vero non quiescam, donec quod justum est, mihi dabitis. *Omnes.* Nihil dabimus. *Stertinius.* Gastrimarge, in mediis conviviis invadam te, & sic contundam stomachum, ut quidquid voraveris, ructes. *Gastrimargus.* Nihil. *Stertinius.* Garrili, ego tibi os distendam, ut perpetuo hiscas. *Garrilius.* Nihil. *Stertinius.* Ludio, ego tibi oculos & caput ita premam, ut tamdiu nictes, donec annuas denique. *Ludio.* Nihil. *Omnes.* Quod quisque rapuit, teneat. *Stertinius.* Hoc tu probas, Oeconome? Ludioni impera, saltem furtum ut dividat mecum. *Ludio.* Fieri non potest. Vix sufficit pro expensis mihi, quod rapui. Tantulum est. Duodecim horas abstuli: tres expendo pro aleis, tres pro chartis, sex pro choreis. Quid jam sit reliquum tibi? *Incurius.* Nocturnas abstulisti, an diurnas? *Ludio.* Nocturnas novem, diurnas tres. *Incurius.* Et Gastrimargus? *Gastrimargus.* Tres post meridiem, & tres sub mediam noctem. *Incurius.* Et Garrilius? *Garrilius.* Ego nullas rapui, sed rapientibus pro vigile adstiti, ut, si quis superveni-

veniret, garrirem. Ideo ab utroque participo. *Incurius.* Hei! Factum pessimum! Horas matutinas, horas optimas reliquistis intactas! O fures stolidi! O inepti! Quantulum abest, ut vobiscum sim perditus! *Omnes tres.* Nullas invenimus præterea! Cista est vacua. *Incurius.* Ego matutinas cistæ separatæ inclusi, ut in casum necessitatis servarem. Et ecce necessitas! Veni Stertini, tuæ sunt. *Stertinius.* Imo horæ nocturnæ mihi debentur. *Incurius.* Non, non; sine tu istos suis rapinis frui! Tu Incurio charissimus es! Tibi optimas dabo. Sed cave, ne vel unam alteri cuidam concedas! *Stertinius.* Nihil metue. Sex horulæ tantum supersunt: quid dabo alteri? *Incurius.* Veni. Vos in faciendis expensis moras abrumpite. Laudo industriam! Furtum probo! Fruimini me, dum potestis, & connivet Suspirius.

SCENA QUINTA.

Ludio. Garrilius. Gastrimargus. Negotius.

Gastrimargus. AUdio. Socii! apparatum facio ad celebranda hilaria. Catalogus pro culina scribendus solitudinem & studium exigit. Valete. *Ludio.* Ego instrumenta lusoria colligo. Vale. *Garrilius.* Relinquitis Garrilium solum? *Ludio.* Sufficis tibi. Omnia tua tecum portas in lingua. *Garrilius.* Verum dicis. Si garrire non possum, possum cantare. Eja! A, e, i, o, u. *Negotius.* Tandem in hominem incido. Age, tu mihi, ubi sit herus, loquere. *Garrilius.* A, e, i, o, u, *Negotius.* Loquere, inquam, non cane. *Garrilius.* A, e, i, o, u. *Negotius.* Insanio, nisi insanit hic puer. *Garrilius.* A, e, i, o, u. *Negotius.* Pusio! Narcisse! Floscule! Non possum impetrare a te, ut loquaris? *Garrilius.* A, e, i, o, u. *Negotius.* Caudex, stolo, stipes aduste per totum! Num ego te pedibus proteram? *Garrilius.* A, e, i, o, u. *Negotius.* Si intelligerem sal-

tem, quid cantes? *Garrilius*. Da capò. A, e, i, o, u. *Negotius*. Prô! Longum tormentum! *Garrilius*. A, e, i, o, u! *Negotius*. A, e, i, o, u! A, e, i, o, u! A, e, i, o, u. Prô elegans carmen! Cessa, aut fauces obstruo! *Garrilius*. A, e, i, o, u! Nunc loquere! Nam peccatum erat citius absolvere Ariam, quam sexies saltem repetitus sit textus. *Negotius*. Tamen si centies repetiisses; non intellexissem, quid cantes. Nunc ut intelligam, loquere, non cane. *Garrilius*. Quid vis, ut loquar? *Negotius*. Herum per omnes angulos requiro, non invenio. Potin' dicere, quo se abstulerit? *Garrilius*. Potin' dicere tu, quid Hero velis? *Negotius*. Divinare ex fasciculo potes. Negotia fero, multa, gravia, neque quæ ferant moram. *Garrilius*. Modicam dabis: necesse est narrare aliquid. *Negotius*. Paucis. *Garrilius*. Tribus verbis. *Negotius*. Urgeor multis. *Garrilius*. Non detinebo. Heri cubitum ivi post mediam undecimam, imo puto, quod jam fuerit tertius quadrans. *Negotius*. Nihil refert. *Garrilius*. Audi modo. Post mediam, inquam, undecimam, nisi fuerit tertius quadrans, cubitum ivi. Habeo autem, per parenthesin, uti scis, lectum satis mollem non procul a fornace, ita, quasi hic lectus esset positus, & hic fornax, & ibi janua. *Negotius*. Claudatur. *Garrilius*. Vix decubui, cum me somnus oppressit: eram enim oppido fessus garriendo, nam a summo mane usque in seram noctem linguæ quies non fuit. *Negotius*. Credo, neque hodie fore. *Garrilius*. Imo hodie multo minus: nam cœpimus bacchanalia agere, probante Hero. *Negotius*. Herum volo, absolve me: ubi est? *Garrilius*. Statim dicam. Audi modo. *Negotius*. Non vacat audire nugas. *Garrilius*. Imo audi, nam interest tua. *Negotius*. Si brevis es. *Garrilius*. Cur interrumpis? Loqui me sine. *Negotius*. Ah! Tandem! *Garrilius*. Vix, inquam, decubui, cum me somnus oppressit. *Negotius*. Audivi. *Garrilius*. Hem iterum! quam est impatiens hic homo! *Negotius*. Saltem si quis

sellam

ſellam afferret, ut ſedens poſſem audire! *Garrilius.* Vin', ut afferam tibi? *Negotius.* Narra! Narra porro! *Garrilius.* Rem lepidam audies. Statim igitur me ſomnus oppreſſit, ſed inquietus admodum: nam pone me cubabat Gaſtrimargus; velut ſi hic mihi lectica eſſet poſita, & hic illi: & ille crapulam inter horribiles ronchos exhalabat: nam heri convivium inſtituit Herus plusquam duodecim hoſpitibus. Aderat Amaſius homo lepidus, ut noſti, & inſignis venator damarum, & Chryſaorius inſignis ille alchymiſta, qui quotidie novas artes excogitat, quibus poſſit confici aurum, item inſignis ille architectus, quomodo vocatur? Non occurrit jam nomen. *Negotius.* Aërium vis dicere! *Garrilius.* Ita, Aërius aderat, vir grandiloquus, & magnis deſideriis turgens. Deinde... *Negotius.* Heu me! Moriendum eſt mihi in hoc loco, niſi brevior ſis. *Garrilius.* Breviter, ut dixi, ſupra duodecim hoſpites erant. Fuimus læti! Gaſtrimargus, quod ſolet, crapulam bibit: inde ronchi, & ructus, quibus me toties excitabat. Impatiens fui: in omne latus me verto: delibero, quid faciam? Ajo mecum ipſe: dormire neceſſe eſt, oculi graves ſunt: & dormire non poſſum in iſto ſtrepitu: ſurgo turbidus, & lucebat luna orbe pleniſſimo: deambulo cogitabundus: oculos jam in ſtertentem Gaſtrimargum conjicio, jam per omnes cubiculi angulos. Jacebat illud animal ſupinum, turbatis ſtragulis, extentis brachiis & pedibus, ore hiante. Mihi aſpectus ſpirantis trunci iram in riſum ſolverat. Utinam, ajebam, liceret fauces obſtruere, ut expirares. Hæc animo agitans video fruſtum butyri cum cado lactis, quo ille ſolet incendium a vino ortum reſtinguere, ad latus fornacis poſito. Quid ſi, inquam, tentarem, an ungi hoc guttur poſſit, ne ultra obſtrepat? Dictum factum. Accedo, fruſtum ori injicio: rem miram! Repente placidus Gaſtrimargus ſilet, nihil aſperum, nihil ſtreperum eſt poſt unctionem: gaudeo, me in lectum projicio, dormio. *Negotius.* Tandem eſt finis.

finis. *Garrilius.* Imo nunc incipio narrare, quod volo, & ad te pertinet. Nam horridum risui somnium successit: somniabam, te suspensum esse. Audi, quæso, seriem somnii. *Negotius.* Imo tu audi interpretationem. Carnifex es: suspendisti me crudeliter satis: nunc dimitte, nisi velis, ut crepem. At en! Qui me liberet, venit. Gastrimarge, ubi Herum reperiam?

SCENA SEXTA.

Negotius. Garrilius. Ludio. Gastrimargus.

Gastrimargus. NEgotium rursum video. Omnia turbas gaudia: neque erit a te saltem in bacchanaliis quies? *Negotius.* Credo, etiam convitia auditurum me hodie, nisi abeam. At tu, Ludio, ubi sit Herus, dices denique! *Ludio.* Herus? Quid tibi cum Hero hodie? Non habet tempus, ut audiat te. *Negotius.* Habet tempus, quod coquo, & agyrtæ, & parasito tribuat: & quod Negotio concedat, non habet? *Garrilius.* Hem petulantiam hominis! Tune te mihi conferre, & digniorem putare amoribus Heri? Mihi omne tempus debetur, si recte homo animal sociabile dicitur. *Negotius.* Hem! ut ebullit ollula! Non affunditis frigidam? *Gastrimargus.* Puere! Si tibi omne tempus debetur, quid nobis relinquis? *Ludio.* Tu Ludioni te compares? Quid ludis est lætius? Ipse Deus quid facit in orbe terrarum? Ludit. *Negotius.* Erudite. *Garrilius.* Inepte! Fac, abesse Garrilium: quid esset orbis terrarum, quam saltus truncis & bestiis frequens? *Gastrimargus.* Fac, abesse Gastrimargum: quid essetis uterque? Aridi, exucci, squallidi, marcidi, emaciati stipites nempe. *Ludio.* Stupide! Beati, si nescis, in paradiso essemus, læti, sani, immortales. *Garrilius.* Tu homicida es ab initio, prædo, latro, pestis universi. *Gastrimargus.* Eja! Perora rabula in hanc partitionem. *Garrilius.*

SCENA SEPTIMA.

Accedit Vigilius.

Vigilius. QUis clamor est? Prô! Vos hunc tumultum! Si me auditis, latebras quærite, nisi malitis in carcerem trahi. *Omnes.* Quid canis bubo? *Negotius.* Imo rapiantur ad crucem! *Vigilius.* Ad patibulum est via ex carcere. *Omnes.* Cessas obloqui! *Vigilius.* St! Cessate clamores, obsecro. Proditi estis, & vos ipsos proditis. *Omnes.* Quid? Proditi? *Vigilius.* St! Herus cum Conscientio & Discretio in cubile œconomi repente irrupit, & deprehendit in flagranti. *Omnes.* Quid? *Vigilius.* Incurium, qui horas matutinas Stertinio dabat. *Omnes.* Prô quid loqueris? *Negotius.* Loquere! *Vigilius.* Nempe continuo suspirare Suspirius, irasci Conscientius, Discretius fremere, quod horas optimas ignaviæ daret. *Omnes.* Quid Incurius? *Vigilius.* Trepidare primum, mox excusare factum, quod necessitas cogeret. Stertinius etiam conqueri cœpit, quod horæ nocturnæ furto sibi ablatæ sint. Institerunt, ut nominaret fures: nominavit. *Negotius.* Io bene! *Omnes.* Dispereat proditor. *Vigilius.* Incurius exageravit crimen, & vacuas cistas, quas effregissetis, ostendit. Quid statis? Nondum intelligitis, quid faciendum sit vobis? *Omnes.* Ubi patet effugium? *Negotius.* Et tu pateris effugere? Quin adjuvas etiam? Nisi curras celeriter, & munias portam, ne qua evadant: quam vere Negotius sum, accusabo te Hero acriter, & efficiam, ut te litteram longam efficiat. *Vigilius.* Hei, parce, obsecro! Nam quod est scelus amicos juvare? *Negotius.* Juvare fures est scelus. Nisi curris. . . . . *Vigilius.* Curro, parce! *Negotius.* Cito. Beatus sum! Est occasio vindicandi me de multis injuriis. Sæpe volebam

lebam conqueri, nunquam auditus sum. Per istorum furta est factum, ut mihi scripturæ agendorum in immanem cumulum creverint, eo quod expensæ temporis omnes per istorum impudentiam, & œconomi injuriam profunderentur in ludos, in convivia, in nugas. Bonum est, Conscientium tandem Suspirio loqui; auditorem faventem habeo! Accusator acerbus ero.

MUSICA.

Pia desideria Senis tempus male præteritum deplorantis, & bona proposita Juvenis tempus futurum ambientis.

Personæ. Senex. Juvenis. Genius Prudentiæ.

Genius Prudentiæ. Scholam aperio
Non tamen per præcepta,
Sed per exempla doceo.
Hæc hodie est lectio:
Quid sit sapere, in tempore.
Attendite, perpendite. *

I.

Senex. Quam tristis est memoria,
Qua senex ad præterita
Reflectit animum!
Essem prudentior,
Si essem junior.
Juvenis. Cessate larvæ horridæ!
Me juvat nunc desipere,
Et esse liberum.
Ero prudentior,
Cum ero senior.

Senex.

* Hinc, & inde fit exhibitio, per cameram obscuram.

2.

Senex. Ah! Inter quæ crepundia
Est acta pueritia!
Recordans doleo:
Essem prudentior,
Si essem junior.

Juvenis. Mors est consiliarius,
Quod docti ajunt, optimus:
Sed nunc non consulo!
Ero prudentior,
Cum ero senior.

3.

Senex. Mox in adolescentia
Quis dicat, in quæ vitia,
Et quanta lapsus sim
Essem prudentior,
Si essem junior.

Juvenis. Horrendum est judicium!
Sed nunc non facit anxium:
Cur ante tempus sim?
Ero prudentior,
Cum ero senior.

4.

Senex. Juventus tota vetitis
Est acta in deliciis,
Et turpi otio!
Essem prudentior,
Si essem junior.

Juve-

PARS II.

Fures accusati.

SCENA PRIMA.

Aërius. Chrysaorius. Amasius. Incurius. Stertinius.

Incurius. TU quidem sub prætextu necessitatis evades. *Stertinius.* Puto. Nam quis dormire prohibeat? Etsi dormire noctu non possum, necesse est, ut liceat mane. *Incurius.* Sed mihi male est. Neque suppetit consilium, quo adjuvem me, ut reddam expensi temporis rationem probabilem saltem. Nam nimium (nunc equidem agnosco) nimium Gastrimargo, nimium Ludioni, nimium Garrilio, nimium etiam Negotio dedi, & hui! Quantum Aërio, Chrysaorio, Amasio! Et Conscientio nihil! Malum pessimum! *Stertinius.* Candidus es. *Incurius.* Brevius dicam: omne tempus perdidi aut nihil agendo, aut inutilia agendo, aut malum agendo. Hæc Summa rationis reddendæ est. Candidus sum, ut intelligas, in quo periculo sim, & consilio juves. *Stertinius.* Stertinius non est homo multi consilii, nisi forte aliquod per somnium occurrat. Et en! Vigilone, an somnio! Procide, Jupiter intrat! * *Incurius.* Pro! Jupiter! *Stertinius.* Et Mammon! Et Cupido! *Incurius.* O propitii Dii! Juvate Incurium! *Omnes tres.* Imo nos cupimus juvari a te! *Incurius.* Imperate, quod vultis. *Omnes.* Sacrificium volumus. *Incurius.* Quid sacrificabo? *Omnes.* Tempus, tempus! *Incurius.* Heu! Me miserum! Non habeo tempus! Totum fures abstulerunt. *Aërius.* Lepide! Quid! Quid nugaris? Amicos

* Personati Dii.

cos non nosti? Da tempus! *Chrysaorius.* Cessa simulare! nosti nos. Da tempus. *Amasius.* Surge! Da tempus. *Aërius.* Stertini, quid trepidat homo?, ineptit enim? *Stertinius.* Hei! Ipse caligabam. Ridiculi homines? Vos estis? *Chrysaorius.* Evigilas? *Stertinius.* Surge! Spurii sunt isti Dii! Aërius, Chrysaorius, Amasius sunt. *Incurius.* Hem proterviam! *Omnes tres.* Gratus est error. Adorasti nos! *Incurius.* Jam vero detestor. Abite ad stygem monstra, abite! Utinã vidissem nunquam! Nunquam vel minutũ dedissem! *Amasius.* Quas tragœdias loqueris? *Incurius.* Quarum nodum nemo vel Deus solvat. Pro! Quasi non sine vobis satis sim miser, ita mihi diabolus istos Deos adduxit! An & Vigilius inimicus est mihi, quod huc intro admiserit vos, hoc tempore, isto habitu, inter has turbas? *Chrysaorius.* Quæ enim sunt turbæ? *Amasius.* Hic habitus turbat? *Aërius.* Consulto hac in veste intravimus domum, ego architectus, *Chrysaorius.* Ego Chymicus, *Amasius.* Ego Venator. *Aërius.* Nunc quia bacchanalia sunt, credimus, nos Hero facturos delicias, si cum alii larvati incedunt, nos veniremus sine larva, ego Jupiter, vel, ut Germanice loquar, ambitio, *Chrysaorius.* Ego Mammon, hoc est, avaritia, *Amasius.* Ego Cupido, quem non opus est explicare. *Aërius.* Ita intra muros mutavimus vestes, & larvas posuimus. *Chrysaorius.* Si aliud videtur, resũmimus. *Incurius.* Ah! Vigilius! Vigilius! Cur vos admisit? Resumite vestes, & qua potestis, effugite: vobis & mihi consulitis. Vigilius proditor est! Ego perii! *Amasius.* Quæ hominem intemperiæ agunt? *Stertinius.* Reddenda est ratio expensi temporis. Nisi larvas resumitis, non evadetis. Vitium prodit vestitus: aliter tegite. *Aërius.* Continuo Jovem exuo, & architectus incedo, *Chrysaorius.* Et ego Chymicus, *Amasius.* Ego venator. *Aërius.* Sed heus! Priusquam Jovem depono, occurrit consilium hoc cerebro dignum: si ratio reddenda est tibi, cur de Advocato non cogitas? Solus non potes emergere. *Incurius.*

curius. Quis serviet pro Advocato in perdita causa? *Chrysaorius*. Mihi lubentes serviunt. Sed optimus est Magister Usus, homo audax, clamosus, perspicax, & ex tempore eloquens. Advocabo. *Amasius*. Nihil est opus vocare. Invitavi; promisit venturum se ad nostra bacchanalia, & certo aderit. *Incurius*. Respiro. Magister Usus vir est, cujus vel aspectus partem adversam franget. Certo veniet? *Amasius*. Certo. Bacchanalium morem ipse instituit, & non approbabit præsentia? *Incurius*. Optime. Sed vos cito larvas resumite: non licet sic aperte incedere! non licet sic: non licet. *Omnes tres*. Quod cupis, facimus.

SCENA SECUNDA.

Incurius, Stertinius, Magister Usus, revera Abusus.

Incurius. TU bone Stertini astu aliquo id effice, ut Vigilius ad me veniat. Si renuit, prodit se esse infestum mihi: si venit, tu vices Janitoris age, nec redde claves ante, quam aut per fugam, aut per sententiam faventem securus periculi sim. Gratum habebis pro beneficio, quamquam beneficium merear vel a præteritis beneficiis, quæ præstiti. Meministi, spero, quoties horam, unam, duas, tres, supra numerum, quem Herus scripserat, tibi dederim? *Stertinius*. Nihil memora: memoria est: totus tibi ab obsequiis sum. Væ Stertinio, si alius ab Incurio œconomus foret! Io! in quem incido! Amice, Magister Usus ingreditur. *Incurius*. O salve anchora spei meæ! Tu perge ad portam. Fluctuantem in turbido mari navem Magister in littus dirige. Reus agor œconomiæ male administratæ. *Magister Usus*. Scio. *Incurius*. Speciem facti narrare sine. *Magister*. Scio. Totam narravit Vigilius. *Incurius*. Vigilius? *Magister*. Rogavit, ut advocatum

age-

agerem vobis. *Incurius*. Eja! Putabam inimicum esse hominem mihi. Et acceptas patrocinium? *Magister*. Libenter, si porro promittis fidem, & omnia ex Usus præscripto agere. *Incurius*. Promitto. *Magister*. Ubi sunt, qui tecum aguntur rei? *Incurius*. Abdiderunt se omnes, nisi quos Conscientius protraxit ex latebris, & conjecit in carcerem ad examen trahendos. Sed ego fugio! Herus intrat.

SCENA TERTIA.

Suspirius. Discretius. Magister Abusus.

Suspirius. HEu! Quam sero in tot rapinarum notitiam venio! *Discretius*. Vel sero juvat. *Suspirius*. Modo Conscientius in ferenda adversum reos sententia non trahat moram. Punire certum est scelestissimos fures, & a funesta labe purgare familiam. *Discretius*. Gaudeo, tandem detectos esse. Nunc vide, ne sis mollior. Quod cuique supplicium sua sententia Conscientius determinaverit, cave, tu mitiges, si mitem tibi vis Dominum reddere, cui reddenda est ratio expensarum. Quo magis tu eris iratus tuis, eo erit ille placatior tibi. *Suspirius*. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, & ventura ira! Ah! Cur non citius monuisti me tantum periculum! *Discretius*. Volebam pridem: nunquam admissus sum ad alloquium. Quoties pulsavi januam, responsum est: Herus non vacat modo. Semel Conscientius audivit clamantem, cum a porta abesset Vigilius: ille admisit denique. Quodsi non inutilis videor, defero famulatum. Pelle Incurium: mihi curam œconomiæ committe: modo, quo optimo fieri potest, redimam tempus perditum, & factam jacturam sarciam. *Suspirius*. O si fieri possit! *Magister Abusus*. Quousque audio? Domine! *Suspirius*. O

O salve, Magister optime! Tuis jam est maxime consiliis opus in hac miseria, quæ me premit. *Magister Abusus.* Desine querelarum in isto tempore. Nam quis est hic usus novus flere, gemere, suspiriis auram inficere, cum omnes gentes hilaria vivunt? Veneram, ut pro more meo bacchanalia tecum agerem, quoniam sciebam, huc usque me tibi fuisse charum: sed domum ingressus, nescio, quod malum metuere incipio: ita ubique tristes occurrunt, & tetræ facies, solitudo, silentium, mœror. *Suspirius.* Quid possem aliter in tanta perfidia domesticorum? Ah! Nescis! *Magister Abusus.* Ego jam omnia scio. Horas quidem furati sunt tibi, dissimulante Incurio: grande crimen! dignum, quod iste Locutulejus tanto hiatu amplificet. *Discretius.* Parce convitiis. Non sum is, qui audire non velit, si excusari crimen aliquo modo possit. Nondum damnati sunt Fures: si sit, qui causam suscipiat, ipse suadeo, ut audias, Domine, ut possis ferre sententiam æquitati ac prudentiæ consentaneam magis. Præterea mihi de te, Magister, tanta existimatio est, quod sciam, Prudentio parenti meo te in pretio esse, ut nolim probare, quod improbas tu, meque & adversus Patrem, & adversus me ipsum peccaturum opiner, si me tibi opponerem. *Magister.* Sapis, Discreti. Certe hucusque ita Magisterio functus sum, ut me passim regna & provinciæ expectent. Itaque ut veniamus ad causam, mihi, quod sæpe monere te volui, Conscientius frater tuus, Suspiri, homo atrabiliarius videtur, & nimium phantasiæ obnoxius: & solent ejusmodi muscam pro elephanto, culicem pro camelo habere. Tu quod Usus probat, a tuo Principe improbari ne crede. Thesauri administratorem te ipse constituit: quas leges administrationis præscripsit? Non alias utique, nisi quas gentes omnes sequuntur. Quæ vero est gens, quæ non vivit ex usu? Ego omnibus legum interpres sum,

me

lupe. Vale. *Conscientius*. Qui convivere Conscientio non potest, bonus non est. *Suspirius*. Cessa mordere canis! Mane hospes: tuis mihi consiliis opus est. *Magister*. Tu istum audis; quid frustra loquar? *Suspirius*. Non audiam: mane. Frater, jam inquisitum est satis. Donec Discretius a mortuis redeat, silentium tenere te velim. *Conscientius*. Hem! Imperium dignum Suspirio! *Negotius*. Et quid audivi? Donec Discretius a mortuis redeat? Num occisus est igitur? *Conscientius*. Abripuit se. Quid cogitem? Quæ subita mutatio est. *Negotius*. Atrocia suspicor. Iste novus hospes turbaverit bona consilia. *Conscientius*. Superi! Quæ levitas hominis! Primum inquirere in fures jussit: inquisivi, inveni, teneo: nunc cum esset pronuntianda in reos sententia, ne audior quidem. Quid? Innocentes forte detulisti ad me, aut acrius, quam merebantur, accusâsti? *Negotius*. Imo lenissime. Nam dici paucis non potest, quantum Stertinius temporis perdiderit nihil agendo: Quantum Gastrimargus, Garrilius, Ludio, inutilia agendo, & Aërius, Chrysaorius, Amasius etiam mala agendo. Ita profusus thesaurus est in frugiperdas: Negotius quantillam ex eo partem accepit? *Conscientius*. Tres ultimi comprehensi nondum sunt. Ubi latitant? *Negotius*. Semper larvati incedunt, ne facile agnoscantur a te. Aërius architectum refert, qui arces in aëre fabricat, & in ponendo super prostratos æmulos fundamento laborat. Chrysaorius Chymista est, tempus omne in eliquandum ex distillato humano sanguine aurum expendens. Amasius venator Damarum in omni saltu famosus. *Conscientius*. Unde tu hæc omnia? *Negotius*. Garrilius prodidit. *Conscientius*. Et tales non novit Suspirius? *Negotius*. Mutarunt nomina cum vestitu. Aërius magnanimum se vocat, Chrysaorius providum, Amasius urbanum. Ita amici putantur, qui pessimi fures sunt. *Conscientius*. Heu! Detexisti fraudem, qua & ipse deceptus sum. Nunc novi,

quos

margus. Sic est moris. *Magister.* Garrilius mihi sit comes. Animemus chorum, & quod felix, faustumque sit, Deæ Libertati Bacchanalia festa sacremus! *Omnes.* Sic est moris. *Conscientius.* O scelesti! O frater! *Magister.* Opprime os, crude! *Negotius.* Hiccine sit Magister Usus? *Magister.* Præcine! *Conscientius.* Impii! Quæ est ista conjunctio! *Magister.* Non silebis? *Conscientius.* Miseri! Ista libertas est turpissima servitus. . . Heu! Pretiosas horas immolatis idolo! . . Tempus datum est, o Suspiri. . . Tempus datum est ad obtinendam veniam. . . Ad exorandam gratiam. . . Ad promerendam gloriam! . . . Ah! Veniet tempus, cum horam optabis tibi! . . Suspiri, reddes rationem! . . . Nihil te movet instantis mortis necessitas! . . Nihil Judicis Dei severitas! . . Nihil inferni horror! . . Nihil infelix æternitas! . . (Quo me rapitis? *Negotius.* Quo me protruditis? *Vigilius.* Clausa est janua! redi post bacchanalia!

SALTUS CUM CANTU.

1.

Garrilius Canit. O salve! Salve Dea!
Libertas aurea!
O salve vita mea!
Vita suavissima.
In te est omnis spes:
Nil curo reliquorum
Vocabula Deorum:
Tu sola Dea es.

Repetit Chorus saltantium.

2.

Non sumus servi nati,
Non ut mancipia!
Litemus libertati
Cum horis tempora!

Est

SCENA SEXTA.

Negotius. Discretius. Magister Usus verus.

Negotius. Indignor! Nam quis est iste Magister Usus, qui excluso Negotio, utut urgeat, utut premat, tempus omne nugis, & vitiis dandum docet? Conscientium rapuerunt secum: Quid illi facient? Timeo perempturos, quod malum etiam Discretio contigit, nisi vehementer me fallo. Audivi enim horrida verba: silentium tenere te velim, ajebat Suspirius Conscientio, donec Discretius a mortuis redeat. *Discretius.* Audivi nomen meum! Negotium video! securus intro! *Negotius.* Jo! Ut me reficit hic occursus! Num a mortuis redis? *Discretius.* Sane a mortuis: nam in bibliotheca inter libros detinui me, ut viderem, rectene doceret Magister Usus, qui suasit Suspirio, ut mitius cum furibus ageret. *Negotius.* Quis est, quem huc adducis? *Discretius.* Non nosti tu? Scilicet squallor & deformatio corruperunt faciem viri olim familiarissimi tibi, cum solebant homines plus temporis dare negotiis seriis, qnam nugis. *Negotius.* Appella nomen. *Discretius.* Hic verus Magister Usus est, falsus alter, deceptor Abusus. *Negotius.* Hoc suspicabar. Nam non credis Discreti, quæ absurda ego hoc momento hisce oculis vidi. Pseudo-Magistro hoc auctore, fures horarum omnes innocentes pronuntiavit Suspirius: reclamanti Conscientio obstructæ sunt fauces, & intus rapto metuo pejora: ego ejectus ex ædibus sum: omnia tumultu fervent sacrificantium libertati. *Discretius.* Pro! quæ dedecora narras! Et quid ad ista Suspirius? *Negotius.* Assidet spectator, parum hilaris tamen, nisi quod interdum labia in coactum risum diducat. Credo, in tacita Suspiria sæpius rumpi cor, & vellet obsistere, si auderet: sed jam nimis amplum imperium Usus habet. *Magister Usus.* Abusum voca! Ego sum Usus.

Uſus. *Negotius*. Obſecro, quis te caſus abſtulit nobis, & ignorantibus Sycophantam ſubſtituit? *Magiſter Uſus*. Non Caſus, ſed ſcelus abſtulit. Dudum ambivit Magiſterium meum Abuſus, quod videbat toti orbi venerabile eſſe. Quid multa? Concitat adverſum me turmam cupiditatum: conjuratur: ſtruuntur inſidiæ: obruor in bibliotheca, ubi antiquorum Patrum & Doctorum ſententias pro firmanda, quam tradebam, doctrina, ſolebam excerpere: obruor, inquam, in bibliotheca, & ſub ipſis libris ſepultus, relinquor pro mortuo. *Diſcretius*. Ego ingreſſus, cum mihi novus Doctor in primo alloquio ſuſpectus eſſet, & ego cogitarem mecum: nunquam ſic locutus eſt Uſus: quid ſi, ut fit in bacchanaliis, iſte larvatus incedat, & Uſum mentiatur? Accipio corpus juris; inquiro, quanta auctoritas tribuenda ſit Uſui: an bona ſit hæc argumentatio: ſic moris eſt, ergo honeſtum eſt: invenio capitulo, ſi conſuetudinem, diſtinctione octava, hæc verba: quælibet conſuetudo quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omnino eſt poſtponenda, & Uſus, qui veritati eſt contrarius, abolendus eſt. Deinde capitulo fruſtra, lego textum S. Auguſtini: fruſtra, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt, quaſi conſuetudo major ſit veritate. Ita diſputo mecum, an quæ ex Abuſu audieram, ſint rationi, ſint veritati congrua: cum audio gemitum ex angulo, in quo acervus jacebat codicum vetuſtorum. *Uſus*. Audieram Diſcretii vocem, & opem rogabam. *Diſcretius*. Accedo, & extraho ſemi-vivum, & pulveribus obſitum. Mox recreatum fomentis, & bona ſpe, jubeo ad Suſpirium ire. Queſturus de injuria adeſt. *Uſus*. Sed jam, ſi bene audivi te, locum æmulus tenet: fruſtra querar. *Negotius*. Miſeret me miſerrimæ ſortis. Suadeo tamen, ut ſiſtas te Suſpirio, nam nec Conſcientius deſerendus eſt nobis, nec ille eſt vir, qui patienter ferat illuſum ſibi a perſonato Mangone eſſe. *Diſcretius*. Tentemus, qua via acceſſus pateat. *Uſus*. Diſcretium ſequor.

MUSICA.

Ostenditur, solum Usum temporis præsentis esse laudabilem

* *Personæ priores. Senex, Juvenis.*

Genius Prudentiæ. Ad scholam redeo. Quid didicistis? Explico, quæ audiistis.

1.

Hic actus est Prudentiæ,
Præterita perpendere,
Prospicere futura:
Ex his præmissis congruam
Formare consequentiam,
Hæc mea est natura.

2.

Quam bona desideria,
Quam seria proposita,
Audistis hos narrâsse?
Futura iste tempora,
Hic ambiit præterita:
Quem creditis errâsse?

3.

Ah! Ambo, ambo misere
Quo non putarunt tempore
Se ipsos deceperunt!
Cum suis desideriis
Cum optimis propositis
Uterque perierunt.

4.

Si sapitis, concludite,
Quam nihil prosit dicere:
Si essem, aut cum ero.
Infernus hæc proposita,
Hæc ridet desideria:
Si essem, aut cum ero.

5.

Præsenti ergo tempore
Nunc uti, hoc est sapere,
Hoc est in potestate.
Præteritum præteriit,
Futurum fors non aderit:
Nunc tempus est: notate.

6.

Nunc ergo vive juvenis,
Quo modo, cum senueris,
Optabis te vixisse.
Et vos o senes vivite,
Ut juvenes promittunt se
Victuros olim esse.

* Exhibentur Juvenis & Senex in tumbis.

PARS

tentâsti. *Suspirius.* Obmutuit ad tuum conspectum. Quod supplicium placet? *Discretius.* Morte multari meruit: sed ne quid turbetur a multitudine discipulorum, quos seduxit deceptor, præplacet infamiæ pœna. Cum suspendentur, quos ipse defendit, cogatur spectator assistere, privetur insignibus Magisterii, & in Utopiam cum Incurio relegetur. *Conscientius.* Justa sententia est. *Suspirius.* Probo. Ad executionem procedite. *Conscientius.* Sed quid? Impunem, frater, Negotium sines? *Negotius.* Hem! Quid ego commereor? *Conscientius.* Non es fur aliis minor, licet honestiore titulo furtum contexeris vafer. Non expendit iste pretiosas horas male agendo, aut nihil agendo: at expendit inutilia agendo. Nam quid ista, quæ tu grandia negotia, quæ gravissima, quæ urgentia vocabas, prosunt ad vitam æternam? Evisceràsti te, ut aranea, susceptis pro Principe, pro republica, pro familia multis, magnis, diuturnis laboribus: sed, repeto, quid hæc omnia ad vitam æternam, postquam propter hæc omne tempus abstulisti Conscientio; &, ne alios negligeres, neglexisti te ipsum? Æque plectendi sunt, & qui nihil agendo tempus perdunt, & qui nimium agendo, tempus animæ auferunt. *Discretius.* Peccatum est. Mea sententia, ut nunc denique negotium utile facere discat, cogatur partes apparitoris suscipere, & reos ex trabe suspendere! *Negotius.* Discretius es: subjicio me pœnæ lubens. Utinam liceat mihi omnes suspendere! *Suspirius.* Rem agite! Ego interea deplorabo stultitiam meam, & tot annorum irreparabilem jacturam flebo. Vigilius Incurium ducat ad me. *Vigilius.* Confestim. *Omnes.* Agemus ad tuum solatium.

SCENA SECUNDA.

Accedunt Stertinius. Gastrimargus. Ludio. Garrilius.

Stertinius. Absolvimus imperatum laborem. En ligna. *Garrilius.* Mea vita non sic sudavi. *Ludio.* Nec ego unquam ita serius fui. *Garrilius.* Non erit autem clementiæ

locus.

locus, Domini mei! Pendebunt miseri? *Conscientius.* Pendebunt. Erigite furcam. Tu istum Magisterii affectati insignibus exue! *Usus.* Hic meus est pileus, meus annulus, meum pallium. Hem! Ut jam prostat nuda cornicula! *Abusus.* Nunquid etiam hæc folia tua sunt? *Usus.* Imo hæc sola sunt tua. Vide, quæ dogmata! De educatione liberorum ex more hodierno: de methodo studendi ad speciem: de externa devotione: de conversatione promiscua: de moderata cura officii: de studio placendi. *Conscientius.* Præcepta digna Carnificis manu! Crema. *Negotius.* Videant hanc lucem oculi, quos excæcasti! *Discretius.* Ego hominem novis vestimentis ornabo, ne cui ignotus sit. Hic pileus huic capiti quadrat: hoc pallium hi humeri ferant: hoc testimonium sapientiæ habe. *Usus.* Intelligant, qui te audiunt, quem Magistrum audiant. *Conscientius.* Stolidum lego, quia pecorum est ex usu vivere, hominum ad rationem: fallacem invenio, quod ducas deorsum, & nequitiam pallio civili obtegas: impium insuper, & qui effata sua pluris doceat habenda esse, quam præcepta Dei. *Usus.* Præclara testimonia, & digna Doctore, qui in Cathedra pestilentiæ sedeat! *Garritius.* Perfuncti nostro labore sumus. Stat patibulum: superest, ut suum jam Negotius negotium agat. *Negotius.* Agam strenue: nullum tota vita utilius, nullum honestius opus feci. Producite reos! *Conscientius.* Aperiatur carcer! Producite! *Omnes.* Terrificum theatrum! *Conscientius.* Congruum spectaculo, quod Deus, Angeli, & Homines cum gaudio videant.

SCENA TERTIA.

Accedunt Amasius. Aërius. Chrysaorius. Incurius.

Amasius. Ergo moriendum est! *Discretius.* Moriendum scelesti, & in hoc quidem habitu, quem studiose semper voluistis occultum esse. *Aërius.* Moriendum! *Usus.* Moriendum utique iis est, qui id agunt unice, ut morte æterna omnes interficiant. *Chrysaorius.* Moriendum! *Conscientius.* Moriendum omnino! Age lictor! Ab Aërio incipe. *Negotius.* Ascen-

dere tibi nos gradus jubeat; quod cupiuit semper, hoc præstabo hodie: ambulabis in mirabilibus supra te, & infra te omnes despicies. *Aërius.* Quid agis, Magister? sic moris est agere cum viro magnanimo? Hoc tu crimen putas Velle excellere? *Conscientius.* Abripe! *Discretius.* Excellere in bono velle, non est crimen: excellere in vitiis velle, aut evadere per scelera ad honores, crimen est. *Usus.* Et in hunc finem omne tempus furari, hoc est crimen. *Negotius.* Tale Cœlum talem Jupiterem decet. Morere! *Aërius.* Non est gratia? Heu! *Negotius.* Morere! *Chrysaorius.* At ego tibi, quantum vis, Conscienti, pecuniæ acervum fundam, si saltem mortis supplicium in pœnam exilii mutas. *Conscientius.* Pecunia tua tecum sit in perditionem: Abripe! *Chrysaorius.* Quod enim scelus est, esse providum? *Discretius.* Esse providum virtus est. Esse prodigum temporis, & aureas horas pro argenteis nummis contra jus & fas corradendis expendere, hoc est scelus. *Chrysaorius.* Et tu non agis mitius? Heu me! *Negotius.* Morere! *Amasius.* At mihi parcetis saltem? Nam quid peccavit urbanitas? *Conscientius.* Effrons! nemo est reus magis. Abripe! *Usus.* Furandi artem nemo delicatius calluit. *Discretius.* Per jocum rapuit omnia, tempus, honorem, fortunas, animam. *Amasius.* Eheu! *Negotius.* Morere! *Omnes.* Justum supplicium est. *Negotius.* Nunquid belle functus officio sum? *Conscientius.* Fecisti satis. At tu importune te infers, Oeconome! Vide, quam tecum clementer actum sit. Jam cito has ædes purga! Vos quibus est parcitum hactenus, Suspirio genu flectite, & fidem jurate novam. Huc intro omnes. Tu ordina familiam ex usu tuo. Ite scelesti, qua sua quemque Rhamnusis rapit. *Usus.* In ultimam Thulen. *Discretius.* In Utopiam, unde venistis, ite. *Omnes.* In Utopiam ite. *Incurius.* Magister! Quid tibi est animi? *Abusus.* Feralis dies! Nunquam tantum malum contigit mihi! Exul ab hac familia æternum sim! *Incurius.* Sævum spectaculum! *Chrysaorius.* * Abierunt. Obiistis fratres? *Incurius. Abusus.* Hem! Quod monstrum est? *Aërius.* Ego vivo! *Amasius.* Ego maxime. *Chrysaorius.* Quid statis stupidi? juvate nos! *Incurius. Abusus.* Vivitis ergo? O beati fures! cito! cito! *Chrysaorius.* Imperitus hujus artis carnifex fuit: hæc nostra feli-

* Ex patibulo loquitur.

felicitas est. *Aërius*. *Amasius*. Jo! salvi sumus. Quid facimus? *Chrysaorius*. Scilicet deliberandi est tempus? Fugimus, ne altera vice artificiosius suspendamur. *Incurius*. Nobiscum fugite. In Utopiam imus. *Abusus*. Gratulor mihi comitatum. Per vos spes est, fieri posse, ut paulo post huc redeam. *Omnes*. In utopiam imus. *Incurius*. Cito. Nam audio pedum strepitum.

SCENA QUARTA.

Suspirius. Conscientius. Magister Usus. Discretius. Negotius. Gastrimargus. Ludio. Garrilius. Stertinius. Vigilius.

Suspirius. Gaudeo, si statis promissis, & ego obsequentem posthac familiam habeo. Discretium posthac œconomum scite: tibi comendo thesauri, quantulus cunque reliquus est, solertem curam. *Discretius*. Habeo omnem. *Suspirius*. Ex eo Conscientio horas, quot petet, dabis: famulitio, non nisi quot necessarias habet. *Omnes*. Æqua ordinatio. *Usus*. Sed nondum distincta satis: neque, ut, quod est perditum tempus, possit redimi, sufficiens adhuc. *Suspirius*. O si præteriti temporis, quod aut nihil, aut inutilia, aut male agendo periit, posset recuperari: nihil est, quod nolim facere. *Conscientius*. Consilium nôsti? *Usus*. Si aures faventes habeo. *Suspirius*. Sine, ut oculos prius spectaculo jucundo pascam. Quid hoc? *Omnes*. Hem! Quid hoc? *Suspirius*. Non illuditis mihi? *Conscientius*. Prô frater! Frater! Hoc Negotii scelus est. Mentiar, nisi finxerit se suspendere hypocrita, aut certe negligenter, ac sine cura suspenderit. Quidquid sit, colludit: ipse pendeat! *Negotius*. Accusor insons Here! Nam certe credidi, suffocatos expirasse. Et quis scit, an non cadavera Abusus tulerit? *Suspirius*. Suspectus es. Amicum fuisse furibus: multa pro Amasio, multa pro Chrysaorio, multa pro Aërio suscepisse negotia: & ambitionis, lucri, amorum causa laboràsse, negare non potes: pronum est suspicari, nunc studiose pepercisse. *Negotius*. Atqui nunc hostis eram, cum cognovi, illos tempus mihi per te concessum, etiam ipsum furatos esse. Si suspicio reos facit, quis erit iñocens? *Vigilius*. Hei! quod malum nuntio! Cum Incurio & Abusu effugerunt fures, quos suspendi jusseras Here! *Suspirius*. Hem! Ut fideles famulos habeo! *Conscientius*.

solus poteram? Dimisi Incuriũ, ut ipse jusseras: cum repente illi prorumpunt ex latebris, & me frustra obnixo evadũt. *Conscientius*. Malum pessimũ. Quis retrahat? *Discretius*. Purgarunt domum: fugiant! *Usus*. Cum Discretio sentio: non est supplicium de vitiis sumendum cum strepitu. Expulsa, cavete, ne reditum inveniant, hoc est satis. *Conscientius*. Utinam dum vivunt, caveri malum hoc satis possit! Sed infida familia est: blanditiis, promissis, munusculis capiuntur serviles animæ! Omnes ejice! *Discretius*. Nimis es rigidus. Suspiri, homo es: non potes vivere sine istis: hoc agendũ, ut vivas bene cum istis. *Suspirius*. Abscedite! discutienda est causa vestra penitus, & mihi redigendi in Ordinẽ estis. Ah! ut fecissem pridem! Nunc si inciperem vivere, quam aliter viverem! *Usus*. Vel nunc incipe. Mihi triduũ postulo: & ita ordinabo familiã, ut non modo facta furta compensent, sed & cum fœnore reddant. *Suspirius*. Quid enim ages in triduo? Nam grande promissum est. *Usus*. Ex usu Sanctorum docebo te, quid debeat homini pio, & pro salute sua discrete sollicito in usu esse. Paravi cubiculum: huc te include: * Ecce aperui sapientiæ scholã, in qua discas perditũ tempus redimere. Dedisti corpori, dedisti ludis, conviviis, somno, nugis multos dies: dedisti multos negotiis vanis, inutilibus, nihil juvantibus animam: dedisti ipsis adeo vitiis multos dies: age, da jam animæ paucos dies: da virtuti, da Cælo, da Deo tuo paucos dies: da triduũ in solitudine, & disces redimere omnes perditos dies. Quid hæres? Non suadeo consiliũ bonum, jucundum, facile, sapiens? *Discretius*. Optimũ, prudentissimum. Nihil potest improbare Discretius. *Conscientius*. Nihil magis optat Conscientius. Juvat, frater, hoc triduum, ut deploremus tempus præteritum, ordinemus præsens, disponamus futurum. Ingredere. *Suspirius*. Agnosco amicos: ingredior. Magister, dirige: trado me tibi, doce. Audiat Suspirium Deus, & per te doceat, quid me oporteat facere, ut redimam tempus perditum, nec novam jacturam faciam. Væ mihi, si nunc veniret mors ut fur in nocte, & totum tempus raperet simul! Quæ me exciperet tristis æternitas! Ah! Inducias, Domine, inducias per triduũ saltem. Multa debeo, sed habe patientiam, & omnia reddam tibi. *Omnes*. Audi Suspirium Deus!

TO-

* Specus Manresana.

TOBIAS & SARA
SIVE
NUPTIÆ
ANGELO PARANYMPHO
AUSPICATÆ
DRAMA MUSICUM
SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
MAXIMILIANO
JOSEPHO
S.R.I. Electori Archi-Dapifero &c. &c.
ET
MARIÆ ANNÆ,
Regiæ Principi Saxonico-Polonicæ &c.
Utriusque Bavariæ, & Superioris Palatinatus Ducibus
Comitibus Palatinis Rheni, Landgraviis Leuchtenbergæ &c. &c.
NEO-SPONSIS
Devotissime dicatum
A
COLLEGIO SOCIETATIS JESU MONACENSI
ANNO MDCCXLVII.

ARGUMENTUM



Nter auſpicatas nuptias in ſacris litteris celebres illæ ſingularem voluptatem in animis legentium excitant, quas Angelus Raphaël inter Tobiam & Saram a pluribus Procis fruſtra concupitam (de quibus ipſa Sara *Tob.* 3. ſic loquitur DEO : *Illi forſitan me non fuerunt digni, quia forſitan viro alii conſervaſti me*!) optatiſſimus Paranymphus conſtituit. Hiſtoria nota eſt : felicitati *figurantium* ut par ſit felicitas *figuratorum* & devotiſſime precamur ; & ex pari, hoc eſt, ferventiſſimo cultu Religionis erga DEUM (quæ omnium bonorum fons eſt) ita firmiter ominamur, ut in hoc Dramatio *Prophetas* nos agere potius, quam *Poëtas* nobis perſuadeamus.

PERSONÆ.

Tobias
Saaa } *Uterque ex tribu Nephtali.*
Raphaël ſub nomine Azariæ.
Raguel Saræ Pater.
Anna Saræ Mater.
Anaël Tobiæ Patruus.
Achior Anaëlis Filius.
Gabelus Tobiæ & Raguelis tribulis.
Axa Filia Gabeli, Sponſa Achioris.

PRO-

PROLOGUS.

Bavaria. Hymenæus. Saturnus. Chorus.

Bavaria. QUid agimus? Lethargo pessimo
Oppressus est *aureus Senecio!* . . *
Eja Socii! Cum tumultu majore
Bellica repetite carmina!
Forte, quem non excitârunt tubarum clangores,
Expergefacient tormentorum fragores.

CHORUS.

Æra fera intonate,
Bombos bombis acervate:
Ter, quaterque repercussio
Reboate fremitu!
Tellus a mugitu tremat!
Fluctus fluctum fluctu premat!
Instar maris, decumano,
Furat Aër strepitu!

Hymen. ** Quid audio? Quid video, quid moliris, Domina?
Tua consilia sacræ Diphteræ placitis non sunt conformia.
Somnus, quem dormit felicium.
Saturnus Præses temporum
Est somnus immissus divinitus,
Quem non excutiet Musica Martialis;
Excutiet Maritalis.

Bavar. Afflictam, Hymen, recreas amabili nuntio;
Eja explica: quo gaudes gaudio?

Hymen.

* Theatrum exhibet castra, & Saxum, cui incumbens Saturnus dormit. ** Descendens ex nubibus in petram.

Hymen. In emblemate exhibeo.
Quam olim tribus Nephtali Paranympho Raphaëli
Felicitatem debuit?
Tu debes Michaëli. *
Ego jussus sum Deo temporum imperare theatrum
Jucundissimis accomodum auspiciis.
Surge senecio! Jubet Thalassio.

ARIA.

Thalassio! Thalassio
Divinæ Providentiæ
Amabili consilio
Indulgens se Bavariæ
Te jubet surgere:
Surge!
Et mihi junge te!

2.

Amores amant ludere,
Non tamen inter funera
Ingemiscentis Patriæ:
Da scenas, per quas aurea
Signentur sæcula!
Plausum
Non habent rudera.

Saturnus. Thalassio! Thalassio! Amicam vocem audio! . . .
Et o quem te video!
Hymen. Inania, Senex auree, omittamus officia:
Divina aliud urgent imperia.

Satur-

* In templo S. Michaëlis Serenissimis Neo-Sponsis Eminentissimus & Serenissimus S. R. E. Cardinalis de Bavaria benedixit.

ARIA.

Mulier bona magnum bonum,
Unde *Vir beatus* fit, Eccl. 26.
Cœli te amantis donum,
Quo vix ullum majus fit!
Mulier viri est Corona, Prov. 12.
Deus offert: accipe!
Leve onus, ſuave *bona*
Jugum fit a conjuge.

Tobias. O Sancta Providentia!
Per auſpicatas nuptias
Tobiæ ſemper tibi fidelis
Afflictam domum recrea.

Angelus. Confide: nubilam tempeſtatem
Luce Sereniſſima Phæbus diſſipabit:
Ipſam cum Sara duces felicitatem.
Sed ecce! prodit: condimur!
Tu Virginem contemplare:
Intelliges, quam merito præ aliis
Te juſſerim Saram amare.

SCENA SECUNDA.

Sara. Axa.

Sara. AXa, flere deſine! *Non erit meus Achior*:
Eſt, crede mihi, alius,
Cui a Cœlo deſtinor.

Axa. Sara, illudis miſeræ:
Nam quid loquitur hæc pompa veſtium,
Niſi quod hodie futuræ ſint nuptiæ
Mihi injuriæ?
Mihi *ante te* deſponſavit ſe Achior!

Sara

Angelus. Curarum desine: tua est Sara, si placuit:
Mea hæc cura sit.
Tobias. Enimvero placuit.
Cor primus aspectus rapuit:
Deinde *animum* prudentia sermonis tenuit:
Postremo mentis ab uno Deo pendentis *Religio*,
Facilisque gravitas, & gravis facilitas
Tobiam totum Saræ asseruit.
O velit Dominus,
Ut tua assertio, & Virginis somnia
Sint oracula.

ARIOSE.

Cor hactenus nullos expertum amores
Insolitos quare nunc sentit ardores?
Uror! sed blande.
Uror! Et unde sunt flammæ amandæ? ....
O Cœlum, si non sunt a te,
Extingue in me!

Angelus. Placet protestatio:
Talibus demum amoribus a Deo est benedictio.
Sed ecce Raguel!

SCENA QUARTA.

Raguel. Tobias. Angelus. Anna. Sara.

Raguel. Salvete chari hospites! Opportuni venitis. Intrate,
Et vestra præsentia futuras hodie
Nuptias filiæ ornate!
Angelus. Benedicat tibi, & tuæ Domui Deus Israël,
Optime Raguel!
Tobias. Et quæ paratis, gaudia
Jubeat esse perpetua. Meretur filia!

Raguel.

Raguel. Sed unde eſtis boni juvenes, & quo pergitis!
Tobias. Sumus ex captivis Ninive de tribu Nephthali,
Et eſt in Rages aliquid cum Gabelo negotii.
Anna. Labori licebit parcere:
Cognatum advocabimus.
Jamque Cameli ſtrati,
Et ſervi, qui adducant, ſunt deſignati.
Aderit propere.
Tobias. Gabelus aderit? Juvat occurrere,
Et antequam huc veniat, res Patris agere.
Angelus. Imo, ne videamur contemnere oblatum hoſpitium,
Cede chirographum.
Te juvat hic quieſcere.
Ego ſolus cum ſervis abibo,
Et celeriter confecto negotio
Cum Gabelo redibo.
Raguel. Optimum conſilium. Venite,
Iter expedite.

SCENA QUINTA.

Axa. Anna. Sara.

Anna. ET tu, Axa, quo properas?
Axa. Quas patior, Cœlo queror injurias.
Fœdifragus Achior inter hymnos & cantica,
(Ne ſine pompa luce deridear)
Feſtinat in Saræ brachia.
Vidi tumultuantium turmam paſtorum! ....
Vah! non poteratis ſaltem publicas
Prohibere Hymenæi delicias,
Donec ad Gabelum Axa rediiſſet

Suo immolatura dolori *solitarias* lacrymas?
Ad *solemne* ludibrium
Misera servata sum!

A R I A.

Sic livor, sic casto insultat amori! ..
Et cogeris Cœlum servire livori!
Mea injuria
Tua in Curia
Fuisse sancita narratur.
Sic improbus amor jocatur!
Nec vindicas te?
Infelix! jam proxime littus radebam,
Jam pæne amplexu fortunam stringebam,
Cum ab Invidia
Rnmpitur anchora!
Repellor in medium mare! ....
Tristitia vitæ amaræ
Deglutiet me!

Anna. Intemperanti, Axa, dolori impera!
Parendum est legi Domini.
Solatium merebitur hilaris obedientia.

Sara. Imo, da veniam Mater!
Axam ego solabor.
Eja! jure, quo meus est Achior,
Liceat me abdicare.
Peregrinum juvenem, quem Pater excepit hospitio,
Cœlum me jubet amare.

Anna. Filia! quid ego audio?

Sara. Quod hodie per somnium
Tibi narrare jussa sum.
Viatorem juvenem ex Tigri fluvio,
Cum pedes lavaret, irruens immanis piscis devorasset,
Nisi

Wen sihe ich? * Der Satan oder Zwitrachts Geist.
Komm Bruder, kom herein, wir sind allein:
Komm, laß uns lustig seyn. * * Saltant.
Holla! Geschwind,
Daß mich die Frau des Garten nicht find. *Aufugiunt.*

Religio. Wer da? Ey! Es war Asmodæus,
Ich kenn den Vogel am Gesang!
Er ist, glaub mir, mein Kind,
Der aus dem irrdischen Paradeiß,
So ich für dich hier hab geschaffen,
Ein Jammerthal zu machen weiß.
Aber komm, und bleibe bey mir:
Der Feind soll unterligen dir.

Amor conjug. In Liebe zur Gottseeligkeit
Find ich meine Seeligkeit.

PARS II.

SCENA PRIMA.

Anaël. Achior. Raguel. Axa.

Achior. NOn decepit nos Axa, Pater. Ludimur.
Juvenis peregrinus meos sibi amores rapuit!
Sed bene fit: pœna Talionis plectimur.
Ego Axam, me Sara deseruit.

Axa. Bene fit! Bene fit!

DUETTO.

Achior. Sic ego ad risum producor in scenam!
Axa. Das mihi, sceleste, perfidiæ pœnam!
Achior. Sponsus theatricus exhibet se!
Axa. Justus es Domine: vindicas me!
Applaude Spectator formoso Actori!
Chorago præ primis hic placet Amori,
Per quem comœdiam nobilem det,
LEVITAS PLEXA, cui titulus stet.

Raguel.

Raguel. Achior, cessa plangere! Axa, cessa insultare!
Filii Sanctorum sumus, Tob. 2.
Quibus amoris regula
Hæc debet esse unica:
Amemus, quem vel quam Deus jubet amare.
Anaël. Sed, quid Deus jubeat, non possumus somniare.
Raguel. Sæpe per somnia locutus est Dominus:
Habete patientiam: necesse est examinare.
Raguel. Potest Legislator, & forsitan statuit dispensare. (abit.)
Anaël. Atqui Lex pro me loquitur clare!
Achior. Ego, Pater! Per hanc contumeliam
Cessasse autumo legis obedientiam.
Si per te licet, Saram desero,
Ad Axam redeo.
Axa. Ego vero nolo conjungere me *viro lunatico.* (abit.)

SCENA SECUNDA.

Anaël. Achior.

Anaël. FIli, tua hoc convitium meretur impatientia.
Nam cur brevis tibi adeo molesta sit morula?
Vir probus & prudens est Raguel:
Quam tibi promisit Sponsam, non auferet,
Nisi Deus imperet:
Et Dei sententiæ
Nos decet acquiescere.
Achior. Cum ipso Rivali juvene rem juvat agere.
Anael. Quo ruis improvide?
Compone animum!
Intemperans affectio non suggerit bonum consilium.
Ego sapientius tuum agam negotium. (abit.)

Achior. Male sit amoribus desultoriis!
Feliciter amavissem,
Si amare *unam*, quam *duas* maluissem.

ARIA.

Est amor cordis adamas
Ingentis pretii:
Si dones, & mox repetas,
Ut dones alteri,
Tu Sponsam amas *geminam*
Te *neutra* diligit:
Hæc *queritur* injuriam,
Et ista *metuit*.
Qui sibi lætæ gratiam
Fortunæ postulat,
Aut *unam* prudens fœminam,
Aut *nullam* diligat.

SCENA TERTIA.

Achior. Anaël. Tobias. Raguel.

Tobias. QUid audio, amice Achior?
Dolorem sibi attulit mea præsentia?
Peccavit innocentia!
Ignarum tui vinculi me sibi Sara rapuit,
Et Spes, quod velis cedere, huc usque tenuit:
AMO!
Sed ne amem *cum injuria*,
Ecce! amorem fugio!
Anaël. * Virtutem juvenis ego suspicio. (*seorsim.)
Raguel. Et patiens ferat Raguel ignominiam,
Qua afficis hospitium?

Tobias

Raguel. Et, patimur fugere? (*abit*)
Anaël. Necesse est retrahere.
Tu cede, fili mi, cede divinæ Providentiæ! (*abit*)
Achior. O dies nigerrimo notanda mihi calculo!
Jam, credo, Pater etiam adversabitur filio?
Et Sara fugit amplectentem,
Amplectitur se fugientem,
Ut in summum ascendat fastigium
Achioris opprobrium.
Sara. Da veniam, Achior, si DEO obsequor.
Sic oculos juvenis, sic manus, sic ora ferebat,
In quem, cum dormirem, monstrum aquatile irruebat,
Et devorâsset,
Nisi per Angelum Dominus mihi servâsset.
Anna. Sed, ut finem habeat disputatio,
Attende Achior, quod legis. Quæ te Saræ ligavit,
Jam cessat ratio.
Si hospes Tobias est, æqualis est cognatio,
Estis Patrueles:
Et reviviscit *prima* obligatio:
Te Axa, & tu Axam teneris ducere,
Ita imperant *leges sponsalitiæ.*
Sara. Neque nescis, charissime, quod conjugia,
Quæ attentantur invito Numine,
Sint infelicia.
Heu! quam multi in me, experti sunt ante te! Tob. 3.

ARIA.

1.

Sequamur Providentiam!
Consilia,
Per quæ pro nobis vigilat,
Sunt mirabilia:

Errat,

Tobias. Premi finit, premi, non opprimi,
Jamque per nigricantes nubes
Aliqui Spei melioris ſcintillant radii.
Ita ſolatur me Azarias mei comes itineris,
Qui, ſi non eſt Angelus,
Certe ex Amicis eſt Deo chariſſimis.
Raguel. Ego quoque in viri moribus, ac ſermonibus
Aliquid ſupra hominem ſuſpexi!
Sara. Ego dormiens ipſum in Angeli forma conſpexi!
Tobias. Ego, quisquis ſit, quod domum Tobiæ diligat Dominus,
Ex beneficiis per viam mihi præſtitis intellexi.
Ipſe ultro ſe mihi ducem obtulit:
Ipſe, ut huc diverterem,
Et Saram conjugem mihi peterem, inſtitit:
Ipſe piſcem immanem,
Qui ad devorandum me irruerat, compeſcuit,
Cordisque, & fellis belluæ vim medicam
Contra dæmonium,
Et contra oculorum albuginem docuit.
Anna. Filia! Patet veritas. Tuum ſomnium fuit oraculum!
Sara. Fuit oraculum! Conveniunt teſtimonia:
Laudemus Dominum!
Raguel. Laudemus, & adoremus!
Anaël. Sublatum eſt, fili mi [illegible]ne dubium:
Divinum adorem[illegible] conſilium!
Sara Tobiæ d[illegible]tur! Ita cœlo eſt placitum.
Achior. Infelix ſum!
Et hoc ſcilicet deer[illegible]premæ miſeriæ,
Ut, poſtquam fui a Sara, & ab Axa deſpectus,
Inſuper pronuntiarer a Cœlo abjectus! (*abit*)

SCE-

Tu vis, ut subdita
Sit viro fœmina:
Fœmineam superbiam
Sic premi satis sit:
Vir, quem amamus etiam,
Tyrannus sæpe fit.

SCENA INTERMEDIA.

Ex Libr. Tob. c. 8.

Religio. Amor conjugalis. Asmodæus. Nilus.

Theatrum interius exhibet montana Ægypti ad cataractas Nili, ubi alligatus est Asmodæus a Raphaële, nempe in Thebaide, ubi postea tot SS. Eremicolæ inclaruerunt.

Religio. Nun, Alter, disen Buben gib ich dir in Verwahr.
Er ist gefeßlt zwar:
Doch seine Boßheit machet,
Daß ich in Sorgen stehe,
Wann man nicht embsig wachet,
Möcht er die Band zerbrechen,
Und sich an mir zu rächen
Viel Unheyl in der Ehe,
Die ich gesegnet hab, zu stifften sich erfrechen.
Solang das holde Paar beysammen förmig lebet,
Will ich, das über deinen Strohm
Der Bub nicht einen Fuß-breit komm.
O Göttin, dein Begehren
Nilus. Ist für mich ein Befehl,
Den ich mit Unterthänigkeit verlange zu verehren.
Amor conjug. Er ist ein Feind deß Friedens, und der Gottseeligkeit:
Ist genug geredt; zu wissen,
Was für ein Laug auf disen Kopff du werdest giessen müssen.
Nilus. Ey was! Der Lotters-Bub!
Asmodæus. Schweig, Alter, schweig! Oder du solst empfinden,
Wer Asmodäus sey, auch in der Wüsteney.
Nilus. Ey was? Ein Zwerg von einer Spann
Soll trotzen einem Ehren-Mann?

ARIA

PARS III.

SCENA PRIMA.

Gabelus. Axa. Tobias.

Gabelus. Confecimus negotium: recepi chirographum:
Reddidi depositum.
Tobias. Fecisti, Gabele, quod decuit fidelem Dei famulum.
Gabelus. Vicissim a te postulo (si tamen adhuc liber es)
Facillimum obsequium.
Tobias. Impera.
Gabelus. Procede filia, & votum tuum explica.
Axa. Ah! loqui vetant lacrimæ:
Sum misera, Tobia, propter te!
Gabelus. Ergo audi Patrem, Tobia, lacrimarum interpretem:
Axa mea amat te! . . .
Et a te redamari desiderat!
Tobias. Pro! quis novus me terror attonat?
Gabelus. Fugis? num suademus flagitium?
Tobias. Fugio levitatis convitium.
Quam cœlum, ut amem, voluit:
Ut *Unam* solam amem constanter, præcipit. (*abit.*)
Gabelus. Enimvero, qualem Azarias descripsit juvenem,
Talem invenio:
Filia vince te! Amori impera! exemplum imitare,
Et quem semel amasti Achiorem, perge amare.
Axa. Tobias præ Achiore placeret!
Gabelus. Forsitan & tu placeres Tobiæ,
Si adhuc liberum amorem haberet.
Nunc postquam spes de Tobia jam nulla est reliqua,
Superest o filia, ut adoremus Providentiam! . . .
Nihil in te Achior peccavit,

Quan-

ARIOSE.

Sara.	Sic mihi, Axa, soror es!
Tobias.	Sic meus, Sara, amor es!
	Amoris cape Symbolum!
Sara.	Amorem reddo mutuum!
Achior.	Eodem ego vinculo
Axa.	Te mihi amans obligo!
Angelus.	Sunt auspicatæ nuptiæ!
	Parentes benedicite!
Tobias.	Quem misit Dominus,
	De cœlo adsit Angelus!

Raguel. Anna. De cœli prægnans semine
Anaël. Gabelus. Descendat pluvia,
& omnes Et faciat vos (nos) crescere
repetunt. *In mille millia!* Gen. 24.

EPILOGUS.

Angelus. Bavaria. Septem Planetæ. Comites.

Angelus. IMpleta sunt vota. Crevit, floruit, splenduit
Diu multumque fortunata Tobiæ familia.
Sed *in figura* contigerunt hæc omnia.
DE FIGURATO quod habeas,
Unde tibi gratuleris Bavaria
Ego adsum bonus * Angelus a Cœli Domina
Oettingæ Propitia.
Ibi jam olim Deiparæ
In argento **

PRIN-

* Latine Nuntius. ** In sua statua.


PRINCEPS AUREUS conſecravit ſe.
Et ecce! Invenit gratiam *
Et cum gratia omnia! **
Videtis, ut ad Mariæ imperium
Numina minorum gentium
Feſtinent præſtare homagium
Felicitatis duraturæ præſagium?
Nempe Cœlipotenti Virgini,
Quæ olim adorabantur, nunc famulantur ſidera,
Ut ornent ſolium Saxonico-Bavaricum.
Audite obſequioſos cantus, & jubila,
Audite vota unanimia,
Nam ſunt oracula.

CHORUS.


Sta, nobile ſolium, ſta! . . .
SAXO inniteris,
Nulli quod temporis
Cedit injuriæ:
Saturnus. Falcis Saturniæ
In quo vis frangit ſe:
Chorus. Æternum ſta!
Genius Bavariæ. Et quem dant famula
Splendorem ſidera,
Influxu refluo
Da orbi Bavaro.
Chorus. Æternum da!

* ANNAM, latine gratiam. ** Exhibetur optice Sacellum B. V. Oettinganæ olim ſeptem Planetis dicatum.

Mars. Dat lauros Marspiter ,
Jupiter. Coronas Jupiter ,
Sol. Per me Juſtitia ,
Mercurius. Per me commercia ,
Venus. Ridente Venere ,
Luna. Lucina auſpice ,
Ambæ. Heroum patriis
Ex incunabulis ,
Saturnus. Vocante aurea
Saturno ſæcula
Omnes. Ex Thule ultima
Huc ferent ſe.
Genius Bav. Jubente maxima
Cœlorum Domina
Beabunt me !
Chorus Beabunt te !



Tobias



Tobias und Sara
In das Teutsche übersezt.



Innhalt.

UNter denen beglückten Ehen, von welchen die heilige Schrift Meldung thut, wird man kaum ein andere mit grösserer Anmüthigkeit des Herzens lesen, als jene des jüngeren Tobiæ mit Sara, da GOtt gewolt, daß der Engel Raphael die Stell eines Brautführers vertretten solte. Die Geschicht ist bekannt: unser Wunsch aber, oder vielmehr die Weissagung gegründet, da wir denen Durchlauchtigsten Brautpersonen, gleichwie wir in Höchst-Selben ein gleiche Gottseeligkeit (welche die Brunnquell alles Vergnügen ist) unterthänigst verehren, also einen gleichen Seegen vom Himmel vordeuten.

Eingang.

Bayern. Hymen, der Hochzeit-Gott. Saturnus, anfangs schlaffend. Gefolg.

Bayern. Was Raths? der güldne Alte liegt,
Von tieffer Schlaff-Sucht gantz besiegt.
Wohlan! ein muntres Knallen
Soll nebst dem Feld-Geschrey erschallen!
Er wird villeicht durch unsre Stück erweckt,
Da kein Trompeten-Klang erkleckt.

CHORUS.

Donner unsrer Erd! erschalle!
Glühe, hohles Ertz, und knalle!
Laß dein Krachen offtmahls hören;
Durch den Wiederhall vermehrt!
Mache, daß die Erd erzittert!
Daß die weite Lufft erschittert,
Wie die Wellen sich empören,
Da sich Fluth auf Fluthen kehrt.

Hymen aus den Wolcken. O Frau! was hör ich da?
Was sieh ich, O Bojaria!
Vergebliches Bemühen
Des Himmels Schluß zu fliehen!
Er selbst hat diesen Gott, der gute Jahr-Gäng schickt,
Mit Eisen-festem Schlaff bestrickt.
Was Mars nicht kont erzwingen,
Wird mein Gesang zuwegen bringen.

Bayern. O Hymen, Trost in meiner Noth!
Erklär die Freud, O süsser Both!

Hymen.

Vergnügen! komm aus den Eliser-Feldern!
Es gleiche diser Ort den Lust-erfüllten Wäldern!
Klopff in die Hand, O Bayerland!
Es zeigt sich dir in Sara und Tobia
Dein JOSEPH und MARJA!
O Bayerland, klopff in die Hand!

Hymen. Versprich dir Glück von diesem schönen Tag!
Gesang und Reim vertreibe deine Klag!

Bayern. O schöner Tag den GOtt gegeben!
Du, meine Hoffnung, hohes Paar!
Du solst in deiner Bayern Schaar,
Du sollest ewig glücklich leben!

CHORUS.

Fürsten! unsers Lebens Leben!
Liebet uns, und liebet euch!
Liebt, was beyden GOtt gegeben,
Euch für uns, und uns für Euch!

Erster Theil.

Erster Auftritt.

Tobias. Der Engel.

Engel. TObias, glaube mir:
Die werthe Sara bleibet dir.
Deß Vatters harte Plagen,
Der Mutter stetes Klagen,
Dein reines Hertz, O Unschuld-voller Sohn,
Verdienen disen Himmels-Lohn.

Tobias. Es hat jedoch ihr reiches Gut,
Der Augen Glantz, das edle Blut,
Die Eingezogenheit,
Die holde Freundlichkeit,

Wie

Wie das Gerücht verkündet,
Schon manches Hertz mit ihrer Lieb entzündet.
Engel. Leb Sorgen frey!
Dem Würdigsten gesellt der HErr Sie bey.
Das Hauß und Geld kan man ererben;
Doch nur durch GOtt allein beglückte Ehe erwerben.

ARIA.

Glücklich, die sich so verbinden,
Daß die Wahl sie nicht betrügt!
Kaum ist eine Gnad zu finden,
So die Seelen mehr vergnügt.

2.

Nimm die Braut, so GOtt dir schencket,
Nimm die Cron, so Er dir reicht:
Wann der HErr die Liebe lencket,
Wird das Eh-Joch süß und leicht.
Tobias. O GOtt, den meines Vatters Treu
Dem Götzen-Dienst zu Trutz geehret,
Ertheile nun, was dessen Hertz begehret:
Steh dem betrübten Hauß in dieser Hochzeit bey!
Engel. Gut Herz! es bringt die heitre Sonne
Nach finsterem Gewülck erwünschte Lust und Wonne:
Du führst das Glück mit Sara heim.
Sie kommet! laß uns weichen!
Erwege selbst, ob sie hab ihres gleichen.

Zweyter Auftritt.

Sara. Ara.

Sara. ERheitere doch dein nasses Angesicht!
Denn Achior gehört mir nicht:
Ein anderer ists, den mir der Himmel schicket.

Ara. Du spottest meiner in dem Leid:
Es redet ja das Schimmer-volle Kleid,
So diser Tag an dir erblicket.
Dein Aufbutz zeigt die Hochzeit an!
Ach daß mein Achior so untreu werden kan!
Er war mir längst versprochen.

Sara. Doch, Ara, das Gesatz hat dises Wort gebrochen.
Die nächst-verwandte Hand
Entzieht dir dises Band.
Allein was hilfft das Streitten?
Dein Achior, glaub mir, komt nicht an meine Seiten.
Ein andrer ward mir dise Nacht
Im Schlaff vom Himmel kund gemacht.

Ara. O schönes Himmels-Licht!
Ein Traum-Gesicht! (Sie geht unwillig davon)

Sara. Mein Hertz erkennt deß Himmels Willen,
Und kan sich nun mit sichrer Hoffnung stillen.

ARIA.

Sara, fasse neues Leben!
Der, dem du die Hand solst geben,
Kommet von deß Himmels Huld,
Nicht von deiner Ungeduld.

2.

Glücklich wird der Stand erkohren,
Und die Freyheit wohl verlohren,
Da nur GOtt mich gehen heißt,
Nicht die blinde Sehnsucht reißt.

Engel. O werthes Frauenbild!
Der Himmel sey dir allzeit mild!

Sara. O GOtt! wer ist mir aufgestossen?

Engel. Bist du aus Raguels vertrauten Haußgenossen?

Sara. Ich bin von ihm entsprossen.

Tobias.

Vierter Auftritt.

Raguel. Tobias. Engel. Anna. Sara.

Raguel. Willkommen, liebe Gäst!
Ermunteret unser Hochzeit-Fest!
Auf diesen Tag soll meine Tochter freyen.

Engel. Es gebe GOtt der Schützer Israels,
Daß allen Freunden Raguels
Von nun an alle Täg gedeyen.

Tobias. Die Braut verdients: kein Leid
Verderbe jemahls eure Freud.

Raguel. Woher, wohin, O fremdes Paar?

Tobias. O Gastgeb, unsre Zunfft wird Nephthalim genennet.
Wir seynd aus jener Schaar,
So Ninive vom Judenland getrennet.
Nach Rages gehen unsre Schritt,
Gabelens Haus zu sehen.

Anna. Erspahret diese Tritt:
Der Vetter solle hieher gehen.
Die Knecht und Last-Thier seynd bereit:
Es ist der Weeg nicht weit:
Er wird sich nicht verweilen.

Tobias. So lasset uns entgegen eilen:
Ich folge meines Vatters Wort.

Engel. Verbleib an diesem Ort.
Ich will für dich das Geld erheben,
Und ungesaumt dir Nachricht geben.

Raguel. Wohlan! die Diener gehn mit dir,
Zieh hin, und bring ihn bald zu mir!

Fünffter

Plötzlich erheben sich
Gegen-Wind wider mich!
Der Neid hat den Ancker entrissen!
Man will mich im Thränen-Meer wissen!
Unbilliche Sach!

Anna. Bezäum den ungehaltnen Schmertz!
Deß Höchsten Wort beherrsch das Menschen-Hertz.
Der das Gesatz mit Freud umfanget,
Der ist, so Trost von GOtt erlanget.

Sara. Erlaub, O Mutter, nur ein Wort!
Diß treibet allen Unmuth fort.
Ich will mich meines Rechts zu Achior begeben.
Mein Hertz und Leben
Ist von dem Himmel dem bestellt,
Der dise Stund sich erst zu uns gesellt.

Anna. Wie so? wen will dich GOtt erwählen?

Sara. Er hieß mich dise Nacht, dir meinen Traum erzehlen.
Der Fremdling wusch im Tigris seine Füß:
Ein Ungeheur, so auf ihn stieß,
Begunt ihn zu verschlingen:
Ein Engel mußte für ihn ringen,
Und seine Hand
Erhielt für mich das liebe Pfand.
Ob disem beyzupflichten,
Kan er uns selbst berichten.

Anna. Ich bin verwirrt! O Tochter, komm mit mir,
Und trag die Sach dem Vatter für.

Axa. O Axa! hat wohl GOtt dein Flehen
In Gnaden angesehen?
Ich hoffe! Sara heuchelt nicht:
Laß sehen, was Achior zu diser Zeitung spricht.

Zwischen Auftritt.

Aus dem Buch Tobiä am 3. Cap.

Wie oben.

ARIA

Zweyter Theil.

Erster Auftritt.

Anael. Achior. Raguel. Ara.

Achior. JA, Vatter, ja! wie Ara sagt!
Wir werden hintergangen,
Der Fremde wird mit Sara prangen!
Doch recht! ich leid, was ich gewagt.
Ich bin der Sara nun, wie Ara mir zu schlecht.
Ara. Ja recht! ja recht!

ARIA.

Achior. So wird ich zum Hohn auf die Bühne gestellet?
Ara. Wie recht wird die Straff zu dem Laster gesellet!
Achior. Bin ich ein Bräutigam nur im Gedicht?
Ara. Höchster, wie billich seynd deine Gericht!
Wie schön hat die Liebe das Lust-Spiel geendet!
Wie künstlich hat Achior alle geblendet!
Setzt nur den Innhalt und Titul noch bey:
Billiche Straff der gebrochenen Treu.
Raguel. Genug, ihr Freund, genug!
Noch seine Klag, noch ihr Gespött ist klug.
Vom auserwählten Volck wird nur dahin gezielet,
Daß unsre Lieb erwählt, wen unser GOtt befihlet.
Anael. Wird sein Befehl durch Träum bewährt?
Raguel. Er hat wohl mehr im Schlaff gelehrt.
Gedult! man muß die Sach erwegen.
Achior. Es ist ja GOttes Wort zugegen:
Mir stehet selbes deutlich bey.
Raguel. Er ist der HErr, und von Gesätzen frey.
Achior. Der Schimpff, mit dem sie uns verwunden,
Hat uns von dem Gesätz vermuthlich loß gebunden.
Ich nihm der Sara meine Hand,
Laßt anders auch der Vatter sichs belieben,
Und kehr zu meinem ersten Band.
Ara. Kein Schwindel-Hirn soll meine Täg betrüben.

Zweyter Auftritt.

Anael. Achior.

Anael. Die Ungedult verdient den Schimpff.
Wie? kanst du nicht ein Stündlein ruhig bleiben?
Es handelt Raguel mit Glimpff:
Er wird dich nicht von Sara treiben,
Wofern es GOtt nicht heißt,
Dem niemand sich entreißt.

Achior. Ich geh den Fremden selbst zu sprechen.

Anael. Gemach! was nutzt das tolle Brechen.
Die erste Hitz
Verfahret ohne Witz.
Ich will den Handel besser schlichten. (Er geht ab)

Achior. O hätt ich eine nur, nicht zwey zugleich geliebt!
So lebt ich nicht betrübt!

ARIA.

Die Liebe ist ein Diamant,
Den mancher leicht verehrt,
Und da das Hertz sich umgewandt,
Auch leicht zuruck begehrt:
Du liebest zwey zu einer Zeit,
Von keiner wirst geliebt:
Die zweyte wird der Forcht zur Beut,
Die erste lebt betrübt.

2.

Nur eine, oder keine Braut!
Wo nicht, so fehlt das Glück:
Wer mehr liebt, hat auf Sand gebaut,
Und störet sein Geschick.

Drit-

Dritter Auftritt.

Achior. Anael. Raguel. Tobias.

Tobias. WAs hör ich, Achior mein Freund!
Ich wird an dir zum Feind?
Unwissend hab ich dich verletzt.
Ich wuste nichts um Sara Wort:
Ich hab sie Liebens-werth geschätzt.
Ich fuhr in meiner Liebe fort,
Da mir die Hoffnung sagte,
Daß Achior sich nicht beklagte.
Ich liebe! doch die Unbild seye fern:
Deßwegen flieh und weich ich gerne.
Anael beyseits. Was grosse Tugend
In solcher Jugend!
Raguel. Verschmähst du denn mein Hauß?
Und fliehest so schnell hinaus?
Tobias. Ich dancke deinem Willen:
Doch muß ich meine Pflicht erfüllen.
Der Himmel treibt mich von dir fort.
Der Fried beglücke disen Ort.
Die Lieb, so droht den Frieden zu vertreiben,
Soll hier nicht bleiben.

ARIA.

Liebe, so nicht unrein brennet,
Ist dem Frieden niemahl feind:
Doch wann sie den Frieden trennet,
Bleiben sie nicht gute Freund.
Ehe soll die Liebe fliehen,
Als der Fried, so uns vergnügt:
Dise Flucht macht Lorber blühen,
Da man Krieg, und sich besiegt.

Achior. O Freund, die Flucht
Verheisset schlechten Frucht!
Der Sara Hertz wird von dir mitgenommen.
Tobias. Ich sieh sie kommen.
Glück zu! du hast dein Ziel erreicht;
Tobias weicht.

Vierter Auftritt.

Achior. Anael. Raguel. Sara. Anna.

Sara. Der Gast vermeidet mich? wohin doch so geschwind?
Anael. Was sagst du, Raguel? er meines Bruders Kind?
Raguel. Sein Vatter soll (ich kan es selbst nicht fassen!)
Mein Schwester-Sohn Tobias seyn!
Achior. Dies schwätzet uns ein Fremdling ein:
Wer soll sich da bereden lassen?
Anna. Sein Aug, sein gantzes Angesicht
Betrügen nicht.
Raguel. Und wir, wir lassen ihn doch fliehen? (Er geht ab)
Anael. Wir gehen ihn zuruck zu ziehen.
Du aber, Sohn!
Begehr nicht umzustossen,
Was GOtt beschlossen! (Er geht weg.)
Achior. O Trauer-Tag! O Leid! O Hohn!
Ich glaub der Vatter selbst wird seinen Sohn bekriegen!
Ach Sara, ach! wie kan sichs fügen,
Daß du den Flüchtling liebst,
Den Liebenden fliehst, und betrübst?
O höchste Schand auf Erden!
Die bittrer nicht kan werden!
Sara. Verzeyh mir, Achior!
Der Schöpffer gehet vor.
Im Blick, im Angesicht, im Reden, Stehen, Gehen,
Hat mein getraumtes Bild den Jüngling gleich gesehen.
Auf diesen fiel deß wilden Fisches Wuth,
Und ihn erhielt für mich deß Engels Hut.

Anna.

Anna. Den Streitt und Zweifel aufzuheben,
So hat nun das Gesatz,
Das dir, O Achior, mein Kind zur Frau gegeben,
Bey beyden nicht mehr Platz.
Da diser Gast Tobiä Sohn zu nennen,
So wird die Sippschafft gleich:
Ihr müßt euch Brüder-Söhn bekennen
Nun weist du ja die Hochzeit-Bräuch:
Das erste Wort, so du gegeben,
Wacht wider auf: mit Axa must du leben.
Sara. Bedenck, O Freund! es flieht das Glück,
Wann eine Lieb sich wider GOttes Willen
Verlangt zu stillen:
Wie vilen, ach! ward ich zum Strick!

ARIA.

Der Vorsicht GOttes folge nach!
Ihr weiser Sinn,
Der allzeit für die Seinen sorgt,
Bringt Wunder und Gewinn:
Wer von sich selbst den Rath erborgt,
Verderbt die Sach:
Der Vorsicht GOttes folge nach!

2.

Deß Himmels Liecht allein ist rein:
Nur dises siehe an!
Ein Irrwisch steigt aus unserem Koth,
Der nur verführen kan:
Verlangst du deinen Fall und Tod
So folg dem Schein!
Ihm folgen ist verlohren seyn.

Fünffter Auftritt.

Sara. Anna. Tobias. Raguel. Anael. Achior.

Achior. MEin Gegner kommet wieder!
Was Raths? O Hertzens-Pein!

Tobias. Mein Vetter, leg den Unmuth nider
Man zwingt mich mit Gewalt herein.
Achior. Du leydest und verübst Gewalt.
O Unglück, so mich heut befallt!
Ach kämest du erst Morgen!
Wie viel erspahrtest du mir Sorgen!
Du wärest meiner Freuden Zeug.
Sara. Ach Liebster schweig!
Wer weiß, du häufftest mir anstatt der Hochzeit-Freuden,
Wie andere schon, nur neues Leiden?
Die Vorsicht, wenn man trotzet, strafft!
Anael. Damit man sie noch mehr ergründe,
Sag, Vetter, wie mein Bruder sich befinde.
Tobias. Ach Elend! die Gefangenschafft,
Die Armuth, und die Blindheit tragen,
Sind einem Alten harte Plagen.
Raguel. Es dauret mich das graue Haupt!
Anna. Ein Mann, den nichts vom guten Weeg verrucket,
Wird alles Trosts beraubt?
Tobias. Gedruckt ist noch nicht unterdrucket.
Die Hoffnung zeigt schon einen Schein:
Mich dunckt, die schwartze Lufft wird rein.
Diß ist, was mein Gespan, mein Azarias spricht,
Der einem Engel gleichet,
Und wenigen in GOttes Freundschafft weichet.
Raguel. Deß Jünglings Red und Angesicht
Sind menschlich kaum zu nennen.
Sara. Ich konnt ihn deutlich kennen,
Als er ihm Traum der Engel war.
Tobias. Diß ist gewiß: die Hülff in der Gefahr,
So manches Gut, so GOtt durch ihn geschencket,
Beweisen, daß der HErr auf unser Hauß noch dencket.
Er trug sich zum Gespan
Für meine Reisen an:
Sein Rath war, mich hieher zu wenden,
Und mich der Sara zu verpfänden:

Ich

Ich ward durch seine Krafft beschirmt,
Da jener Wallfisch mich bestürmt:
Er lehrt mich Hertz und Gall bereiten,
Dardurch die Höll und Blindheit zu bestreiten.

Anna. Die Wahrheit glänzet allgemach:
Dein Traum war GOttes Sprach.

Sara. Ja, GOttes Sprach! der Himmel sey gepriesen,
Der uns mit Zeugschafft überwiesen!

Raguel. Wir preisen und wir betten an,
Die Macht, so alles kan!

Anael. Mein Sohn! der Zweiffel ist verschwunden:
Der Will deß Höchsten ist gefunden.
Verehre seinen Schluß,
Dem Sara sich ergeben muß.

Achior Weh mir! nun fang ich an vollkommen zu verschmachten!
Da beyde Schöne mich verachten,
Verwirfft mich auch deß Himmels Stimm
In seinem Grimm

Sechster Auftritt.

Tobias. Raguel. Anael. Sara. Anna. Axa.

Anael. HErzeyh, O Gast, dem jungen Blut!
Gestürtzte Hoffnung bricht den Muth.

Sara. Auch unsre Lust wird aufgeschoben.

Tobias. Doch nicht gehoben.
Glaub mir, O Anael! ist Azarias da,
So sagt die spröde Axa ja.
Die Liebe wird zwey Paar verstricken,
Und doppelt unser Hauß an disem Tag beglücken.

Raguel. So bringt Gabelus volle Lust.

Axa. Was treibt ihn her? ist ihm die Sach bewußt?

Raguel. Er kommt von uns gebetten:

Tobias. Als Schiedmann hier den Frid zu retten. (Sie gehen fort)

Anna.

Anna. O Ara! wird deß Vatters Wort
Dich endlich doch bewegen?
Sara. Sey GOttes Weißheit nicht entgegen! (Sie gehen ab)
Ara. Warum begiebt sich alles fort?
Man will mich nemlich zwingen:
Mein Vatter kommt mir jenen aufzudringen,
Der mich verlaßt?
Den Sara haßt?
Den Achior? ... nach solchen Wunden? ...
Nein! nein! das Feuer ist verschwunden!

ARIA.

O gütiges Geschick!
Verschone meinem Glück!
Soll Ara denn in Ketten gehn,
Nur weil die Sara grünt?
Soll ich bey meinem Hencker stehn?
Wie hab ich diß verdient?

2.

Du steckst die Gräntzen aus:
Der Mann ist Herr im Hauß:
Genug ist unser Stoltz gebuckt,
Wir dienen einem Mann:
Auch welcher jezt uns liebt und druckt,
Wird offtmahls ein Tyrann.

Zwischen Auftritt.

Aus dem Buch Tobiä am 3. Cap.
Wie oben.

ARIA.

Dritter Theil.

Erster Auftritt.

Gabelus. Axa. Tobias.

Gabelus. DEr Handel ist geschlichtet,
Mein Brieff bey mir: die Schuld entrichtet:
Tobias. Du hast gethan,
Was treue GOttes Diener sollen.
Gabelus. Nun hör auch du entgegen an,
Was Trost wir von dir wollen.
Ich bitte, gieb, was leicht zu geben ist,
Wann du noch ungebunden bist.
Tobias. Befiehle!
Gabelus. O Tochter! komm und sag,
Wo deines Hertzens Wunsch hinziele.
Axa. O schwere Klag,
So mir das Aug mit Thränen netzet,
Und den beschämten Mund verschließt!
Tobias, du hast mich verletzet.
Gabelus. Es wird villeicht der Zächer-Bach versüßt,
Wann ich ihr Dollmetsch werde.
Sie liebt nichts mehr auf Erde,
Als dich, O Gast! und diser Schmertz,
Wird nicht geheilt, du schenckst ihr denn dein Hertz.
Tobias. O neuer Schrecken!
Gabelus. Du fliehest! solle sich hierdurch dein Hertz mit Sünd beflecken?
Tobias. Ich flieh die Schand deß Wanckelmuths.
Der Himmel schieff in mir die Lieb nur eines Guths,
Er schafft es auch allein zu lieben. (Er geht ab)
Gabelus. Ich siehe den Jüngling alles üben,
Was Azarias an ihm lobt.

O Tochter, lerne dich besiegen!
Bekämpffe die Lieb, so in dir tobt!
Sein Beyspiel lieb! wilst du hier unterliegen?
Erwecke deine erste Glut!

Ara. Tobias ists, auf dem mein Wunsch beruht.

Gabelus. Du würdest gleichfalls ihm vor allen
Vielleicht gefallen,
Wär seine Lieb noch frey.
Die Hoffnung ist vorbey:
Was kanst du, als die Vorsicht preisen,
Und selber deine Treu beweisen?
Was tragt auch Achior für Schuld?
Er änderte zwar seine Huld,
Doch vom Gesatz geheissen,
Und nicht vom Unbestand, sein Hertz dir zu entreissen.
Er kehrt zu dir, sobald es ihm erlaubt:
Sein Abschied war ein Zwang: er hat dir nichts geraubt.

ARIA.

Ermahne dich, Tochter, und weiche!
Was nutzet unzeitiger Schmertz?
Was störst du den Lust-Tag mit trauriger Bleiche?
Dem Ersten gehöret dein Hertz!
Wer erstlich recht gewählet,
Der fehlet;
Da er sich dem zweyten vermählt.

Zwey-

Engel. Bey disem Bund ist Heil und Glück zugegen:
Ihr Eltern, gebt hierzu den Segen!

ARIA.

Raguel, Anna, Anael und Gabelus.
Der Himmel-Thau' auf dieses Fest
Vergnügen, Frucht, und Flamm!
Auf tausend Jahr, auf tausend Aest
Erstreck er euern Stamm!

Die übrige wiederhohlen.
Der Himmel Thau' auf dises Fest
Vergnügen, Frucht, und Flamm!
Auf tausend Jahr, auf tausend Aest
Erstreck er unsern Stamm!

Beschluß.

Ein Engel. Die sieben Planeten. Dero Gefolg. Bayerland.

Engel. Die Wünsch sind wohl gelungen:
Tobiä Haus hat sich geschwungen:
Die angewahnte Müh
Erzielte Wachsthum, Glantz, und Blüh.
Es wußte GOtt in disen Bildern
Dein Glück, O Bayern, abzuschildern!
Dies kündet dir durch mich die Fürstin an,
Die dem Gestirn befehlen kan.
Wo Oetting Tausend Pilger lencket,
Hat längst dein mehr als güldner Printz
Im Silber Sich geschencket.
O glückliche Provintz!
Nun als Er mit ANNA Sich verbunden,
Hat er allda die Gnad und alles Gut gefunden,

Sieh

Sieh diese Stern, O edles Land!
Ein Winck von deiner Frauen Hand
Befiehlt, und heißt sie eilen,
Die Freud mit dir zu theilen.
Sie trugen einst die Götter-Cron:
Nun dienen sie der Frau der Sternen;
Auf dero Wort sie diesen Thron
Zu beyder Häuser Ehr mit Freud beschencken lernen.
Vernehmt das Lust-Gesang,
Mit dem sie euch erfreuen!
Vernehmt den Jubel-Klang!
Habt Acht! sie prophezeyen.

CHORUS.

Steh, Fürstlicher Ehren-Thron, steh!
Dir liegt ein Fels zum Grund,
Den keine Unglücks-Stund
Noch rucket, noch erreicht.
Saturn. Dem meine Sichel weicht,
Dem keine Stärcke gleicht.
Chor. Steh ewig, steh!
Bayerl. Dir dient der Sternen Schein,
Und will dir zinsbar seyn:
O daß des Glantzes Pracht,
Der Bayern herrlich macht,
Niemahl vergeh!
Der Chor wiederholet es.

2.

Mars Mars schaffet Palmen her,
Jupiter. Die Cronen Jupiter:
Sonne. Durch mich wird Recht verschafft:
Mercur. Ich hilff der Handelschafft:
Venus. Da Venus fröhlich lacht,
Mond. Lucina fruchtbar macht,

Beyde. Entsteht ein neues Gut
Aus altem Helden-Blut.
Saturn. Saturnus ist bereit,
Zu stifften güldne Zeit,
Chor. So ziehet Fruchtbarkeit
Und Glück ins Land!
Bayerl. MARJA ist mein Schutz,
Mein Trost, mein Heil, mein Nutz!
Sie ist mein Pfand!
Chor. Sie ist dein Pfand!

E N D E.



Verzeichnuß anderer des Authors Wercklein, so bey Verläger dises in Augspurg und Ingolstadt um billichen Preiß zu haben seynd.

R. P. Neumayr Theatrum Asceticum 4to.
- - - - Dito Pars 2da sive Mundus in maligno. 4to.
- - - - Triduum Sacrum. 8vo.
- - - - Gratia vocat. Sacerd. 8vo.
- - - - Vir Apostolicus 8vo.
- - - - Exterminium Acediæ 8vo.
- - - - Dito 8vo. Teutsch.
- - - - Von Göttlichen drey Tugenden 8vo.
- - - - Gedult in Trübsalen 8vo.
- - - - Via Compendii oder Exercitia pro Religiosis Octiduana. 8vo.
- - - - Idea Rhetorices 8vo.
- - - - - - - Poëseos 8vo.
- - - - - - - Cultus Mariani 12.
- - - - - - - Dito 18. Teutsch.
- - - - Micæ Evangelicæ 8vo.
- - - - Controvers-Predigen 4to I. Band.
- - - - - - - Dito 4to II. Band.
- - - - Dito de anno 1759. biß 1760. inclusive.
- - - - Dito Corporis Christi Octav-Predigen de anno 1754. & 1756. 4to & 8vo.
- - - - Buß-Predig 4to.
- - - - Lob-Rede St. Augustini 4to.
- - - - Wider Rothfischer 4to 3. Theil.
- - - - Theatrum politicum sive Tragœdiæ. 4to.





